




NICOLAI JOSEPHI JACQUIN

COLLECTANEA

AD

BOTANICAM, CHEMIAM,

ET

HISTORIAM NATURALEM,

SPECTANTIA,

CUM FIGURIS.

VOL. II.




VINDOBONÆ,

Ex Officina Wappleriana. 1788.

/7


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY



I.

THADDÆI HAËNKE
OBSERVATIONES BOTANICÆ
IN BOHEMIA, AUSTRIA, STYRIA, CARINTHIA, TYROLI, HUNGARIA FACTÆ.

I.

CYNOGLOSSUM SCORPIOIDES.

Cynogloſſum caule proſtrato; foliis lanceolatis, ſcabris; pedunculis axillaribus, unifloris; ſeminibus umbilicatis, glabris.

Planta annua nulli Botanicorum, quod ſciam, adhucdum viſa, flore ſuo amabili Myoſoti ſcorpioidi adeo æmula, ut eminus vix dignoſcas; cæterum toto cœlo diverſa. Vere primo floret, locaque nemoroſa, umbroſa, ſubhumida inhabitat: frequens in horto *Baumgarten* dicto Praga Bohemorum metropoli non procul, ſi colles ad dextram ſalutaveris: frequentiſſima vero in nemoribus ad ripas Albis prope trajectum *Stephan Ueberfuhr*, atque ad Moldavæ cum Albi unionem ſupra Melnick regiam urbem: nec uspiam alibi viſa.

 Ra-

Radix ei fibrofa, exilis: fibræ copiofæ, fparfæ, capillares, fufcæ aut nigricantes, faporis leviter amaricantis. Caulis unicus, procumbens, ima bafi leviter incurvatur, indeque ftatim alternatim in ramos nonnullos adfcendentes, debiles, fimplices, rarius in fummitate fubdivifos, quadri-quinqunciales & femipedali fubin altitudine majores dividitur; ipfe cæterum angulatus, compreffiufculus, inæqualis, minus, quam afperifoliarum genti proprium, afper, læte viridis, a fui exortu communiter ad tri-quadriunciale intervallum nudus, leviter purpurafcens, atque geniculis pluribus ab infertione petiolorum conjugatorum refiduis inftructus. Folia radicalia atque caulina inferiora in planta florente vix unquam confpiciuntur, loci natalis humiditate diu antea confumpta: media fuboppofita petioloque brevi inftructa conjugataque: fuprema caulis atque ramorum alterna, feffilia; lanceolata omnia, acutiufcula, erectopatentia, bafin verfus attenuata, integerrima, margine atque dorfo præprimis fcabriufcula, villofula, læte viridia, unciam unam plus minus longa, lineas tres aut quatuor lata. Pedunculi teretes, filiformes, erecti, fcabri, folitarii, ex axillis foliorum prodeunt, florem unicum apice fuftinentes, lineas tres quatuorve longi. Flos Myofotis Scorpioidis, grati, cæfii aut vivide cærulefcentis coloris, circulo ex albo flavoque vario faucem ambiente: fed hic illo nonnihil minor eft, utpote diametro vix lineam æquans. Corollæ monopetalæ & fubinfundibuliformis limbus quinquefidus, planus: fegmentis ovatis, obtufis, integerrimis; tubo breviffimo, cylindrico, albido, fed faucis rictu prominentiis quinque pufillis, flavefcentibus & apice fuo conniventibus occlufo. Calycis pentaphylli foliola ex ovato lanceolata, acuta, integerrima, margine præprimis apiceque villofa, afpera, in planta florente lineam dimidiam longa, lineæ quadriante anguftiora, in fructefcente turgefcentibus

fe-

ſeminibus duplo & triplo omni dimenſione majora. Stamina quinque: filamenta breviſſima, vix ulla, albida, corollæ tubo inſerta. Antheræ flavent. Stylus filiformis, albidus, ſtamina longitudine æquat: ſtigmate obtuſiuſculo, emarginato. Semina quatuor, ſubrotunda, ſuperne depreſſo-plana, medio excavata, baſi convexa, rotundata, obtuſa, latere interiore ſtylo adfixa, glaberrima, fuſca. Merito huic plantæ omnes illi characteres diverſis generibus proprii competunt, quos Linnæus *Hort. Cliffort. pag.* 47. in adfini hujus generis ſpecie Cynogloſſo Omphalode conjunctos obſervari aſſerit: *Ergo hæc planta e fructu Cynogloſſum, e flore Heliotropium, e caule & petiolis Myoſotis, & foliis e tempore florendi Pulmonaria dici poſſet.*

II.

ACROSTICHUM MARANTÆ.

Acroſtichum frondibus ſubbipinnatis: pinnis oppoſito-coadunatis ſubtus, hirſutiſſimis, baſi ſubdentatis. *Linn. ſyſt. pag.* 929. *Allion. flor. ped. vol. II. pag.* 288. *num.* 2416.

Acroſtichum pinnis ſubtus pinnatis ſquamoſis obtuſis: baſi utrinque appendiculata. *Hall. hiſt. III. pag.* 17. *num.* 1715.

Lonchitis mollior foliis Ceterach hiſpanica. *Barrel. ic.* 857. & 858.

Lonchitis aſpera Marantæ. *Camer. epit. pag. 666. Bauh. hiſt. III. pag.* 745.

Lonchitis altera Maranthæ. *Cluſ. hiſt. pag. CCXII.*

Perquam rara in Bohemia filix, ac non niſi rupium abruptarum, fereque inacceſſarum heic incola. In arce diruta altiſſima Tollenſtein Luſatiæ contermina: in monte Kleis, parte ſoli meridiano obverſa & præcipite,

A 3 cum

cum Aſtere alpino & Galio Bocconi: nec non in rupibus horridis pago Kaurzimeg ditionis Fürſtenbergicæ vicinis ad ripas Beraunæ fluvii. Serius & in Styria, ubi venerabilis Cluſius olim legebat, in valle alpina Seewieſen & infra Afflenz non raram vidi: ubi ex regionis alpinæ ſitu atque indole multo magis manſueſcit, atque ad humiliora loca deſcendit. Fibræ radicis innumeræ petrarum fiſſuris, modica terra repletis, adeo arcte inhærent, ut non raro evulſu valde difficilis ſit: ipſæ teretes, capillares, ſerpentinæ, ſubin ſatis longæ, duriuſculæ, ex fuſco nigricantes, ſuperne arcte cohærentes ſibique diverſimode intertextæ. Ceſpes hinc communiter ſatis denſus aſſurgit ſtipitum, ex eadem radice, ſquamas inter plurimas nigricantes atque marcidas priorum annorum reliquias: & hi ima baſi modice reclinati, hinc vel oblique adſcendunt, vel recta eriguntur, tenues, ſubflexuoſi, palmares, ſemipedales aut dodrantales, id quod tamen rarius: hinc per totam longitudinem modice depreſſo-canaliculati, illinc rotundati, baſi glabri & ruſeſcentes, verſus ſuperiora lanugine denſa ferruginea aut albeſcente obſiti. Rigidulus ac duriuſculus habitus & in ſtipite, & in ipſis frondis pinnulis dominari amat. Frons ipſa circumſcriptione lanceolata comprehenditur, plana cæterum, duplicato-pinnata, aut ſubbipinnata potius, unciarum trium, quatuorve longitudine, dupla & tripla minore latitudine. Foliolorum paria primaria a ſe invicem diſtincta, numero circiter ſeptem octove: hæcque oppoſita aut ſubalterna, ſeſſilia, lanceolato-oblonga, obtuſiuſcula, ſubpinnata, aut pinnatifida, facie ſaturatius virentia, glabra aut pubeſcentia, dorſo pallidiora, atque undique ſed nervo & margine præprimis ſquamis furfuraceis, rubiginoſis tecta, unciam unam plus minus longa, lineas tres, quatuor lata, nec ſterilibus dicta rubigine liberis. Ima foliola reliqua magnitudine ſuperant, quo altiora eo minora ſenſim evadunt, ut ſuprema integerrima aut obiter ſolummodo crenata inter ſe confluant. Pinnæ foliolorum itidem alter-

næ

næ oppofitæque, oblique coadunatæ, oblongæ, obtufæ, per oras manifefte ferratæ aut crenatæ: omnibus quidem, fed extremis in integrum fere cum nervo confluentibus. Acervulorum feminalium in planta juniore, fed jamjam fructefcente, tria diftincta paria longitudinaliter cujusvis pinnulæ dorfum occupant, per fcrobem ferrugineam difperfa, ut facile incautus ad Polypodia amandaret. In adultiore vero hi acervuli orbiculares atque ferruginei adeo coacervantur, ut in integrum averfam frondis paginam tegant. Per ætatem tandem planta in calidis rupibus hofpitans, folis ardore adufta adeo crifpatur, ut cum difficultate agnofcas: & ex fimilibus fpeciminibus icones Barrelieri 857. & 858. defumptas, verofimile eft.

III.

CAMPANULA BONONIENSIS.

Campanula foliis ovatis lanceolatis fubtus fcabris feffilibus, caule paniculato. *Linn. fyft.* 14. *pag.* 207. *Linn. mantif.* 337. *Allion. flor. ped. num.* 409.
Campanula caule erecto ramofiffimo: foliis ovato - lanceolatis fubtus tomentofis: petiolis multifloris erectis. *Hall. hift. vol. I. num.* 689. *pag.* 306.
Campanula foliis lanceolatis ferratis alternis: floris thyrfo fpicato, & ad bafim ramofo. *Seguier. veron. vol. I. pag.* 176.
Campanula feu Cervicaria Bononienfis flore parvo. *Bauh. hift. vol. III. pag.* 806. *Morif. hift.* 2. *pag.* 461. *fect.* 5. *tab.* 4. *fig.* 38.

Edita, aprica faxofaque montium loca amat Campanularum Bohemiæ indigenarum non vulgatiffima, & Baldi montis in agro Veronenfi Helve-

tiæque vera civis: frequens in Montis alti (*Wisoka hora*) prope arcem Carlftcin afpero cacumine, qua Beraunam urbem refpicit. Radix ei perennans, fubfufiformis, teres, ramofa, fublignefcens, intus forisque alba, fibris teretibus craffiufculis aucta pluribus. Hæcque annuatim ut plurimum unum, vel & plures promit caules, verbafco nigro fimiles, erectos, cubitales aut bipedales, teretes, rigidiufculos, fubftriatos, fcabriufculos, tomentofos, purpurafcentes, nunc fimpliciffimos, alias ab ipfa bafi, aut quod frequentius in medio alternatim in ramos plures, cauli fimiles, divifos. Folia in caule alternantur fat copiofa, feffilia, caulem fubamplexa: & illa lanceolata, aut ex lanceolato ovata, bafi fubcordata, acuta, per oras inæqualiter & obtufe ferrata, erecta, caulique fubin arcte adpreffa, rigidiufcula, facie læte viridia pubefcentia, dorfo albo denfoque tomento incana, attactu mollia, a duobus ad quinque pollices longa, pollicem unum, fæpe duos lata. Superiora ut fenfim rariora, ita magnitudine magis magisque decrefcunt, ut illa quæ floribus contigua, minima fint, attamen lata bafi caulem amplexantia, fub-conduplicata, femipollicari aut pollicari longitudine. Florum fpeciosorum violaceorum aut dilute cærulefcentium racemus ut plurimum unilateralis, laxus, caulem ramosque, fi qui adfint, terminat, pollices quinque & ultra femipedem fubinde longus. Pedunculi infimi ex alis fupremorum foliorum egrediuntur, in alios minores communiter duos aut tres fubdivifi, totidemque flores fuftinentes: fuperiores folitarii, indivifi, uniflóri, fenfim minores: omnes erecti, teretes, tomentofi bracteaque lanceolata aut lineari breviffima feffili fuffulti. Calycis breviffimi profundeque quinquefidi fegmenta lineari-lanceolata, acuta, erecta aut fubinde reflexa, hirfuta, corolla triplo & quadruplo breviora, lineas duas longa, vix lineæ dimidium lata. Corolla ex minoribus hujus familiæ, violacea, ex bafi anguftiore fenfim dilatatur, atque diametro lineas tres quatuorve æquat. Limbi

bi ſemiquinquefidi ſegmenta ovato-lanceolata, acutiuſcula, linea ſaturatiore per medium diviſa: fauce glabra. Antheræ corolla duplo breviores, lineari-oblongæ, flavæ. Filamenta capillaria, albida, villoſa, baſi dilatantur. Stylus cylindricus, albidus, longitudine corollæ, ſuperne craſſeſcens, ſubvilloſus. Stigma bifidum, etiam trifidum, revolutum.

IV.

ANDROSACE OBTUSIFOLIA.

Androſace foliis glabris lanceolatis, obtuſiuſculis integerrimis: calycibus angulatis pubeſcentibus corolla minoribus: involucri foliis breviſſimis. *Allion. flor. ped. tom. I. pag.* 90. *num.* 326. *tab.* 46. *fig.* 1.

Androſace glabra, obtuſo folio, umbellifera. *Allion. ſpec. botan. pag.* 22. *tab.* 4.

Aretia foliis ellipticis lanceolatis glabris, ſcapis umbellatis. *Hall. hiſt. tom. I. num.* 621.

Copioſam alunt herbida, nedum ſumma, alpium Judenburgenſium juga cum Androſace Wulfenio, ænigmatum botanicorum oraculo, Chamæjasme dicta (quam diverſiſſimam ab *A.* villoſa Linnæi, perquam erudite demonſtravit, utut plures Botanici antea longo tempore unam eandemque plantam crediderint) ſi ex Seethal verſus *das ſcharfe Eck* proceſſeris, cum Primula glutinoſa, Gentiana bavarica, Cortuſa Matthioli & Saxifraga oppoſitifolia. Neque a Secavienſibus alpibus & illis, quas in eodem itinere peragravi, *in der Gail* & *Waſſerberg* dictis, exulat planta, perquam rara cæterum alibi. Radice gaudet gracili, attamen perennante, ſubhorizontali aut oblique deſcendente, pennæ columbinæ craſſitie, teretiuſcula, ſquamulis

foliorum ſuperiorum annorum tabidis fuſcis operta, atque in fibras paucas teretes albeſcentes, & has fibrilloſas ſenſim magis magisque attenuata. Folia communiter plurima ex eadem radice prodeunt, in unum aut plures faſciculos collecta, ſuper ſe mutuo imbricata atque undique in orbem ſparſa: craſſiuſcula hæc ſunt, ſubpulpoſa, lanceolata aut elliptica, obtuſiuſcula, integerrima, deorſum veluti in petiolum ſenſim anguſtata, ſuperne læte viridia, dorſo pallidiora: utrinque glabra aut frequentius etiam ſuperne pubeſcentia, marginum oris ſubpiloſe ciliatis, ab uno ad ſesquipollicem plus minus longa, lineas duas aut tres lata. Inter ea folia ſcapus nunc unicus, alias tres, & plures adhuc prorumpunt, recta aſſurgentes, ſubflexuoſi, ab unciis duabus ad ſex alti, teretes, filiformes, aphylli, læte virides, glabri nec non quandoque villis brevibus albidis undique obſiti, umbella foliorum depauperata terminati, florum ſcilicet a tribus ad quinque, rariſſime ſex. Involucri in ſummo vertice foliola numero totidem quot umbellulæ radii, breviſſima, erecta, lanceolata, acuta, ſeſſilia: foliola alia his adhucdum minora ad baſim florum pedunculis interjecta. Pedunculi erecti ſibique adproximati, altitudine inæquales, pollicem dimidium aut ſesquipollicem ultra involucri folia eminent, ipſi ſubinde pollicares, vel bipollicares, latere uno compreſſiuſculi, villis albidis breviſſimis, uti ſcapus, pubeſcentes, coloris ex albo virentis aut purpuraſcentis, apice unicum florem ſuſtinentes. Calycis monophylli, ovato-campanulati, ſemiquinquefidi baſique ſubquinquangularis, ſegmenta lanceolata, acuta, erecta, glabra aut ſubhirſuta, apice dorſoque profundius virent, baſi vero ex viridi flavicant, corollæ ſegmentis cæterum minora. Corollæ monopetalæ atque hypocrateriformis tubus ovato-cylindraceus, ex albo flaveſcens, calycem non ſuperans: limbus planus, quinquepartitus; ſegmentis obovatis, obtuſis, integris aut levius ſubinde emarginatis, albidis, ſed verſus faucem leviſſime purpuraſcentibus, li-

neam

neas duas longis: fauce ipſa luteola atque ſquamulis quinque protuberantibus coronata, anguſtataque. Stamina quinque tubo corollæ inſerta: filamenta breviſſima, vix ulla, capillaria, alba: antheris oblongis flavis. Stylus filiformis tubum corollæ æquans, albus. Stigma capitatum obtuſum: germen ſubrotundum in calycis fundo. Capſula unilocularis, angulata, quinquevalvis: valvulis ovato-lanceolatis acutis apice dehiſcentibus. Semina plura, a quinque ad decem, reniformia, compreſſo-plana, ex fuſco nigricantia.

V.

GALIUM BOCCONI.

Galium caulibus proſtratis, diffuſis, quadrangulis, ſubalatis, ramoſis: foliis ſenis, linearibus, mucronatis, ſubaſperis: pedunculis ſubtrichotomis. *Allion. flor. ped. num.* 24. *pag.* 6.

Galium caule anguloſo, foliis ſenis ſubaſperis ariſtatis. *Hall. hiſt. tom. I. num.* 715.

Rubeola alpina ſaxatilis tenuifolia. *Scheuchz. it. alp.* 2. *pag.* 140. *Boccon. muſ. pag.* 145. *tab.* 101.

Primis itineribus, quæ Floræ ſacris addictus in altiores patriæ meæ montes ſuſcepi, refero plantam, quæ mihi, ſexualis ſyſtematis aſſeclæ, jam tum nova videbatur, dum in Galii Aſperulæque Linnæi cenſu haudquaquam mentionem ejus factam invenirem: nota diu Botanicis alpinis Hallero, Scheuchzeroque, egregieque ab iisdem jam dudum adumbrata, & nuper tandem ab Illuſtriſſimo Allionio in Pedemontanarum ſtirpium hiſtoria publici juris facta, grata inventoris memoria. Rupeſtri atque ſaxoſo alpium ſolo

fere unice quærenda, nec nonnisi perquam rara montium altissimorum hospes. Attuli ex Sudetis montibus, qui Bohemiam a Silesia separant; & præprimis ex celsissimo eorum jugo (*die Schneekappe* vulgo dicto) sat copiosa ejusdem specimina legi: iterum in montis Kleis rupestri cacumine inter Heyde oppidum & Röhrsdorf: denique eadem abundare vidi Schneeberg Austriæ inferioris, nec non pleraque alpium Styriacarum juga. Miror tamen summopere isthic adeo longe prætervisam lynceis Austriæ Botanicis. Altius ejus radix intra angustas petrarum rimas descendit, perennis, bi-& tripollicaris, æquabiliter teres, utut gracilis, vixque pennæ columbinæ crassitudine, tamen dura, sublignescens, foris cum rubedine aliqua fuscescens, intus alba, fibris hinc inde rariter sparsis concoloribus aucta. Eadem multicaulis quam maxime cum sit, densum cauliculorum cespitem ad telluris superficiem fundit: graciles hi in suo exortu, filiformes, infima sui parte perennantes atque ad unum sæpe duos a radice pollices una cum foliis superiorum annorum aridi, scariosi, fragiles, fuscescentes aut straminei. Emortuæ horum summitates quotannis iterum reviviscunt, indeque caules totidem herbacei enascuntur, toti quanti per terram strati, atque quaquaversum decumbentes, ipsis radicalibus atque perennantibus cauliculis multoties crassiores, longioresque, utpote a duobus, tribus pollicibus, ad semipedale sæpe intervallum in longum extensi: debiles cæterum iidem, atque rarius e procumbenti paululum erecti, glabri, fragiles, læte virides, subtiliter striati, e copiosis articulati geniculis, indeque internodiis alterne quadranguli, alis prominentiusculis: superne ramosi: ramis solitariis, suboppositisque, brachiatis, erecto-patentibus, axillaribus, subelongatis, diffusis, & ipsis superne divisis, subtrichotomis. Verticilli foliorum pro solito more gentis articulorum a se invicem inæqualiter remota genicula vestiunt; foliis ut plurimum senis, sed numero a senis ad novem usque mire variantibus compo-

positi: quæ linearia, angusta, erecto-patentia, apice paulo latiora, mucroneque brevi albido instructa, qua nota sese manifeste a pluribus congenerum distinguit, glabra vero, aut rarius inferne, præprimis inferiora, subaspera, utrinque læte viridia, subtiliter striata, rigidula, a dimidio ad integrum pollicem sæpe longa, lineam unam circiter lata: suprema bina aut terna pedunculis florum subjiciuntur, brevissima, prioribus vero quoad cætera simillima. Flores caulem ramosque terminant, albi aut rarius aquose rubelli, pedunculis suffulti subæqualibus, erectis, filiformibus, lævibus, subangulatis, subtiliterque striatis, ternis ut plurimum ex supremi verticilli axilla egredientibus: iisdemque nunc simplicibus, trifidis umbellaribus, alias ramosis, repetito dichotomis trichotomisque. Corolla supera, monopetala, quadripartita: segmentis lanceolato-ovatis, acutis, planis, patentibus: tubo brevissimo. Filamenta capillaria, albida, segmentis corollæ, ex quorum interstitiis prodeunt, breviora, patentia: antheris luteolis, subglobosis. Stylus filiformis, erectus, albus, bifidus, longitudine staminum: stigmata duo, revoluta, capitata: germen inferum, ovatum, didymum. Semina subrotunda, nigricantia, glabra.

VI.

GENTIANA FRIGIDA.

Gentiana corollis quinquefidis, campanulatis, terminalibus, sessilibus; foliis obtusis, radicalibus lineari-oblongis, caulinis lanceolatis; caule subbifloro.

Horrida abruptaque alpium Secaviensium Styriæ superioris præcipitia, & quæ inde in diversas mundi plagas excurrunt, juga incolit, Gentia-

narum alpinarum longe quam editiſſima ſimulque rariſſima. At nuspiam frequentiorem facile legeris, quam ſi ex valle Innering ſupra Waſſerberg, per aqum torrens alpinus ejusdem nominis ſe cum impetu præcipitat, in Hellthal aſcenderis, indeque anheloſo itinere ſumma alpium cacumina, caſis paſtoritiis (*in der ſchönen Ebene*) adſita, petieris, Julio menſe iſthic poſt nivis deliquium florentem. Nequaquam ego ſtirpis perquam raræ primus inventor: & Carpatus mons eandem alit, unde plures ante annos beatus Lipp rei herbariæ peritiſſimus attulerat. Deinceps & ab Illuſtri Jacquinio eodem loco lecta: ſed altum hucusque de ea ſilentium, nec apud veteres, quantum novi, ejus extat memoria. Radix ei perennans, oblique aſcendens, gracilis, bi- & tripollicaris, utcumque teres, ſed geniculis nodulisque per intervalla aucta pluribus: e quibus fibras perquam copioſas, longiſſimas, teretes, perpendiculares, verticillatim ſubinde egredientes, demittit, verſus ſuperiora a tabidis imbricatisque albido aut flaveſcenti pellucentibus petiolorum præteritorum annorum exuviis, craſſeſcens: coloris cæterum ut & fibræ dilute flaventis, ſapore vero intenſe amaro, diu inhærente. Eadem nunc ut plurimum ſimplex, caulem ſolummodo unicum edit, aut multiceps plures, numeroſos inter foliorum faſciculos, intricatis duntaxat atque accumulatis plurium caulium radicibus, ut ceſpites exigui non raro inde exſurgant: erecti hi ſunt ſatisque pro puſillo plantæ habitu firmi, bi-aut ad ſummum triunciales, ſæpe adeo humiles, ut caulem vix ullum, floresque vere acaules, Gentianæ acaulis in morem dixeris: glabri cæterum iidem, angulati, ſubtiliter ſtriati, geniculo uno alterove modice ad foliorum conjugationes incraſſati, ex flavo virides, ſtriis hinc inde purpuraſcentibus picti, in ſummitate binos ut plurimum flores, rarius unum, rariſſime vero tres ſuſtinentes. Folia caulina bina & bina oppoſita, patentia, baſi connato-ſeſſilia, lanceolata aut ex lanceolato linearia, obtuſa, margine integer-

rima

rima aut rarius ſubundulata, craſſiuſcula, ſubcarnoſa, utrinque glabra atque ſaturatius virentia, pollicem unum plus minus longa, lineas duas ſæpe tres lata: ſuprema eorumdem paria, ſibi approximata, calycibus florum immediate ſubjecta. Radicalia vero, atque illa in faſciculis, caulem ima baſi veſtientibus collecta, numero varia; in orbem expanduntur, vereque linearia ſunt, aut ex lineari oblonga, itidem obtuſa, in petiolum ſenſim attenuata, atque inde in vaginas illas aridas ſubdiaphanas, imbricatim imo cauli incumbentes abeuntia: caulinis cæterum excepta longitudine ſimilia, pollices duos etiam tres longa, lineam unam & dimidiam, ſæpe duas lata. Flores terminales bini ut plurimum e ſinu ſupremorum foliorum prodeuntes, pedunculo omni deſtituti, majuſculi, erecti. Calyx tubuloſo-cylindraceus, erectus, corolla duplo brevior, ore ſuo in ſegmenta quinque dividitur erecta, lanceolata aut linearia, acutiuſcula, integerrima, glabra, una cum toto calyce craſſiuſcula. Corolla perſiſtens, tenuis, papyracea, ſubdiaphana, Gentianæ punctatæ adinſtar, albida, ſed punctis rariter ſparſis ſtriisque ab apice fuſceſcente ad ipſam baſim usque decurrentibus, cæruleſcentisque coloris variegata, duorum fere pollicum longitudine, diametro vero lineas tres, quatuor, circiter æquans: ad formam vero quod attinet ea ex baſi anguſtiore tubuloſa ſenſim in ventrem ovato-cylindraceum utcunque campanulatum dilatata, tandem in limbum panditur angulato-plicatum, rugoſiuſculum, quinquefidum: ore patulo, glabro, imberbi: ſegmentis erectis lanceolato ovatis, acutis, latere uno rotundatis, dente ſingulis minore acutiuſculo alternatim interjecto. Stamina quinque: filamenta ſubulata, baſi dilatata, internoque parieti in corollæ fere medio adfixa, aquoſe cærulea ſunt, corollaque breviora. Antheræ breves, oblongæ, erectæ, apice ſubconniventes, flavent, ſtyli longitudine. Germen ovato-oblongum pedunculo ex fundo corollæ enato tereti, ſenſim magis magisque matureſcentibus ſemini-

bus

bus incraſſato elongatoque inſiſtit, ſuperne vero in ſtylum cylindricum breviſſimum tandem bifariam dehiſcentem abit: ſtigma craſſiuſculum orbiculato-capitatum, ætate una cum ſtylo in duas partes ſecedit, extrorſum revolutas, ut bicorne demum appareat. Capſula ex ovali oblonga, acuminata, glabra, unilocularis, bivalvis, ſuccreſcentibus ſeminibus ultra corollæ faucem exſerta, atque ad unam tertiam, ſæpe & dimidiam longitudinis ſuæ partem, dehiſcens. Semina angulato-ſulcata aſpera ſuſca.

VII.

LEONTODON CROCEUM.

Leontodon foliis lineari-lanceolatis, acutis, retrorſum dentatis, ſuperne ſubhirſutis: ſcapo lævi; calyce erecto, ovato, hirſuto: flore croceo.

Prima fere gratas inter ſtirpes fuit quæ me ſalutarent, dum inter anhelitus anteriora alpium Judenburgenſium juga, Valerianæ Celticæ ſedem, & Cluſio olim viſa, ſuperaſſem. Et cujus obſervatoris oculos vel non eminus planta rariſſima floris ſui elegantia percuteret? Paſcua aprica arida alpium amat, media rariſſimas inter alpinas ſtirpes, Rhododendra puto, Veronicam bellidioidem, *Avenam Scheuchzeri*, Hypochærim helveticam & complures alias, quas recenſere loci anguſtia vetat; heic locorum ſat frequens, at nuſpiam alibi deinceps in toto itinere obvia. Dubius hærebam diu ad Hieraciane, an Leotodontis inter ſpecies referrem, familias affinitate naturali ſibi adeo arcte nexas, ut perquam ægre inter complures utriusque ſpecies diſtinguas. Rebus tamen omnibus rite penſitatis, plura ſuaſere, ut rectius ad alterum ablegaverim. Perenni obliqua aut ſubinde horizontali nititur radice:

dice, fimplici, craffiufcula, fubpræmorfa, cortice inæquali faturate fufco extus veftita, albida intus, quæ undique fibras copiofas, teretes, craffiufculas fimplices, fatis longas, funiculorum adinftar perpendiculariter in terram demittit, fuperne marcidis prioris anni reliquiis foliorum cincta, faporis leviter amaricantis. Scapus, qui ea de radice folitarius femper, plura inter folia radicalia recta attollitur, teres eft, & femipedem nec non novem & ultra pollices fubinde æquat, fiftulofus cæterum, ftriatus, glaber, læte viridis, aphyllus, aut quod rariffimum foliolo uno alterove lineari breviffimo veftitus, verfus fummitatem fub ipfo calyce tantillum incraffatus, tumidiusculus, ibidemque molli & nigricante villo hirfutus, uniflorus. Folia radicalia in diverfis fpeciminibus figura mire ludunt: ut plurimum tamen lanceolata funt aut ex lanceolato linearia, acuta, margine inferiore retrorfum dentata, atque in petiolum fcapi bafi obvolutum, fubamplexicaulem, albidum fenfim magis magisque attenuata, læte viridia, glabra, aut fuperne nervoque in obverfa pagina hirfuta, uncias quatuor circiter longa, lineas totidem fere lata; fed neque raro eadem confpexeris anguftiffima, vere lanceolato-linearia, margine fubintegerrima aut perquam obfcure denticulata, glabra fuperne aut pubefcentia, ut ægre ejusdem plantæ folia crederes. Flos terminalis, fpeciofus, diametro fuo unciam unam & dimidiam, fæpe duas æquat: ea tinctus flavedine, quæ croci extracto propria, quo grato colore, eoque vel folo a reliquis hujus familiæ fpeciebus diftinguas & primo intuitu. Calyx ovatus duplici foliolorum laxe imbricatorum fed inæqualium ferie componitur, fub florefcentiæ tempore infigniter patens: foliola hæc lineari-lanceolata, obtufiufcula, integra, parallele fibi incumbunt, atque hirfutie nigricant, margine apiceque albida, fcariofa, lineas tres, quatuor longa, vix lineæ dimidium lata. Squamæ non raro aliæ accefforiæ præter extima calycis foliola, bafim illius augent. Corollæ ligulæ copiofiffimæ in or-

bem patent, atque foliola calycis longitudine multo fuperant: ipfæ lineares, ftriatæ, croceo colore utrinque æquabiliter tinctæ, apice fubconniventi denticulis quinque quam minutiffimis notatæ: inferne vero in tubum tenuem filiformem albidum villofulum attenuatæ, una cum tubo pollicem dimidium, lineas feptem, & ultra longæ, lineam unam latæ. Filamenta capillaria, breviffima ex tubi fauce enata, ligulis corollæ pallidiora: antheris in cylyndrum connatis, pallide flaventibus. Stylus filiformis, antherarum longitudine: ftigmate exferto, bifido, revoluto, ejusdem cum ligulis coloris. Receptaculum nudum, planum. Semina oblonga, fufca, glabra, ftriata, pappo coronata feffili plumofo, ipfis feminibus longiore.

VIII.

SAXIFRAGA AUTUMNALIS.

Saxifraga foliis caulinis linearibus alternis ciliatis: radicalibus aggregatis. *Linn. fyft. pag.* 413. *Allion. flor. ped. tom. II. pag.* 70. *num.* 1525. *Scopol. flor. carn.* 2. *pag.* 293. *tab.* 14. *num.* 493.

Saxifraga foliis ellipticis ciliatis, caule fimplici foliofo paucifloro. *Hall. hift. tom. I. pag.* 417. *num.* 971.

Saxifraga foliorum margine ciliari, floribus luteis maculofis. *Seguier veron. fuppl. pag.* 200.

Saxifraga anguftifolia autumnalis, flore luteo guttato, foliis florum magis acuminatis. *Breyn. cent.* 106. *tab.* 48.

Sedum minus, flofculis luteis vel croceis, fplendidis maculofis pulcherrimis. *Gesn. mont. fract. pag.* 64.

Sedula montana pulchra. *Gesn. oper. Schmied. curant. mas & femina. tab. append. fig. IV.*

Se-

Sedum alpinum floribus luteis maculofis Cafparis Bauhini *Scheuchz. it. IV. p.* 341.
Sedum minus alpinum luteum noftras. *Raj. hift.* 2. *pag.* 1042.

Nil frequentius hac planta in Styriæ fuperioris, Carinthiæ, Tyrolisque conterminæ alpibus: ut fpeciatim alpes enumerare non attineat. Denfiffimis vero eadem cefpitibus inveftit fontium fcaturigines, aliaque in alpibus humida loca: nec non rivulorum ad latera alpium cum fufurro delabentium fequitur margines, cum quibus & in ipfas glareas alveosque fluminum planitiei tranfit. Inde præter plures alias fumma ejus frequentia ex delatis a vicinis alpibus feminibus, in arenofo Ifolæ Dravique alveo, atque in infulis utriusque longe fupra infraque Leontium. Ea quæ flavo atque pallido flore eft, ubique vulgatiffima, at elegans ejusdem varietas fature flavo ac aurantiaco flore in editioribus alpium folummodo obvia, nonnihil rarior. Radix ei filum perennans, horizontale, fatis longum, lentum, tenue, & cauliculis ipfis, qui copiofiffimi inde enafcuntur, tenuius anguftiusque, fimplex nunc, ramofum alias, fed nodulis hinc inde conftanter interruptum, fquamulisque brunnei aut nigricantis coloris undique opertum. Caulium inde denfa confertaque feges: atque hi ima bafi omnes ad pollicis unius aut duorum intervallum modice procumbunt, inde afcendunt fimpliciffimi, pollices quinque aut fex alti, teretes, cum virore flavefcentes, toti quanti glabri, aut quod rarius leviffime hirfutuli, foliisque fatis denfe veftiti. Radicalia plantæ, dum floret, atque his proxima caulis imi procumbentis folia vel defiderantur penitus, utpote loci natalis humiditate confumpta, aut fi adfint exfucca, arida, fcariofa, fufco-brunnea: quæ fequuntur fparfa confertaque magis, fed breviora: laxiora reliqua illis fuperiora atque alterna: feffilia vero omnia, linearia, aut ex lineari lanceolata, acuta, plana, erecto-patentia, craffiufcula, fubpulpofa, fedorumque foliis æmula, pollicem unum

plus minus longa, lineas duas aut paulo latiora, læte aut ex flavo viridia glabra, integerrimo, nec non ſubdenticulato ciliatoque margine. Flores in ſummitate caulis flavi, fulvo punctati, aut in editioribus alpium locis toti quanti flavo-aurantiaci, ſubpaniculati: in ramulis aut pedunculis potius, alternis, axillaribus, teretibus, erectis, plus minus pollicaribus, glabris aut leviter pubeſcentibus, ſubbifloris, uniflorisque, nec non, ſed perquam raro, trifloris. Pedunculi hi laterales breviſſimi lineæ unius aut duarum longitudine, ad baſim bractea lineari breviſſima ſuffulciuntur: alia huic ſimilis, & duæ nonnunquam in pedunculi medio, atque paulo infra calycis baſim conſpiciuntur. Calycis ima ſui parte cohærente germini adnati, ſuperi atque quinquepartiti ſegmenta cum petalis paulo longioribus alternantur: ipſa, ex lanceolato-ovata, acuta, erecto-patentia, craſſiuſcula, glabra, dorſo ex atro viridia, lineas duas cum dimidia circiter longa, linea una qua latiſſima anguſtiora. Petala quinque æqualia patent: hæcque ex ovato-oblonga, obtuſa, integra, plana, calycis foliolis paulo longiora, ſed iisdem tantillum anguſtiora. Filamenta decem, erecta, ſubulata, baſi paululum dilatata, aquoſiſſime flava, petala longitudine æquant: antheris ovatis aut ſubrotundis, polline aurantio adſperſis. Styli duo, breviſſimi, fere nullos dixeris, erecti, glabri, teretes, atque ex flavo virentes. Stigma ſimplex, obtuſiuſculum. Germen inferum imæ calycis parti adnatum ex baſi circulari continua in capſulam denique abit ex ovato-conicam, roſtrato bicornem, ultra calycem ſenſim ſenſimque productam, bivalvem, unilocularem, atque ſeminibus multis fœtam.

IX.

IX.

GNAPHALIUM NORVEGICUM.

Gnaphalium caule herbaceo ſimpliciſſimo, foliis lanceolatis utrinque acutis trinerviis ſubtus lanuginoſis: ſpica florum terminali denſa folioſa. *Oeder. flor. dan. tab.* 254. *Flor. norveg.* 841. *Flor. island.* 9. *Retz. prodr. flor. ſcandinav. num.* 902.

Nequaquam eadem eſt planta, quod in tanto auctorum conſenſu longe ſuſpicabar, cum Gnaphalio ſylvatico Linnæi; utpote altioris longe ſedis incola, nec nonniſi in herbidis ſummarum alpium obvia, dum illam Linnæi prata montoſa ſylvatica, in quibus abundat, vix unquam deſeruiſſe atque excelſa illa loca, frigido vento perflata petiiſſe meminerim. Sed & aliæ non minoris ponderis notæ diſcriminis præter natales alpinos ſuperſunt, quæ diverſas ſtirpes ſatis manifeſte evincunt. Oedero inventionis gloria debetur, qui primus in flor. dan. tab. 254. ceu novam propoſuit, ex Norvegiæ primum, tandem & Islandiæ alpibus allatam, & ibi ſolummodo ſeveriori alpium climati adſuetam. An Oedero ſylvaticum Linnæi Gnaphalium in toto ſeptentrione vulgatiſſimum incognitum fuiſſe ſuſpicari licet? Profecto etiam atque etiam dubito, ac proinde non poſſum non Linnæo, atque βοτανικοτατῳ Hallero caris mihi & ſumme venerandis magiſtris, lites ſuſcitare, quod uterque Oederi iconem ad Gnaphalium ſylvaticum retulerit. De Hallero id eo magis mirandum, dum ille Oederi ſtirpem certo certius ante oculos habuit, quando deſcriptioni Filaginis ſuæ Nro. 148. in fine addit: *foliis ſe ad decem lineas latis in M. Gotthardo reperiſſe, & in M. Fouly floribus nigerrimis in ſpicam congeſtis vix triuncialem.* An dubitationi amplius locus, de Gnaphalio

Oederi norvegico hæc dicta fuiſſe? Quæ certe minime Gnaphalio ſylvatico, plantæ vulgari conveniunt. Novi perbene, quam Linnæus & illo ſuaſore Scopolius & plures alii recentiores diſtinguant alpinam puſillam Gnaphalii ſylvatici varietatem: etſi & de hac, ſpecie magis, quam varietate differre, mihi potior mens ſit, dum in hortum translata habitum ſuum puſillum minime mutaverit. Aſt plantæ de qua ſermo in ſummis iisdemque alpium jugis, quæ & puſillam illam varietatem alunt, altitudo pedalis, & pedalem ea non raro ſuperat, ut adeo neque ea, quæ de illa varietate dicta ſunt, in plantam meam cadere judicaverim. Ego in Sudetis montibus Bohemiæ legi: poſtea multo copioſiorem in ſaxoſis alpium Secavienſium, Judenburgenſium Styriæ ſuperioris: neque auſtriacæ alpes, & imprimis Schneeberg, copia elegantiaque alpinarum ſtirpium inſignis, eadem deſtituitur. Attulit inde ex primis jam itineribus Clariſſ. Jacquinius & Mygind, atque repetito ſtirpis ſibi novæ viſæ Linnæo communicarunt exemplaria. At hic non raro inſoliti rigoris exemplo, heic ceu novam ſtirpem adoptare noluit, interque varietates (certe memorabiles varietates!) Gnaphalii ſylvatici relegandam ſuſtinuit, dum ex adverſa parte laxa nimis conſcientia hinc inde ex varietatibus minus notabilibus multiplicaret ſpecies. Hac potiſſimum de cauſſa plantam deſcriptione illuſtrandam, peculiarisque ſpeciei honore vindicandam neceſſarium duxi. Perennis ſubhorizontalis præmorſaque eidem radix duriuſcula inæqualis, fuſca aut flaveſcens, fibris copioſis concoloribus perpendicularibus teretibus undique ſparſis firmata: annoſior multiceps, ſquamisque aridis fuſcis aut nigricantibus imbricatis, uti pleræque duriuſculæ alpium ſtirpes perenni radice, ſuperne veſtita. Caulis hinc aſſurgit unicus, ex multicipite plures, plura inter folia radicalia, ſimplices, erecti, pedales & cubitales, fiſtuloſi, attamen firmuli, ſubangulati, lanugine alba denſa undique obſiti. Folia radicalia, quæ in florente planta deſunt ut plurimum,

Plantaginis lanceolatæ foliis quoad figuram valde ſunt æmula: lanceolata, acuta, integerrima, apice calloſa, trinervia, in petiolum longe ſenſim ſenſimque attenuata, facie viridia pubeſcentique incana, dorſo vero denſo alboque tomento undique obducta, attactu mollia, pollices quatuor vel quinque longa, a lineis quinque ad novem aut decem ſubinde lata. Caulina alterna, laxa, erecta, ſeſſilia baſique latiore cauli adpreſſa, lanceolata, anguſta, acuta, duos vel tres pollices longa, lineas tres circiter lata: ſuprema floribus interjecta linearia, anguſtiſſima, radicalibus quoad cætera ſimillima. Spica florum terminalis, denſa, folioſa, ex fuſco nigricans, ſæpe tota quanta atra, ovato-oblonga, obtuſa, bi-& tripollicari nonnunquam longitudine. Flores nunc ſolitarii in axillis foliorum alterni ſeſſiles ſunt, nunc bini ternique, nec ultra, pedunculo eidem breviſſimo tereti inſident, alba atque denſa lanugine inter ſe nexi. Calyces cylindrici erecti, ſquamis compoſiti inæqualibus, imbricatis, ovato-lanceolatis, obtuſis, baſi viridibus, marginibus apiceque nigricantibus ſæpe atris, ſcarioſis, aridis, ſubpellucentibus: harum interiores longiores ſunt, anguſtioreſque, lineas duas circiter longæ. Receptaculum nudum. Semina lineari-oblonga fuſca, pappo ſeſſili piloſo ſeminibus ipſis duplo longiore, coronata. Differre hinc a Gnaphalio ſylvatico ſequentibus notis patet: foliis lanceolatis acutis multo latioribus ad 9, 10 lineas usque, & his trinerviis: caulibus item ſimpliciſſimis nec unquam ramoſis uti ſæpe in ſylvatico, nec iisdem adeo numeroſis confertisque. Spica tandem congeſta brevi, atris calycibus, petiolis bifloris trifloriſque nec ultra: locoque natali ſolummodo alpino.

X.

X.

CARDAMINE PETRÆA.

Cardamine foliis fimpliciffimis oblongis dentatis. *Linn. fyft. pag.* 593. *Flor. dan. tab.* 386. *Hudf. angl.* 254.
Cardamine petræa Cambrica nafturtii facie. *Dillen. hort. Eltham. tab.* 61. *fig.* 71.

Loca faxofa rupeftria amat planta, rupium in montium illa catena a Medling & Brühl verfus Baaden & ultra excurrente, non vulgare veris inter primitias ornamentum. Nec montana editiora loca refpuit, & ipfa alpium faxofa præcipitia fubinde petens. Alpina tamen notis compluribus a planta, humiliora depreffioraque loca inhabitante differt, quas in fequentibus exponere animus eft. Cefpitofe nunquam non crefcit planta, prædita radice perenni, fublignefcente, nunc tereti, alias fubfufiformi, ramofa, multicipiti, tri-quadripollicari, albida aut fordide flavente, fetis copiofis imbricatis adultior a veterum foliorum petiolis fuperne coronata. Caules hæc profert annuatim plures, cefpitis in morem collectos, erectos, palmares, & fpithama plus minus altos, teretes, ftriatos, glaberrimos, bafi leviter purpurafcentes, fuperne ex glauco virides, fimplices utplurimum aut ramulis nonnullis brevibus ex foliorum alis egredientibus auctos, foliisque alternatim veftitos: verum nec ramofiffima defunt plantæ fpecimina, ut prorfus aliam ftirpem crederes. Folia radicalia plurima in orbem patent, atque petiolo latefcente fuperne modice canaliculato, bafi fubciliato pollicis unius aut duorum longitudine, caulis imam bafim arcte amplectuntur: ipfa lanceolata aut ex lanceolato oblonga, obtufiufcula, margine nunc fimpliciter, alias

pro-

profunde atque repando-denticulata, fereque, uti in Sifymbrio arenofo, runcinato-pinnatifida, utrinque glabra, at per oras præprimis ad bafim fub-ciliata, fuperne faturatius virentia, dorfo ex viridi glauca, verfus petiolum aquofe rubella, pollicem unum absque petiolo circiter longa, lineas duas vel tres lata. Caulina alterna, laxa, erecto-patentia, lineari-angufta, ob-tufiufcula, glabra utrinque atque ex glauco viridia, pollicem longa, lineam circiter lata: fuprema feffilia, integerrima, bafim verfus attenuata, inferio-ra vero petiolata cum fubdenticulato margine. Corymbus florum & in cau-le, & in ramis, fi qui adfint, terminalis, ex more gentis primo fatis den-fus, at poftea fenfim in racemum elongatus. Flores fpeciofi, magni, am-pli pro plantæ magnitudine, nivei candoris, pedunculis fuffulti alternis in-æqualibus, longioribus duntaxat inferioribus, teretibus, erectis, glabris, læte viridibus, a linea una ad quatuor longis. Calycis tetraphylli, brevi decidui, foliola erecta, lanceolato-ovata, obtufa, integra, concava, un-guibus petalorum fubæqualia, ex flavo virent, apice fufcefcente: foliolis duobus alternis majoribus bafi prominentibus gibbis. Petala quatuor, ob-ovata, obtufiffima fereque fubrotunda, integerrima, aut fubin margine le-viffime emarginata, plana, patentia, fenfim abeunt in unguem brevem, re-ctum ex viridi flavicantem, calycis fere longitudine, ipfa lineas duas, aut paulo plus, longa, lineam unam aut fefquialteram lata. Stamina fex tetra-dynama. Filamenta fubulata erecta ftyloque adpreffa albida longiora qua-tuor ftylum longitudine æquant, duo reliqua breviora nonnihil: antheræ breves, oblongæ, erectæ, flavæ. Stylus rectus, cylindricus, læte virens, filamentis æqualis: ftigma fimplex, obtufiufculum vel leviffime emarginatum, collo anguftiori. Glandula nectarifera filamenta breviora inter & germen fubglobofa, hyalina. Siliquæ lineares, obtufiufculæ, glabræ, erectæ, to-rulofæ, feminibus copiofis farctæ: valvulis bafi dehifcentibus nec revolutis.

Planta in alpibus lecta priori humilior, magis cespitosa, atque ab ima basi jam multo ramosior: caules profundius striati, hirsuti, sæpeque hispidi: folia nec margine aut petiolo solo ciliata, sed tota quanta hirsuta asperiuscula: flores minores sed copiosiores, atque florum racemus magis elongatus: quoad cætera habitus idem, partium eadem proportio. Minime alienum judico meminisse hoc loco, delendam esse ex syst. plant. Arabim hispidam Linnæi, utpote quæ eadem cum Cardamine petræa mox descripta. Qua auctoritate id asserere liceat, dicam. Austriæ indigenam stirpem Arabim hispidam pronuntiaverat Linnæus in syst. vegetab. 13. edit. pag. 501. & postea in supplement. plant. pag. 298.: at nullus Botanicorum austriacorum præter Clariss. a Mygind plantam unquam vidit, etsi per plures annos eam sollicite quærerent. Dubitatum hinc de plantæ existentia, saltem in terris austriacis: & id jure merito. Nuper tandem dubium omne solvit idem Clariss. a Mygind, qui residua pauca in horto suo sicco plantæ specimina, per quæ & Linnæo innotuerat, disceptantibus nobis benevole communicavit. Et en! quam Linnæus novam inde creaverat plantam, vera fuit Cardamine petræa, nec quidquam veri discriminis inter centena alia plantæ nobis sat vulgaris specimina & illa, ex quibus suam formaverat Arabim hispidam. Cineres veneror Linnæi, aliorumque summorum virorum, per quos profeci adeo, nec quidquam de meritissima eorum laude decedet, quod non præstiterint omnia, quodque in tanta rerum multitudine errores hinc inde leves, atque facile excusabiles commiserint, quos emendare posteris dubiarum plantarum autoptis reservatum.

XI.

SENECIO INCANUS.

Senecio corollis radiantibus: foliis utrinque tomentoſis, ſemipinnatis: laciniis ſubdentalis, corymbo ſubrotundo. *Linn. ſyſt. pag.* 757. *Scopol. flor. carniol. edit.* 2. *tom. II. num.* 1071. *Allion. flor. ped. tom. I. pag.* 200. *num.* 726.

Senecio tomentoſus: foliis pinnatis, pinnis ſubrotundis: umbella globoſa. *Hall. hiſt. tom. I. pag.* 26. *num.* 61.

Jacobæa pumila Abſinthii umbelliferi foliis incanis, floribus velut in umbella poſitis. *Pluknet. phytograph. p.* 194. *tab.* 39. *fig.* 6.

Jacobæa alpina incana minor. *Barrelier icon.* 262. *num.* 1. & Abſinthium pumilum palmatum, craſſo tomentoſo palleſcente folio. *Ejusd. ic.* 881.

Jacobæa pumila alpina comoſa incana. *Boccon. muſ.* 2. *p.* 20. *tab.* 8.

Chryſanthemum alpinum Judenburgenſe. *Bauh. hiſt. II. pag.* 1058.

Chryſanthemum alpinum I. *Cluſ. pann. pag.* 566. & *hiſt. pag.* 333.

Alpium editiorum hoſpita, duris atque ſaxoſis locis. Non Secavienſes vicinæque alpes in der Gail & Waſſerbergenſes, nec pleræque Styriæ ſuperioris alpes ea carent: non editæ Tyrolenſes, quæ Leontium circumquaque ambiunt, Schleinitzenſes, Leibnitzenſes, Michelbachenſes, Marenvaldenſes, & plures aliæ, etſi rariorem, puſillo magis habitu, florumque corymbo magis depauperato, & ſerius multo florentem in omnibus hiſce obſervaverim. Item redux ex eodem itinere in Taurero Rottenmannenſi & Admontenſium alpium confragroſis, horrendisque præcipitiis non absque vitæ diſcrimine ſatis frequentem obviam habui. At nuſpiam copioſiorem

vidi elegantioremque, five caulium altitudine, five divite atque multifloro florum fpeciofornm corymbo fuperbientem, quam in editioribus alpium Judenburgenfium jugis, ut jam olim Joh. Bauhinus particularem plantæ denominationem ab iisdem defumere non dubitaverit, ab alpicolis ifthic *Frauenfpeick* dictæ. Et beatus Scopolius plantæ vifui gratæ fpecimina a Reverend. P. Biwald habuit, in iisdem alpibus lecta, quas floræ cultoribus fatis commendare nequeo, quarumque divitiæ, & dives quoque rariffimarum plantarum præda, anhelitus & itineris non adeo molefti fudores eis fupra modum compenfabunt. Sed ad defcriptionem redeo. Radice nititur perenni, obliqua, aut fubhorizontali, fatis longa, fublignofa, ut plurimum multicipite, ex albo rubella, fibris lateralibus craffis, longis, teretibus, inftar funiculorum defluentibus, albidis firmata plurimis. Caules inde oriuntur annuatim communiter plures, nunc ad perpendiculum erecti, alias bafi modice reclinati atque afcendentes, a pollicibus 5 ad pollices 9 alti, fubangulati, fatisque firmi, fimplices, rarius ramo uno alterove laterali aucti, atque hi undique tomento albo, uti Artemifia Abfinthium obducti. Folia radicalia conferta in orbem expanduntur: hæcque fere a fui medio in petiolum latefcentem, fupra paululum canaliculatum, uncias duas, tres & ultra fubin longum fenfim fenfimque attenuantur: quoad formam obovato-cuneiformia, obtufiffima, fubpulpofa, craffiufcula, tomento albido utrinque incana, profundius incifo femipinnatoque margine: lobis aut laciniis quatuor aut quinque in uno latere, rotundatis, obtufiffimis, nunc fimplicibus indivifis, alias, utut rarius, leviter incifis fubemarginatisve: uncias cæterum eadem absque petiolo tres & quatuor longa, lineas quatuor, quinque vel femiunciam lata. Caulina alterna, laxa, remota, erecta, a tribus ad quinque rarius, petioli bafi dilatata foliacea feffilia, margine quam radicalia profundius in lacinias tenues anguftas lanceolatas acutas & lineares fæpe diffecta: fuperiora duo pau-

paulum ſub ipſo florum corymbo poſita ſolummodo dentata: ultimis tandem linearibus acutis integerrimis patentibus. Corymbus florum terminalis, ſpecioſus, ſubrotundus, florum a quinque ad 15: nec unquam, uti Hallerus meminit, adeo depauperatum vidi, floribus utpote duobus ſolummodo aut tribus. Pedunculi utcunque teretes, erecti, ſimplices, apice unicum florem ſuſtinent, denſa albaque lanugine obvoluti, inferioribus longioribus plus minus uncialibus. Calyx cylindricus, ſimplex, unico ſquamarum ordine: ſquamæ erectæ, lanceolatæ, obtuſæ, utcunque parallele ſibi adcumbunt, dorſo in adultioribus floribus ex viridi incanæ, in minus provectis tomentoſo-albidæ, apice margineque ſuperiore conſtanter ex fuſco nigricantes, decem aut duodecim numero: ſquama acceſſoria erecta linearis acuta breviſſima calycis cujusvis baſim auget. Radii ligulæ a ſex ad octo in quovis flore, patentes, planæ, ea ſaturatiori tinctæ flavedine, quæ Senecionis abrotanifolii floribus propria: & ipſæ obovato-oblongæ, integræ, baſi anguſtiores contractæ, apice rotundatæ, obtuſæ, bi- & tricrenatæ, lineam unam cum dimidia latæ, lineas tres & ultra longæ, tubo tenui cylindrico inflexo albo villoſulo, lineæ unius longitudine inſiſtentes. Stylus ſemifloſculorum teres, capillaris, limbo dimidio brevior, ex albo flavicans: ſtigma bifidum, emarginatum, obtuſiuſculum, ex flavo aurantiacum. Pappus in iisdem ſeſſilis, piloſus, ſeminibus longior. Floſculoſi diſci flores apice quinquefidi, ſubventricoſi, laciniis brevibus ovato-lanceolatis, acutis, ſuberectis, una fere cum tubo anguſtato cylindrico breviſſimo & albo intra pappum latitantes. Filamenta quinque ex tubi orificio enata capillaria alba: antheris in cylindrum connatis ultra florum lacinias productum itidem ex flavo aurantiacum. Stylus tenuis, cylindricus, ultra antheras exſertus, albus. Stigmata duo, revoluta, obtuſiuſcula, coloris ex flavo aurantiaci.

XII.

RUMEX DIGYNUS.

Rumex foliis hermaphroditis digynis. *Linn. ſyſt. p.* 347. *Allion. flor. ped. tom. II. pag.* 203. *num.* 2037. *Oed. flor. dan. tab.* 14.

Lapathum digynum. *Lam. flor. franc. tom.* 3. *pag.* 6.

Lapathum foliis antice emarginatis. *Hall. hiſt. tom. II. pag.* 273. *num.* 1595.

Lapathum acetoſum androgynum, folio orbiculari emarginato. *Hall. helv.* 770.

Acetoſa repens Weſtmorlandica, cochleariæ folio, apicibus nonnihil ſinuatis. *Pluknet. pag.* 8. *tab.* 252.

Acetoſa repens rotundifolia Eboracenſis, folio in medio deliquium patiente. *Moriſ. hiſt. vol. II. pag.* 583. *tab.* 36.

Acetoſa rotundifolia alpina. *C. Bauh. prodr. pag.* 55. *Scheuchz. it. I. p.* 29. *& it. II. pag.* 128.

Alpium ſupremas rupes amat, atque intra earum fiſſuras umbroſas, nivisque perpetuo ſtillicidio irriguas, non rarus latitat, in Ranunculi glacialis, Geique reptantis conſortio, heic omnes quaſi ab aëris alpina intemperie viciſſitudinibusque ſubdefenſæ, læteque vegetantes. Alunt hunc pleraque edita Tyrolenſium alpium juga: & in Styriacis Secavienſibus, in Zinken, ſupra Höllthal, & *in der ſchönen Ebene*, jam ante annum copioſum a me lectum fuiſſe memini. Radix ei perennans, ſubhorizontalis, tres aut quatuor pollices longa, ſublignoſa, utcunque teres aut annularis, nodoſa, ſenſim inferiora verſus attenuata, brunnea fibrisque aucta copioſis concoloribus, & his denuo ramoſis. Caules hæc communiter plures fundit, plures inter foliorum radicalium faſciculos, erectos, a tribus ad quinque pollices altos & ſemipede, utut

ra-

rarius, altiores, ſubnudos, angulatos, compreſſiuſculos, glabros, læte virides, ſed baſi ex viridi purpuraſcentes, ſuperne in ramos paucos laterales ſubdiviſos. Folia radicalia plura petiolo erecto unciali aut biunciali inſtruuntur: ipſa reniformi-cordata, rotundata, obtuſiſſima, integra, glabra utrinque læteque viridia, latitudine longitudinem ſuperante, pollicem unum duntaxat plus minus lata, lineas quinque longa. Bractea ad ramulorum nec non pedunculorum exortum ſeſſilis, ovata, acuta, integra, ſubſcarioſa, ex albo aut flavicante rubella. Florum alterni ſubdimiatique verticilli racemoſe caulem terminant: pedunculi quatuor aut quinque aggregatim ſimul ex eodem caulis ſupremi loco egrediuntur, inæquales, debiles, nutantes, capillares, læte rubelli, lineas duas & tres ſubinde longi, atque ſub ipſo ſtatim flore modice intumeſcentes. Flores hermaphroditi, attamen, licet rariſſimum, in ſupremis verticillis hinc inde interjecto mare. Calycis corollæque diviſio, uti & ſtaminum piſtillorumque numerus hanc ab omnibus Rumicis ſpeciebus quam maxime diſtinguunt. Calyci uti corollæ foliola duo, niſi uni omnia quatuor tribuas: id ſi mavis, calycem tetraphyllum aut corollam tetrapetalam habes: exteriora atque minora duo foliola oppoſita, ovato-lanceolata, acutiuſcula: interiora illis majora, ovato-ſubrotunda, obtuſa, integra vero omnia, glabra, læte viridia, aut ex viridi rubella, concava, in planta jamjam fructeſcente ſenſim una cum germine elongata atque majora. Stamina utplurimum quatuor, rarius quinque aut ſex: filamenta breviſſima, capillaria, erecta, albida, calycis aut corollæ foliolis breviora: antheris ovato-oblongis, primo luteolis, ætate cæruleſcenti-cinereis, tandem nigricantibus. Stylus breviſſimus, vix ullus: ſtigmata duo, plumoſa, ex viridi rubella, erecta aut ſubreflexa. Semina obcordata, glabra, initio ex viridi purpuraſcunt, ætate ſenſim fuſca evadunt.

XIII.

XIII.

ERIGERON UNIFLORUM.

Erigeron caule unifloro, calyce pilofo. *Linn. fyft. pag.* 754. *Allion. flor. ped. vol. I. pag.* 199. *num.* 722.

Erigeron polymorphum. *Scop. flor. carn. edit.* 2. *num.* 1062. *variet.* 1. 2. 3.

Erigeron caule unifloro calyce tomentofo: radiis omnibus femiflofculofis. *Hall. hift. tom. I. pag.* 36. *num.* 87.

After caule unifloro, foliis integerrimis, calyce villofo fubrotundo. *Linn. flor. lapp. num.* 307. *pag.* 242. *tab. IX. fig.* 3.

After montanus cæruleus omnium minimus. *Morif. Herm. Tournef.*

Afteri montano purpureo fimilis vel Globulariæ. *Bauh. hift. p.* 1047. *Scheuchz. it. IV. pag.* 329.

Conyza cærulea non acris, lævi folio. *Rudb. lapp.* 97.

Una cum præcedente in editis Schleinizenfibus prope Leontium jam ad fumma rupeftria præcipitia legi: non infrequens tamen & in aliis Tyrolis, confinisque Carinthiæ alpibus. Vereor tamen profecto, ut fatis conftantes alpinum inter, & uniflorum Linnæi Erigeron, intercedant limites, certæque difcriminis notæ. Et alpinum caule unifloro fubinde variare, certum indubitatumque, ut Scopolius jam de vera utriusque differentia ambigeret, & fubdubitaret. Sub Erigeronis polymorphi titulo, ille uniflorum Linnæi ob variabilem ejus habitum propofuit, pluresque ejusdem allegavit varietates. At ille æquo nimis progreffus, dum certo certius & Erigeron acre Linnæi fub varietatibus Erigerontis uniflori, quinto, fexto, nec non & quarto numero comprehendit: a quo diffentio. Quæ interim inter utrumque certiora

tiora obfervaverim difcrimina, hæc funt: fubalpina loca potius, quam ipfas alpes Erigeron alpinum incolit, dum Erigeronti unifloro altior longe fedes. Illi caulis fubramofus, hirfuties atque villofitas in caule, foliis, calyceque præprimis multo minor, dum huic præter caulem uniflorum fimpliciffimum folia denfe villofa hirfutieque afpera, calyx eidem hemifphæricus, globofus fere, atrorubens, intra denfam incomptamque hirfutiem fere abfconditus. Radice gaudet perenni, perpendiculari, fubpræmorfa, inæquali, fufca, fimplici nunc, alias fubramofa, quæ fibras copiofas teretes, perpendiculares, fimplices, fufcefcentes undique fpargat. Caulis ex fimplici radice unicus, ex multicipite plures cefpitofe una affurgunt: erecti hi fatisque firmi, a duobus tribus, raro ad quinque pollices alti, teretes, profunde ftriati, toti quanti villis denfioribus & durioribus hirti, rubentes, atque foliolo uno alterove laxo remoto lineari inftructi. Folia radicalia atque illa, quæ fafciculatim collecta imum caulem ambiunt, plura funt, obovato-oblonga, integro fed & frequentius retufo emarginatoque apice, craffiufcula, cæterum integerrima, erecta, fature viridia, utrinque fed fuperne atque margine præprimis, qua in petiolum veluti decurrunt, villofa, hifpidula, una cum petiolo pollices duos plus minus longa, quatuor, qua latiffima, lata. Caulina rara, laxa, remota, ad fummum tria aut quatuor, quo fuperiora eo breviora anguftioraque, linearia, feffilia, acutiufcula, undique fed margine inprimis villofo-ciliata, fuprema vix lineas quinque longa, lineam unam lata. Flos terminalis, unicus, pro plantæ magnitudine fatis magnus craffusque. Calyx erectus, fubglobofus, diametro lineas quinque æquat, villofus, atque ex atro-rubens: fquamæ calycis plurium ordinum, imbricatæ, erectæ, lineari-lanceolatæ, acutæ, villofo-hifpidæ: exteriores atque inferiores, breviores virefcunt, interiores ex atro rubent, lineas tres circiter longæ. Radii ligulæ, dum planta flores aperit, primo albidæ funt, ferius vero ex vio

laceo purpurafcunt: indeque floris quoad colorem differentia, purpurei videlicet, cærulei, nec non albidi, Hallero atque Allionio obfervantibus: eædem lineari-oblongæ, acutæ, erecto-patentes, fæpe ftrictæ, apice integerrimæ, lineas tres circiter longæ, lineæ dimidium latæ; tubo tenui, cylindrico, recto, albo, glabro, infiftentes. Stylus filiformis, erectus, albus, ultra tubum productus, bifidus: ftigmata duo, fæpius revoluta, alba, fimplicia, ferius uti ligulæ violacea aut rubella. Pappus feffilis, fimplex, pilofus, rubefcens, feminibus longior, fenfimque ultra femiflofculorum tubum productus. Flores tubulofi, apice quinquefidi, primo luteoli, tandem purpurafcentes, laciniis erectis, acutis, tubo cylindrico recto albo aut fordide luteolo. Filamenta capillaria ex tubi interiore pariete enata, albida aut luteola: antheræ erectæ, cinerafcentes, apice perviæ perforatæ. Stylus filiformis, albidus, antherarum tubum perforans, bifidus: ftigmata erecta aut fubrevoluta, ejusdem cum flofculis coloris. Semina oblonga, fufca, afpera.

XIV.

HIERACIUM STATICIFOLIUM.

Hieracium fcapo nudo ramofo, foliis lanceolato-linearibus obfolete denticulatis obtufis: pedunculis longiffimis unifloris, fuperne fquamofis. *Allion. flor. ped. tom. I. pag.* 214. *num.* 782. *tab.* 81. *fig.* 2. icon optima.

Hieracium (ftaticefolium) caule nudo, foliis lingulatis, obtufis, fubdentatis, floribus fulphureis. *Vill. profp. pag.* 35. *tab. XIII. fig. I.*

Hieracium caule nudo brachiato, paucifloro, foliis linearibus rariter dentatis. *Hall. hift. tom. I. num.* 48. Varietas α, dum varietas β ad H. porrifolium pertineat. Vide Cl. la Chenal in Actis Bafil.

Hie-

Hieracium caule ramoſo, foliis radicalibus linearibus ſubdenticulatis, caulinis minimis. *Gerard. prov. pag.* 167. *num.* 5.

Hieracium alpinum foliis anguſtis raro dentatis, flore magno. *Seguier. veronenſ. ſuppl. pag.* 270.

Subalpina & montana magis, quam alpina planta, in rupibus calidioribus, locis præprimis arenoſis, ac lapidum inter acervos hoſpitans. At uti aliarum plurium, ita & hujus quoque ſemina per torrentes alpinos in planitiem usque deferuntur, numerumque illarum ſtirpium auget, quæ ſabuloſa, ſterilia Iſolæ fluvio prope Leontium adjacentia loca, ornant, Botanicoque peregrino, qui excelſarum alpium ſtirpes in planitie videre non conſuevit, gratum exhibent ſpectaculum. Hujus fori ſtirpes fuſius enumerare alio loco mihi animus eſt. Et Auſtria inferior hujus plantæ patria, dum illam præterita jam æſtate in collibus apricis, arenoſis prope Thermas Badenſes ſatis frequentem una cum Hieracio ſaxatili *Jacq. ic. rar.* legi. Attamen diu, quo referrem, dubius hæſi. Ab Hieracio porrifolio, planta in Auſtriæ rupibus ſubalpinis non minus vulgari, diverſam eſſe, vel primo intuitu dubitare non poteram: uti contra nec inficiandum, magnam inter utramque, quoad notas characteriſticas, intercedere ſimilitudinem. Halleri hiſtoria, uti fere ſemper, & hic dubia diſcuſſit. Utrumque, & Hieracium porrifolium, & alterum ſtaticifolium nunc dictum, ab Illuſtriſſ. Viro egregie deſcriptum vidi, licet ſub uno numero comprehenderit, ſynonymis tamen utrique convenientibus perquam accurate diſtinctis ordinatisque. Separandas ſuaſit utriusque autoptes, Hiſtoriæ ſtirpium Helveticarum dignus reformator Clariſſ. la Chenal in Act. Baſil.: ſeparavit Allionius nuperrime in ſtirpium pedemontanarum hiſtoria, & horum ego quoque veſtigia ſequor. Eſt Hieracio noſtro radix perennis, fuſiformis, teres, tri-aut quadripollicaris, digi-

ti minimi ſubinde craſſitie, albida aut ex argillaceo flavens, fibris aucta, evulſuque facillima, dum in Hieracio porrifolio ferro ad removenda ſaxa fere ſemper opus ſit. Folia radicalia copioſa, in orbem expanſa terræ incumbunt, lanceolato linearia, acuta nunc , alias obtuſa cum acumine, margine obſolete, obtuſe remoteque dentata, ſæpe denticulato-repanda, craſſiuſcula; glabra utrinque, læte viridia, ſenſim ſenſimque, obliqua non raro directione, in petiolum baſi amplexicaulem valbidum attenuata, pollices tres vel quatuor longa, lineas duas aut tres lata. Caulis, aut ſcapus potius, qui e centro foliorum radicalium prodit , rectus eſt, firmus, a ſemipede ad pedem unum altus, & altior, utcunque teres, profundius ſtriatus, glaber, læte aut ex albido virens, ſuperne ramoſus, brachiatus, totus quantus nudus, ac ſolummodo ad exortum ramorum bractea brevi lineari inſtructus. Rami e caulis medio & ſupra paulo duo aut tres numero aſſurgunt, & hi caulis primarii altitudine, pollices quatuor aut quinque alti, erecto-patentes, inferne nudi, verſus florem paululum ſenſim intumeſcentes, ſquamisque brevibus alternis obſiti, glabri, teretes, ſtriati, in ipſa ſummitate obſolete triquetri, firmi, rigidiuſculi, apice unicum florem ſuſtinentes. Flores ſpecioſi, dilute flavi, ex majoribus hujus familiæ, diametro facile unciam unam cum dimidia aut uncias duas æquant. Calyx ovato-cylindraceus, erectus, ſquamis conſtans imbricatis, erectis, parallelis , linearibus, acuminatis, intus canaliculatis, dorſo ex atro-viridibus, glabris, nec non ſubhirſutis, interioribus majoribus lineas quatuor circiter longis, lineæ dimidium latis: infimæ ſeu potius acceſſoriæ multo breviores, laxæ, lineares, acutæ, in pedunculos ſenſim alternis intervallis decurrunt. Ligulæ utrinque dilute flavæ, patentes, ex lanceolato-oblongæ, apice acutæ, quinquedenticulatæ, ſubtiliter ſtriatæ, lineas octo longæ , lineam unam circiter latæ: tubo cylindrico, recto, albo, villoſulo, linearum trium circiter longitudine. Fila-

lamenta breviſſima, capillaria, alba, ex tubi fauce producta: antheris ſulphureis, perforatis. Stylus filiformis ultra antherarum cylindrum productus, bifidus, ex albo flaveſcens: ſtigmata duo, revoluta, flava. Pappus ſimplex, ſeſſilis, piloſus, ſeminibus duplo & triplo longior. Semina oblonga, fuſca, profundius ſtriata. Varietas plantæ foliis ſubtus (uti in Primula farinoſa) albidis farinoſis non rara iisdem locis.

XV.

SILENE SAXIFRAGA.

Silene caulibus ſubunifloris, pedunculis longitudine caulis, floribus hermaphroditis femineisque, petalis bifidis. *Linn. ſyſt. p.* 422. *Allion. flor. ped. tom. II. pag.* 83. *num.* 1582.

Lychnis ſaxifraga. *Scopol. flor. carn. edit.* 2. *num.* 520. *pag.* 308. & Lychnis floribus trigynis erectis, capſulis trilocularibus, foliis linearibus, *Ejusd. flor. carn. edit. I. pag.* 503. *num.* 6.

Lychnis minor Saxifraga. *Pluk. almag. bot. Seguier. veronenſ. p.* 431. *tab. VI. fig.* 1.

Lychnis fruticoſa anguſtifolia minima montana, flore albo. *Bocc. muſ. pag.* 81. *tab.* 71.

Saxifraga antiquorum quibusdam. *Bauh. hiſt. III. p.* 338. *Raj. hiſt. vol. II.* 1033.

Caryophyllus ſaxifragus. *C. Bauh. pin.* 211.

Saxifraga magna Matthioli & Italorum. *Lob. icon.* 428. *Pon.* 176.

Auſtralioris Europæ civem in rupium calcarearum illa catena, quæ ad pedem ardui M. Rauchkofel prope Leontium, ab Ambloch verſus Jungbrunn interrupta ſerie continuatur, non raram legi, plures gratas inter ſtirpes, ex quibus primi ordinis uti Pæderotam Bonarotam, Potentiilam cauleſcentem, Saxifragam Burſerianam cum Rhododendro Chamæciſtus ſolummodo nominaſſe ſufficiat. Duro hoc atque ſitiente ſolo intra anguſtiſſimas rupium rimas modica humo repletas, radices ſuas dimittunt, ac proinde cum difficultate eruendæ. Radix perennis, ſublignefcens, articulato-nodoſa, ſordide flavens, ramos in omnem ambitum inordinate ſpargit plures, cauliumque communiter denſum ceſpitem annuatim profert: filiformes hi, proſtrati quaquaverſum, aut decumbentes, debiles, digitales, ſemipedales, longiores etiam, teretes, glabri nunc, ſubpubeſcentes & aſperiuſculi alias, præprimis in juniori planta, læteque virides. Folia per intervalla, ad ſex aut octo conjugationes oppoſita, linearia, acuta, integerrima, glabra, læte viridia utrinque, unciam unam vel unam cum dimidia plus minus longa, vix lineam lata. Flores terminales utplurimum bini in pedunculis erectis, teretibus, filiformibus, glabris, elongatis, & caulis longitudine, unciarum trium quatuorve: nec tamen rara plantæ caule unifloro ſpecimina. Calyx monophyllus, oblongus, ſuperiora verſus craſſeſcens, clavæformis, quinquedentatus, ſtriatus, glaber, ex flavo virens, lineas quatuor vel quinque longus. Corolla pentapetala, unguiculata; limbo plano, patente, ſuperne albo, inferne ex albo aut viridi purpuraſcente, aut cum virore flavo: petala profunde bifida, ſegmentis oblongis, obtuſis; patentibus, integris, lineas duas circiter longis, lineæ dimidium latis, ungue albo recto calyce longiori. Auriculæ duæ parvæ in quovis petalo ad marginem faucis patentis dilatatæque, ex ovali-oblongæ, albæ. Filamenta decem, ſubæqualia, capillaria, alba, unguibus petalorum nonnihil majora: antheris ovatis, flaveſcen-

fcentibus. Styli tres, erecti, albi, petalorum unguibus longiores: ftigmata revoluta, divaricata, plumofa. Germen bafi fubhexagonum, glabrum, læte virens. Capfula trivalvis, apice dehifcens, glabra, flavefcens, ultra calycem fenfim maturefcentibus feminibus producta. Semina plurima, rufa.

XVI.

AQUILEGIA ALPINA.

Aquilegia nectariis *rectis*, petalo lanceolato brevioribus. *Linn. fyft. p.* 505. *Allion. flor. ped. tom. II. num.* 1508. *tab. 66.*

Aquilegia foliis trilobatis, tripartitis linearibus, caule paucifloro. *Hall. hift. tom. II. pag.* 89. *num.* 1196.

Aquilegia montana magno flore. *C. Bauh. prodr. p.* 75. *Bauh. hift. tom. III. p.* 484. *Scheuchz. it. I. pag.* 31. *Tournef. inft.* 428.

Pleraque plantæ elegantis fpecimina Augufto menfe, feminibus jamjam maturefcentibus onufta legi, & rari admodum fupererant flores, ad quos fequentem concinnare defcriptionem liceret. Non alpinis ftricte adnumeranda, quæ glareofas rupium calcarearum declivitates ad pedes alpium magis incolit, quam excelfa earundem loca. Alunt hanc rupes alpium Ortenburgenfium prope Spital fuperioris Carinthiæ. Item prærupti illi parietes Ortenburg inter & Draburg, ad ripas Dravi, qua fcalaris afcenfus, non periculo carens, in vallem Gilienfem ducit. Eadem una cum præcedente abundant rupes ad pedem alpium Leontinarum prope Leyfach & Cläusl, qua perquam arduæ Kirchbaumenfes, & vicinæ Luggavienfes alpes fefe attollunt. Montanam Halleri Aquilegiam Nro. 1196. plantam meam effe,

primo

primo intuitu agnovi, dum contra erronea Linnæi, Aquilegiæ ſuæ alpinæ, definitio aliquantiſper dubia moveret. Nectariis etenim illa rectis prædita dicitur, quæ meæ & Hallerianæ plantæ, perinde uti Aquilegiæ vulgari incurva, ut, monente Illuſtriſſ. Viro, a nectariorum figura, nota diſcriminis peti nequeat, quæ ſufficiat diſtinguendis plantis. Icon Allionii loco citato laudabilis, ſed ab exemplari æquo majori vel rariſſime obvio (ſi non plantæ in horto cultæ?) deſumpta videtur, ut difficilius adgnoſcatur, id quod conferenti cum vivis plantæ ſylveſtris ſpeciminibus patebit cuique. Radice eſt, an non perenni? ſublignoſa, obliqua, tereti, ramoſa, quinquepollicari, & ſemipedali, fuſca, fibris inſtructa ramoſis, concoloribus, capite vero petiolorum præteritorum annorum exuviis ſetoſis aut ſquamoſis coronata: ſimplex ut plurimum, ſed annoſior multiceps. Caulem ita hæc junior profert unicum, adultior plures, erectos, a ſemipedali altitudine cubitalem ſubinde æquantes, teretes, tenues, glabros, rarius ſubpubeſcentes, læte aut ex glauco virides, in ramos ſuperne communiter binos, erecto-patentes, cauli ſimiles, ſubunifloros diviſos. Radicalia folia, quorum plura ſemper in faſciculos collecta caulis imam baſim undique ambiunt, longis gaudent petiolis, erectis, teretibus, rigidiuſculis, glabris, læte viridibus, baſi dilatatis ſibique imbricatim incumbentibus, pollices tres quatuorve ſuperantibus. Ipſa folia diviſione mire ludunt. Nunc, & inter conſtantiora hæc pertinent, biternata ſunt, foliolis omnibus ſeſſilibus, intermedio obovato-cuneiformi, trifido, lateralibus oblique cuneatis, bilobis. Eadem alias ſimpliciter ternata, foliolis, quæ antea ternata erant, nunc ſimplicibus, longius petiolatis, omnibus obovato-cuneiformibus, aut ex cuneiformi-ſubrotundis, trilobis, obtuſiſſimis, lobis baſi confluentibus. Nunc, & hæc non rariſſima, biternata denuo, at foliolis cuneiformi-anguſtatis, lanceolato-linearibus, intermedio ſubpetiolato trifido, lateralibus ſeſſilibus, bifidis, lobis aut laciniis ſubparallelis:

lis: ut & folia notas æque infimas inconſtantesque ſuppeditare non immerito judicem. Foliola vero obtuſa in omnibus, craſſiuſcula; ſuperne lætius viridia, glabra; dorſo pallidiora, glauca, ſubpubeſcentia, atque reticulo venoſo picta: petiolis partialibus teretibus, læte viridibus, glabris, plus minus pollicaribus. Folia caulina, unum aut rarius duo ad ramorum exortum ſubſeſſilia, petiolo videlicet inſtructa breviſſimo, vix ullo, baſi dilatato, vaginato, atque umbelliferarum in morem amplexicauli: & hæc biternata, foliolis omnibus linearibus acutis integerrimis, intermedio longiori nonnihil, majorique. Supremum denique ſimpliciter ternatum, foliolis prioribus ſimilibus. Flores ſpecioſi, pulchre ſed profundius cærulei, in caulis atque ramulorum, ſi qui adſint, ſummitate ſolitarii, nutantes: unicus ſæpe in tota planta, frequentius duo, vix ultra tres. Pedunculi ſub ipſo flore leviter intumeſcunt, inclinati, hirſutie nigricante ſatis conſpicua obducti, nec non bracteis ſuperne lanceolatis, alternis, acutis, erectis, lineas tres longis & vix lineam latis obſiti. Petala quinque, æqualia, ovato-lanceolata, acuta, patentia, plana, verſus apicem modice reflexum paululum ſuperne canaliculata, lineas quinque longa, tres circiter lata, ungue brevi germinis baſi inſerto intus aquoſiſſime & ex albo cæruleſcente, extus cæruleo. Nectaria quinque, tubuloſa, corniculata, incurva, cum petalis inferiori paulum loco enatis alterna, iiſdemque perpendiculariter inſiſtentia: orificio eorum amplo patulo, ovato, obtuſiſſimo, ſubemarginato, ſenſim inferiora verſus, ſed ſimul interiora, anguſtato atque in calcar conicum apice obtuſum producto. Connivent cornua apicibus ſuis, & tota nectaria petalis paulo breviora ſunt. Filamenta ſatis copioſa, ſupra triginta, inæqualia, erecta, filiformia, ſubulata, baſi dilatata, alba, ſuperne violacea: antheris oblongis, flavis aut ex flavo virentibus. Stylos quinque, nec non quatuor numero, teretes, filiformes, erectos, albidos, filamentis æquales: ſtigmata ſimplicia, albida:

da: germina totidem ovato-oblunga, erecta, ſubhirſuta. Capſulæ quinque, univalves, latere interiore prope baſim unitæ, cohærentes, ſuperne liberæ: erectæ cæterum, oblongæ, introrſum dehiſcentes, fuſcæ, ſtriis transverſis notatæ, acuminatæ aut roſtratæ potius, apice extrorſum producto.

Attentiori examine inſtituto, & collatis inter ſe plantis, nonnulla alia majoris momenti diſcrimina, & conſtantiora obſervavi, quibus vacillantem atque mancam Linnæi definitionem firmare non inconſultum foret:

Aquilegia (alpina) nectariis incurvis, petalo lanceolato brevioribus: caule paucifloro: foliolis lateralibus ſeſſilibus, lobis linearibus parallelis.

Et Aquilegia (vulgaris) nectariis incurvis, petalo ſubæqualibus: foliolis omnibus petiolatis, lobis ſubrotundis obtuſiſſimis divergentibus.

XVII.

LEDUM PALUSTRE. *Linn. ſyſt. pag.* 404.

Ledum foliis ſparſis linearibus margine revolutis ſubtus rubiginoſis: floribus decandris. *Deſtituitur enim adhuc ſyſtema vegetab. Ledo latifolio Jacquinii pentandro, brevi prodituro, & Ledo grœnlandico. Flor. dan. tab.* 567. *Retz. prodr. flor. ſcand. num.* 436. *ſeu Rhododendro daurico Linn. cujus generis ex Retzii obſervationibus non eſt.*

Ledum roſmarini folio. *Rupp.* 2. *edit. p.* 126.

Spiræa odorata. *Rivin.*

Roſmarinus paluſtris. *Till. ab.* 59. *ic.* 158.

Ci-

Ciftus Ledon foliis rofmarini ferrugineis. *Bauh. pin.* 467.
Rofmarinum fylveftre Matthioli. *Cam. epit. p.* 546.
Ledum Silefiacum. *Cluf. pann.* 69. & *hift. ejusd.* 1. *p.* 82.

Speciofi atque vifui grati fruticuli natales nonnifi turfofa, paludofa, fæpe cum periculo acceffa loca. Vulgaris ille quidem in toto Septentrione, fed an ullibi quam in Bohemia vulgatior, dubito, quæ immenfam ejus copiam alit. Primaria folummodo & eo feraciffima loca indicaffe fufficiet. *In dem wüften Teiche* Hirfchberg oppidum inter & Kummern ad pedem montis Befig, & verfus Weiswafser, magno atque amplo illo pifcinarum prægrandium uliginofo ambitu, ut & ad oras paludum ftagnorumque ifthic valde frequentium, cum Vacciniis Oxycocco & uliginofo, & Andromeda polifolia. Item *auf der faulen Wiefe* prope *Böhmifch Kamnitz*. Sed & rupes, utut rarius, fphagni paluftris denfiffimis ftratis tectas, perpetuoque aquarum ftillicidio madidas afcendit, ut & ericeta altiora uliginofa. Similibus locis in tota illa rupium catena, quæ a patria urbe *Kreibitz* verfus *Rennersdorf*, *Dittersbach* & *Windifch Kamnitz* interruptim decurrit vulgatiffimum, Majo, & Aprili menfe jam in finem vergente florentem legi. Radice nititur perenni, longe horizontaliter fub fphagni paluftris ftratis excurrente, inordinate ramofa, & bipedali, tereti, calami majoris craffitiem vix fuperante, attamen lignofa, compacta, dura, albida aut flavicante extus, fibrisque rarioribus defcendentibus, & his fibrillofis, laxiufcule firmata. Unum, plures hæc in fuo decurfu profert caules, pedales, cubitales, & ultra, undique diffufos, flexuofos, afcendentes, firmulos; ultra lineam craffos, fuperne ramofos; cortice inæquali, fcabro, a foliorum præcedentium annorum infertione tuberculofo, cinereo aut fufcefcente tectos: ramis alternis fuberectiufculis, bafi nudis, fufcefcentibus, verfus fuperiora tomento denfo

rubiginoſo obſitis. Folia recentium atque tenellorum ramulorum extremitates occupant Roriſmarini foliis valde æmula ut certo certius ſcriptorum antiquioris ævi denominatio originem inde duxerit: & hæc linearia, rigidula, ſparſa confertaque, obtuſiuſcula, margine revoluta, breviſſimo atque lineari inſtructa petiolo, facie ſaturatius viridia ſubnitida rugoſula, ſulcoque longitudinali in medio exarata, dorſo vero lanugine ferruginea denſa tecta, nervo albicante prominulo, pollicem unum aut unum cum dimidio longa, lineas duas & ultra lata: ſuperiora patent aut paululum eriguntur, inferiora apicibus deorſum ſpectant. Florum corymbus terminalis, erectus, ſimpliciſſimus, convexiuſculus, viginti & ultra florum: pedunculis erectis, filiformibus, inæqualibus, uncialibus, & biuncialibus, valde tomentoſis, flaveſcentibus, unicum ſingulis apice florem gerentibus: iidem florentes erecti, fructiferi declinati, & per triennium ſæpe una cum capſulis perſiſtentes. Bracteæ in ſummitate ramorum pedunculos diſtinguentes deciduæ, ovatæ, obtuſæ, extus convexæ, rubiginoſæ. Flores albi, aut ex albo luteoli, ut injuſte Cluſius carpat eum, qui ſublutei coloris eſſe, merito aſſerere non eſt veritus. Calyx planus, ſubrotundus, quinquedentatus, ſed adeo minutus, ut lente vitrea opus ſit. Corolla plana, pentapetala, nec quinquepartita: petala erecto-patentia, æqualia, ovato-oblonga, obtuſa, concaviuſcula, ultra lineas tres longa, lineam unam aut unam cum dimidia lata. Filamenta decem, alba, filiformia, alterne breviora, ſubincurvata: omnibus tamen corolla longiora: breviora quinque unguibus petalorum inſident, dum reliqua prodeant ex petalorum interſtitiis. Antheræ oblongæ, flaveſcentes. Germen ovatum, ſuperum: ſtylus unicus, erectus, teres, filiformis, albus, perſiſtens, filamentis brevior: ſtigma obtuſum, capitatum. Capſula primo erecta, tandem una cum pedunculo declinata, quinquevalvis, unilocularis, baſi quinquefariam dehiſcens, ore anguſtiore pervio quinquedentato: val-

vulæ

vulæ ovato-oblongæ, utrinque obtuſæ, apice cohærentes, glabræ, fuſcæ. Semina copioſa, tenuiſſima, pulverulenta, rufa. Id peculiare ſummitatibu ramorum hujus fruticuli, quod abſoluta fructificatione novos ex latere protrudant ramulos tenellos, duos & tres numero, futuro anno floribus onuſtos, ut corymbi labentis anni reliquiæ, & per triennium perſiſtentes, anno ſequenti non jam in ſummitate, ſed in axillis dichotomis trichotomisque ramulorum, ſenſim ita elongatorum, conſpiciantur. Bohemis lingua Germanica utentibus *Zeitheide* dicitur, dum alibi *wilden Rosmarin*, *Heiden Bienkraut*, *Postkraut* &c. appellant. Odor plantæ, præprimis florentis, gravis, penetrans, fortis, caput tentans. Exigui apud nos uſus: tineas enecat graveolentia ſua, hinc veſtimentis adponunt, quæ ab iis immunia ſervat. Cimices quoque odoris vehementia fugari ferunt. Dalekarli humuli loco cereviſiæ incoquunt, Linnæo teſte, ſed ea cito temulentiam cum Cephalalgia inducit. Et in Saxonia pernicioſum illum morem invaluiſſe Ruppius. Nec in Bohemiæ quibusdam locis nefarium auſum exoleviſſe in integrum, avida nimis & frequens ejus a mulierculis rhizotomis collectio, ſuſpicionem movet. Sueci decocto boves, & ſues morbo pediculari liberant, & mures a collecta meſſe eodem arceri item Linnæus refert. A Sileſiis decoctum ad articulorum contractiones cum felici eventu adhiberi Cluſius narrat, & vidi proficuum in arthriticis & rheumaticis doloribus apud eosdem.

 XVIII.

XVIII.

POLYPODIUM MONTANUM.

Polypodium fronde tenera triangulari, triplicato-pinnata: pinnulis pinnatifidis, ſegmentis ultimis oblongis, obtuſis, apice argute bifidis, trifidisque. *Allion. flor. ped. tom. II. pag.* 287. *num.* 2410. *Lam. flor. franc. tom. I. pag.* 23.

Polypodium Myrrhidifolium. *Mygind & Dick.*

Polypodium triplicato-pinnatum, pinnulis tertiis ſemipinnatis, lobulis bifidis. *Hall. hiſt. tom. III. pag.* 16. *num.* 1710.

Filix montana ramoſa minor argute denticulata. *Vaillant. pag.* 53. *Raj. ſynopſ. pag.* 27.

Filix alpina Myrrhidis facie Cambrobrittanica. *Plukn. almag. tab.* 89. *fig.* 4. Satis bona, ſed a juniori ſpecimine deſumpta.

Filix Rhætica tenuiſſime diviſa. *Bauh. hiſt. tom. III. p.* 740. Ex Halleri fide, ſed figura peſſima.

Et in auſtriacis alpibus ſupereſſe ſpicilegium, elegans hæc non minus quam rara polypodii ſpecies, cum pluſculis aliis nuperrime deteƈtis ſtirpibus demonſtrat: etſi jam Cluſius, nunc Jacquinius, Crantziusque, & plures alii argutiſſimi Botanici angulos earum perreptaverint omnes, ut exhauſtas omnino crediſiſſes. Naſcitur hæc in opacis umbroſisque ſylvarum ſubalpinarum, editiori jam loco, ut inde breve iter ad nuda alpium dorſa: ſic in ſylva quæ Schneeberg, & monti ſubalpino Gans interjeƈta, ad latera Schneealbl, qua via in celebre illud præcipitium (*die Saugrube*) ducit, Campanulam pullam, Juncum maximum, & Corallorhizam inter. Eadem me poſtea

ſtea in aſcenſu ad alpes Tyrolenſes ſimilibus locis multo frequentior ſalutavit. Teneræ valde atque debili Filici radix eſt perennans, repens, horizontalis, ſatis longa, teres, calamum craſſa, ex fuſco nigricans, in ramos nonnullos laterales æque longos ſine lege diviſa, fibriſque ſimplicibus & ramoſis concoloribus pluribus donata. Stipites hæc in toto longitudinali ſuo decurſu emittit plures, inæqualibus intervallis a ſe invicem diſtantes, baſi modice reclinatos, lateſcentes hinc, utut debiles, erectiuſculos tamen, ſemipedales, & altiores, ſubflexuoſos, graciles, fere filiformes, latere uno convexos rotundatos, altero paululum complanatos ſulcoque in medio longitudinali exaratos, & hos fragiles baſi purpuraſcentes, ſquamiſque furfuraceis rarioribus obſeſſos, ſuperne nudos, læte virides, glabros. Frons circumſcriptione triangulari continetur, uti in P. Dryopteride æque fere longa ac lata, quinque videlicet & ſex pollicum: planiuſcula cæterum, acuta, glabra, læte per omnia viridis, triplicato-pinnata, flaccida, debilis, mollis, quibus ultimis notis a congeneribus fere omnibus noſtratibus diſtinguitur facillime. Foliolorum primaria paria ſeptem & octo circiter numero, quorum infimum verſus anteriora ſibi adproximatum reliqua ſuperat magnitudine: quo altiora, eo ſenſim omni diametro minora fiunt, magis alterna, dum inferiora plerumque e regione ſibi oppoſita ſint, aut breviſſimis intervallis alternatim ſibi ſuccedant: ſtipite ad eorum originem compreſſo plano: foliola hæc ex ovato lanceolata, acuminata, erecto-patentia, utrinque pinnas ſeptem & octo circiter adnectunt, alternas ſenſim decreſcentes, quarum illæ in exteriori ſerie poſitæ, illis in adverſo ejusdem folioli latere, conſtanter majores ſunt. Eædem lanceolatæ, acutæ, ab uno ad duos pollices longæ, nervo ſubdilatato, foliaceo, iterato pinnatæ. Pinnulæ alternæ, quinque & ſex in eodem latere, baſi latiore foliacea ſeſſiles, atque cum nervo confluentes, ſubparallelæ, oblongæ cæterum, nec non ſublanceolatæ, & ipſæ denuo margine

gine incifæ, pinnatifidæ: fegmentis quatuor & quinque circiter, apice obtufis acute bi- & tridenticulatis. Incifionis tamen gradus in pinnulis ultimis variant, ut in majoribus plantæ fpeciminibus, & has non pinnatifidas folummodo, fed vere iterato pinnatas, totamque frondem quadruplicato-pinnatam fæpius viderim. Acervuli feminales in averfa frondis pagina inordinate fparfi, fed diftincti tamen omnes, fubrotundi, albi aut ex albo flaventes, a tribus ad quinque, in quovis ultimo pinnularum fegmento.

XIX.

VERONICA ALPINA.

Veronica corymbo terminali, foliis oppofitis, calycibus hifpidis. *Linn. fyft. pag.* 59. *Allion. flor. ped. tom. I. pag.* 74. *num.* 269.
Veronica caule fimplici foliis ovatis, glabris, fubferratis: fpica pauciflora. *Hall. hift. tom. I. pag.* 235. *num.* 544. *tab.* 15. *fig.* 2.
Veronica alpina cærulea bellidis folio non ita craffo, vix crenato caule foliofo. *Burfer. in act. fuec. pag.* 508.
Veronica quædam foliis glabris. *Scheuchz. it. IV. p.* 342.
Teucrium VI. pumilum. *Cluf. hift. pag.* 350. *& Ejusd. pann. p.* 616.

Ex vulgatiffimis plantarum alpinarum una, locis duris, atque faxofis nafcens, ut nullum pinetum alpeftre, pafcuum nullum fit, in quo non reperias abunde, & tædiofum certe foret eas omnes enumerare alpes, in quibus viderim: alpicolis Styriæ fors adverfus incantationes? *Befchreykräutlein* dicta. Radix ei perennis, horizontalis, teres, geniculata, albida, pollicem unum vel duos longa, fibris verticillatim e geniculis egredientibus ftipata

pata pluribus, ſimplicibus, albis. Caulis inde unicus, erectus, a tribus quatuorve pollicibus & ſemipede, utut rarius, altior, ſimpliciſſimus, teres, geniculatus, baſi ex rubello viridis, pubeſcens, ſuperne, & id præprimis ad racemi exortum, hirſutus, nigreſcens. Folia alterne oppoſita, ſeſſilia, ovata, obtuſa, integerrimo nunc, alias obſcure minuteque crenato margine, læte viridia, dum juniora ſuperne leviter hirſuta, adultiora utrinque glabra, unciam fere longa, lineas quatuor & quinque lata. Flores parvi, inconſpicui in corymbo (ſi corymbi nomine dignus?) aut racemo potius terminali brevi, ætate ſenſim elongato: florum circiter octo aut decem: inferiores remoti, alterni; ſupremi adproximati congeſtique magis. Pedunculi breves, linearum duarum, nec ultra, teretes, erecti, toti quanti hirſuti, profundius & e nigro purpuraſcentes; bracteis ovato-lanceolatis, acutis, hirſutis, florum pedunculis longioribus, diſtincti. Calycis tetraphylli foliola ſubæqualia, lanceolato-ovata, obtuſa, ex atro viridia, dorſo & margine inprimis ciliato-hiſpida. Corolla monopetala, quadripartita, aquoſe & ineleganter cærulea, verſus faucem albida: lacinia infima & lateralibus duabus fere æqualibus, ovatis, acutiuſculis, patentibus, lineam circiter longis latisque: ſuprema reliquis majori, ſubrotunda, obtuſa, crenulata. Tubus breviſſimus, cylindricus, obtuſus, [illegible] calyce brevior. Filamenta duo ex tubi orificio enata, corollæ ſegmentis æqualia, erecta, ſubulata, ſubconniventia, alba: antheris ſubrotundis, luteis. Stylus filamentorum longitudine, teres, cylindricus, declinatus, albus; ſtigmate ſimplici, obtuſo, albo. Germen ovatum, compreſſiuſculum, læte virens. Capſula obcordata, emarginata, glabra, ſuperne compreſſa, bilocularis, polyſperma, profundius & ex atro virens.

XX.

EPILOBIUM ROSMARINIFOLIUM.

Epilobium floribus inæqualibus ſtaminibus piſtilloque declinatis: foliis erectis, ſparſis lineari-anguſtiſſimis, apice calloſis mucronatis. Epilobium Dodonæi *Allion. flor. ped. tom. I. pag.* 279. *num.* 1016. *Vill. proſp. p.* 45.

Epilobium flore difformi foliis linearibus. *Hall. hiſt. tom. I. p.* 427. *num.* 1001.

Epilobium anguſtifolium ſpicatum, foliis integerrimis linearibus faſciculatis. *Hall. emend. pag.* 408. *num.* 2.

Epilobium foliis alternis linearibus ſtylo declinato. *Scopol. flor. carn. ed.* 1. *p.* 258. *num.* 3. *& edit.* 2. *p.* 271. *num.* 456.

Chamænerion alpinum anguſtifolium flore purpureo. *Scheuchz. it. I pag.* 33. *& it. IV. pag.* 332. *Tourneſ. inſt.* 302.

Lyſimachia ſiliquoſa ſpecioſa anguſtifolia. *Bauh. hiſt. tom. II. p.* 907.

Lyſimachia Chamærion dicta alpina. *Bauh. pin.* 116.

Pſeudolyſimachium purpureum minus. *Dodon. pempt.* 65.

Rariorum plantarum Carinthiæ Tyrolisque conterminæ catalogo, nova hæc inſerenda venit, lecta in arenoſis, prope Leontium in Iſolæ Dravique ripis ſatis frequens, Julio & Auguſto menſe florens, ſemina Septembri maturans. Hanc ex paucis illis novellis, quæ ſuperſunt, plantis, reliquerat Ven. Wulfenius, ut me inventore, qui magni in arte magiſtri veſtigia ſecutus eram, publici juris fieret: dum cæterum indefeſſus ejus labor, atque repetita ad vicinas alpes itinera, agri Leontini divitias, jam pene omnes ſpoliaverant. Non ſteriles glareæ, & alvei fluviorum ſpecioſæ plantæ primi & genuini natales ſunt, cujus duntaxat ſemina ab altiori longe ſede

per

per torrentum alpinorum æſtus frequentes, atque inundationes delata, heic cum plurimis aliis, editiſſimarum alpium ſtirpibus, adeo feliciter germinavere, ut jus civitatis quodammodo annos adeptæ viderentur. Et mirandum certo, quantæ peregrinæ divitiæ exiguo illo planitiei circa Leontium tractu contineantur, quas alias in ſummis alpium jugis unice reperias. Hic legas per otium, & ſine anhelofo itinere, in alpium conſpectu, abunde Artemiſiam glacialem & ſpicatam, Phacam alpinam & auſtralem, Aſtragalos campeſtrem, Uralenſem, alpinum & Leontinum, lætiſſime vegetantes etſi menſe uno, aut duplici fere floreant citius. Item Saxifragæ autumnalis latos ceſpites, Veronicam ſaxatilem & fruticuloſam, Gypſophilam repentem, Achillæam odoratam, Antirrhinum alpinum cum formoſa ejus varietate, nec in alpibus antea viſa, flore toto cæruleo, nec fauce, uti conſuevit, cinnabarina. Et Hieracia porrifolium, una cum ſtaticifolio & glauco Allionii. Mitto impenetrabilia Hippophaes rhamnoidis dumeta, quæ ſtudio ſata atque culta ad vitium usque videtur, Betulam montanam Halleri Nro. 1631., & Salicem Nro. 1655. Ejusd. & plures alias, quæ mente exciderunt. Denique & Valerianam ſupinam iisdem locis ſemel legit Venerabilis P. Marcus Mayer, cujus eximia in patriæ Floram ſunt merita. Quidni arenoſum ſolum plantis alpinis in hortis botanicis tam difficulter alendis aptius eſſet, quovis alio, & turfoſo? Id ex hac obſervatione non absque omni certitudinis gradu concludere licet, experimentis comprobandum. Sed ad plantæ deſcriptionem redeo. Radice gaudet perenni, craſſa, lignoſa, ramoſa, brachiata, fuſca aut ex fuſco nigricante, capite quam maxime multicipiti. Caules ea confertim plures promit erectos, cubitales tripedales, & altiores, ſublignefcentes, teretes, glabros, totos purpuraſcentes, ſuperne levi albo tomento obductos, ſimplices nunc, alias ab ima jam baſi ramoſos: ramis totidem quot foliorum axillæ, alternis, erectis, cauli æqualibus, eidem-

que ſimilibus, apice floriferis. Folia alterna, ſparſa, a ramulis brevibus foliofis adeo conferta, ut facile, & cum exculabili errore cum Illuſt Hallero faſciculata dixeris, quæ tamen non ſunt: & hæc linearia, erecta, rigidiuſcula, apice calloſo purpuraſcente brevi inſtructa mucrone, marginibus ſubrevolutis, atque perquam obſcure obiterque denticulatis: glabra cæterum utrinque, ſuperne læte aut ex flavicante viridia, ſubtus pallidiora reticulo venoſo picta, pollicem unum aut ſesquipollicem longa, linea una plerumque anguſtiora: ſuprema laxiora, ſed ſtricta magis. Racemi terminales in caule atque ramis frequentibus, ſpecioſi, læte roſei, non vulgarem ſtirpi gratiam conciliant: florum in quolibet decem aut duodecim, vix plurium. Pedunculi uniflori, erecti, angulati, inferne laxiores, lineas tres quatuorve longi: omnes bractea lineari, caulinis foliis ſimili, ad baſim inſtructi. Corollæ ſuperæ, inæqualis, & paulo ultra ſemipollicem diametro æquantis, petala quatuor, utrinque læte roſea, ovata, obtuſa, patentia, margine ſubcrenata aut integerrima, concaviuſcula, lineis verſus baſim profundioribus picta, tres aut quatuor lineas longa, duas circiter lata. Calyx quadrifidus: ſegmenta corollæ petalis paulo breviora, patentia, lanceolato-linearia, acutiuſcula, ex atro purpurea, ad baſim tomentoſo-albida. Filamenta octo, inæqualia, alterne breviora, aquoſe rubella, verſus inferiora declinata, utrinque apice nempe, & baſi modice dilatata, compreſſa, in medio anguſtiora, calycis fere longitudine. Antheræ ovatæ, obtuſiuſculæ, e cinereo purpuraſcentes, ætate tandem totæ cinereæ. Stylus teres filiformis deflexus, verſus apicem ſenſim incraſſatus, clavæformis, aquoſe rubellus, filamentis æqualis: ſtigma obtuſum, quadrifidum vel quinquefidum, revolutum, purpuraſcens. Capſula infera, longiſſima, erecta, obtuſa, obtuſe tetragona, ſtriata, quadrilocularis, ex albido tomentoſa, ab uno ad duas pollices longa, lineam circiter craſſa. Hoc ſubtexendum habeo: male Scopolius

plan-

plantam in Flor. carn. edit. 1. pro Epilobio anguftifolio Linn. propofuerat. Agnovit errorem poftea, & in editione fecunda corrigendum monuit: at nefcio quo fato, in alium rurfus priori majorem incidit, dum cum Epilobio paluftri Linn., planta diverfiffima, de novo confunderet: immemor propriæ obfervationis, plantæ fuæ piftillum effe declinatum & petala integra. Qui hæc confentiunt?

XXI.

OPHRYS LOESELII.

Ophrys bulbo fubrotundo: fcapo nudo triquetro, nectarii labello ovato. *Linn. fyft. pag.* 813.
Ophrys δίφυλλος bulbofa. *Loefel. flor. pruff. p.* 180. *tab.* 57. *icon optima.*
Bifolium bulbofum. *Dodon. ic.* 242.
Ophrys bifolia bulbofa. *Bauh. pin. pag.* 87.

Uliginofa, fpongiofaque illa loca inhabitat, quæ lacus Peifonis (*Neufiedler-See*) in Hungaria oras notabili fæpe intervallo undique cingunt, quæque hinc inde non fine fubmerfionis periculo adeas. Verum ea non folum Botanicos huc allicit; & aliæ funt non minus gratæ, defideratæque ftirpes, quæ hic proveniunt, Jacquinii operibus celebres: uti Cyperus Pannonicus, Anthoxanthum aculeatum (novi generis potius quam Anthoxanthum, quam Phleum) Orchis paluftris, & non longe inde in collinis Echium rubrum, cum Vicia ferratifolia. Ophrys noftræ radix bulbus eft, a bulbis fuæ g ntis nonnihil diverfus: ovatus ille fed compreffus, fuperne anguftior contractus, bafi fibris plurimis albis radicatus: extus vero fquamis laceris, tabidis, albidis,

dis, aut fordide flaventibus laxe veftitus: his detractis fuperficie ex albo virens, ftriisque anaftomifantibus elevatis, Antholyzarum fere in morem variegatus. Ex hujus bafi fed anguftiffimo bulbi compreffi latere, fcapus recta affurgit, a tribus ad quinque pollices altus, bafi ad bipollicare circiter fpatium vaginis foliorum radicalium, fquamisque aliis accefforiis virentibus imbricatis, veftitus, parte illa foliofa valde compreffus, anceps fere, nuda vero inferiori parte triqueter, nec trigonus, planis utpote lateribus, angulis duobus acutis, obtufo tertio, parum infra flores valde complanatus, ut obfcura angulorum veftigia, & idem membranaceus fere appareat, rachi denuo angulata: quoad cætera glaber, & ex flavo virens. Folia bina, radicalia, lanceolata, acuta, integerrima, erecta, fcapo breviora, craffiuscula, glaberrima, nitida, enervia, duos & tres pollices longa, lineas quinque aut femipollicem lata: rachi eorum acuta triangulari. Flores in fcapi fummitate pauci, quinque, & fex numero, alterni, laxi, remoti, ftricti oblique, refupinati, finguli ad bafim bractea lineari-lanceolata breviffima inftructi, coloris flavefcentis, fere ochroleuci. Labellum ovatum, obtufum, horizontale, margine fubcrenatum, medio leviter excavatum, pellucens, roridum: fegmentis duobus lateralibus diftinctis, lineari-oblongis, obtufis, fubcontortis, labello æqualibus. Petala tria, anguftiffima, erecta, reflexa, intermedio latiori lanceolato-oblongo obtufo, lateralibus fetaceis. Germen erectum, rachi adpreffum, ovatum, glabrum, ftriatum.

XXII.

XXII.

ASTER TRIPOLIUM.

Aſter foliis lanceolatis integerrimis, caenoſis, glabris: ramis inæquatis, floribus corymboſis. *Linn. ſyſt. pag.* 761. *Gmelin flor. ſibir.* 2. *pag.* 187. *tab.* 80. *fig.* 2.

Aſter maritimus paluſtris, cæruleus Salicis folio. *Rupp. jen. pag.* 179. *Tourneſort. inſt.* 481.

Tripolium *Lobel. ic.* 298. Tripolium majus. *Bauh. hiſt.* 2. *pag.* 1064.

Una cum præcedente ad lacus ejusdem oras legi, Junio menſe florentem. Maris littora oræ ejus æmulantur, atque complures in ambitu ſuo plantas alunt, quas locis maritimis, ſalſisque lacubus ſolummodo familiares eſſe ſcimus, cujus fori Triglochin maritimum, Atriplex laciniata, Scirpus maritimus, & ipſe Aſter, de quo ſermo, heic valde frequentes. Radix ejus perennis, alba, fibroſa, ſæpe craſſa, carnoſa, fibrisque aucta concoloribus, & multiceps caulem raro unum, ſed plures communiter, & ceſpitoſe collectos fundit, in orbem expanſos baſi procumbentes, nunc proſtratos in integrum, alias e procumbenti veluti aſcendentes, erectiuſculos, ſubflexuoſos: & hos inferne teretes, in ſummitate angulatos, glabros, a quatuor aut quinque pollicibus & pedali nec non cubitali altitudine ſubinde majores, ab imo ad ſummum folioſos, ſuperne ramoſos, aquoſe virides, ſed ſtriis purpuraſcentibus hinc inde pictos. Folia craſſa, carnoſa, plana, glabra, acuta, in petiolum dilatatum ſubamplexicaulem margine ciliatum pollicis unius aut duorum longitudine ſenſim decurrunt, ipſa pollices tres & quatuor longa. Radicalia in orbem patentia, conferta, lanceolato-linearia

aut

aut lanceolata, integerrima, lineas quatuor, quinque lata. Caulina angustiora, linearia, alterna, argute & subciliato - denticulata, linea latiora. Rami a medio caulis ad summum usque, axillares, alterni, erecto-patentes, inæquati, in summitate corymbose multiflori. Pedunculi florum erecti, inæquales, teretes, sed profundius striati, nudi, nec nonnisi sub ipso statim calyce, bractea lanceolata acuta brevi sessili suffulti. Calyx erectus, ovato-cylindraceus, squamis imbricatis constans: hæ lanceolato ovatæ, obtusæ, erectæ, sibique adpressæ, læte virides, apice marginibusque rubellæ, subscariosæ, pellucentes: interiores majores, lineas tres fere longæ, ultra lineam unam latæ. Flos elegans, aquose cæruleus, diametro unciam circiter æquat. Ligulæ patentes, lineari-oblongæ, apice subconniventi bidenticulatæ, lineas quatuor & quinque longæ; linea dimidia angustiores, tubo insistentes tenuissimo filiformi albido subvillosulo, linearum duarum longitudine. His stylus filiformis, erectus, purpurascens, stigmate bifido revoluto flavescente. Disci flores tubulosi, quinquefidi, aurei coloris: laciniis linearibus, acutis, erectis: tubo cylindrico, erecto, albo, intra pappum latitante. His filamenta capillaria, brevissima, ex tubi ambitu enata, alba: antheris in tubum connatis, fature flavis aut fuscescentibus. Stylus cylindricus, albus, flosculos superans: stigmate dilatato, bifido, flavescente. Semina pappo simplici sessili piloso coronata.

XXIII.

ARABIS CÆRULEA.

Arabis foliis radicalibus obovato - cuneiformibus, acutis, glabris, margine superiore dentatis: racemo paucifloro nutante. Turritis cærulea *Allion. flor. ped. num.* 981. *tab.* 40. *fig.* 2. optima.

Lev-

Levcojum foliis oblongis dentatis, ſpica nutante. *Hall. hiſt. tom. I. pag.* 194. *num.* * 445. (excluſo ſynonymo Cluſii, quod ad Arabim alpinam Linnæi pertinet.)

Puſilla planta, & glacialibus unice amica alpibus. Attuli ex ſuprema valle alpium editiſſimarum Kartal & Frosnitz, principatus Salisburgenſis ſupra *Windiſch Matray* oppidum, quam immenſæ moles æternæ glaciei replent, ex qua Iſolæ ſecundarii fontes ſcaturiunt, & quæ per unius diei & ultra ſpatium horrido mihique omnino novo aſpectu continuatur. Ad horum ſcopulorum glacialium pedem quos Salisburgenſes, & Tyrolenſes alpicolæ (*das Käs*) vocant, gelidamque inde proſilientem aquam avide hauriunt, planta infrequens naſcitur, cum pauculis aliis, nonniſi in ea Atmosphæræ regione, quam glacies tenet, quærendis. Perenni eſt radice, ſubligneſcente, longa, obliqua, quinquepollicari, & ſemipedali, ex tereti fuſiformi, ſatis craſſa, ſordide flaveſcente, ſuperne in capita plura diviſa, fibrillis in ſuperficie aucta plurimis. Caules inde aggregatim plures & ceſpitoſi plurima inter radicalia folia aſſurgunt, ſimpliciſſimi, a tribus ad quinque ſummum rarius pollices alti, ſubereẽti aut aſcendentes, craſſiuſculi, & pro plantæ puſillo habitu ſatis firmi, teretes, juniores hirſuti, adultiores glabri, ſature virides, in ſummitate nutantes. Folia radicalia, plura ſemper veluti in faſciculum collecta, erecta, obovato-cuneiformia, acuta, verſus apicem binis aut tribus dentibus acutis inſtructa: glabra cæterum, læte viridia, dorſo pallidiora, firmula, margine ſubciliata, in petiolum lateſcentem ſenſim attenuata, pollicem aut ſesquipollicem longa, lineas quatuor aut quinque lata. Caulina pauca, duo aut tria, alterna, remota, ſeſſilia, ſenſim minora, erecta, caulique adpreſſa, ſubdenticulata: ſupremo floribus ſubjecto lineari integerrimo. Flores terminales, aquoſe cærulei, nutantes, in

racemo depauperato florum a quinque ad feptem fere: pedunculis alternis, erectis, ftrictis, glabris, fub ipfo flore incraffatis, fesquilineam longis. Calycis tetraphylli foliola ovato-lanceolata, obtufiufcula, erecta, petalis breviora, glabra, bafi gibbofula, dorfo læte, apice vero fubconniventi ex atro viridia, margine fubfcariofa, pellucentia rubella aut violacea: duobus alternis nonnihil majoribus, & quod mirum, unico folummodo interdum majori. Petala quatuor, aquofe cærulea, ovato-oblonga, obtufa, erecta, integerrima, lineas duas longa: ungue albido recto. Filamenta tetradynama, capillaria, alba, erecta, petalis breviora: antheris oblongis, flavis. Germen oblongum, erectum, teretiufculum, glabrum, fenfim ultra petala productum: ftylus breviffimus, cylindricus, albus, perfiftens: ftigmate obtufo, flavicante. Siliqua linearis, oblonga, obtufa, compreffa, torulofa, glabra, ex atro virens cum admifto violaceo colore, pollicis unius circiter longitudine, fæpe longior.

Vifa nunc triplici ftirpe Arabi bellidifolia videlicet, Arabi pumila *Jacq.* (feu fcabra *Allion.*) & Arabi cærulea, de fpecifica earum differentia dubitationi locus amplius fupereffe non poteft. Habitu omnino diftinguuntur facillime, fed & aliis notis. Arabis bellidifoliæ caulis, quam utrique conftanter altior multo, & folia glaberrima nitida pulpofa & fubintegerrima. Arabis pumilæ, ftatura inter utramque mediæ, folia radicalia quadruplo minora, in quavis ætate evidenter fcabra, rigida, caulina laxiora fubhirfuta, flores quoque in minori planta majores. Arabis cæruleæ vero, minimæ ex omnibus, folia quam Arabis pumilæ, duplo & triplo majora, obovato-cuneiformia, glabra & apice profundius dentata: nec non flores, quam utrique, pauciores, iidem cærulei, & pedunculi fubincraffati. Denique & locus natalis eis diverfus. Arabis cærulea glacialium hofpita: Arabis fcabra

bra in duris atque ſaxoſis, & in editioribus alpium: Arabis bellidifolia vero ſemper in humidis, & ad rivulorum latera naſcens, ſæpe in ſubalpina & montana loca deſcendens: ut omnino mirer, Illuſtr. Hallerum de diſcrimine trium plantarum adeo anxium fuiſſe. Id cum ſummo viro ſentio: *Præſtat plantas, cum non plena certitudine veri diſcriminis inter cenſum verarum ſtirpium conſervare: quam inter varietates relegare diſperituras. Exigua enim curioſitas eſt varietatum.*

Definienda vero erit Arabis pumila:

Arabis foliis radicalibus obovatis, ſubdentatis, obtuſis, utrinque ſcabris: caulinis ſeſſilibus, oblongis, ſubhirſutis: racemo ſubnutante.

XXIV.

HIERACIUM TARAXACI.

Hieracium foliis lanceolatis, dentatis, glabris: ſcapo ſubnudo unifloro, calyce hirſuto. *Linn. ſyſt. pag.* 716. *Allion. flor. ped. tom. I. tab.* 31. *fig.* 1. *bona.*

Picris ſcapo unifloro hirſuto: foliis glabris ſemipinnatis, calycibus hirſutiſſimis. *Hall. hiſt. tom. I. pag.* 12. *num.* 27.

Dens Leonis alpinus foliis oblongis, raro dentatis, calyce hiſpido nigreſcente. *Seguier. veron. ſuppl. pag.* 266.

Herbida ſummarum alpium loca, & nivis ſenſim contabeſcentis ſtillicidio perpetuo irrigua incolit planta rarior, cum Saxifraga oppoſitifolia,

Swerthia Carinthiaca, Cardamine bellidifolia, Androſace villoſa, & Aretiis. Vidi in plerisque alpibus Salisburgenſibus una cum præcedente, ſed humiliori paulum loco: neque vicinæ Tyrolenſes in Pregeraten, uti & Schleinitzenſes Leontio adſitæ ea deſtituuntur. Radix perennis, obliqua, ſubpræmorſa, fuſca, fibris inſtructa perpendicularibus, craſſis, teretibus longiſſimis & quinquepollicaribus, aquoſe flaventibus. Folia radicalia plura in orbem patent, lanceolata, acuta, margine profunde ſinuatoque dentata, fere pinnatifida, dentibus acutis, inæqualibus, remotis & inordinate retrorſum verſis: nunc tota glabra, alias utrinque, aut ſuperne ſolummodo levi hirſutie pubeſcentia, in petiolum albidum vaginato-planum ſenſim attenuata, pollices duos, tres longa, lineas quatuor vel quinque lata. Non deſunt tamen & plantæ ſpecimina foliis multo minus, obiterque ſolum dentatis. Scapus plerumque unicus e centro foliorum radicalium prodit, rarius plures: et hic erectus, teres, a tribus ad ſummum quatuor pollices altus, baſi læte virens, glaber, prope calycem incraſſatus tumidus fiſtuloſus, hirſutie nigricans, unicum apice florem ſuſtinens. Flos magnus, utrinque æquabiliter flavus, diametro pollicem ſuperans. Calyx ovato-cylindraceus, erectus, imbricatus, intra denſam incomptamque hirſutiem totus quantus latens, fere ater: ſquamæ calycinæ plurium ordinum, inæquales, erectæ, lineari-lanceolatæ, acutæ, dorſo atræ, hirſutæ, apice ſcarioſæ albidæ: interiores longiores lineas quatuor, aut paulo ultra longæ, lineam latæ. Ligulæ lineares, oblongæ, apice contractiuſculæ, atque denticulis quinque minutiſſimis inſtructæ: tubo recto glabro albo, ultra lineas tres circiter longo. Filamenta breviſſima, capillaria, alba: antheris flavis. Stylus filiformis, erectus, albus. Stigma bifidum, revolutum flaveſcens. Pappus ſimplex, piloſus, ſeſſilis, duplo et triplo ſeminibus longior. Semina oblonga, globra, ſtriata. Receptaculum planum, nudum.

XXV.

XXV.

PHYTEUMA HEMISPHÆRICA.

Phyteuma capitulo ſubrotundo, foliis linearibus ſubintegerrimis. *Linn. ſyſt. pag.* 211. *Allion. flor. ped. tom. I. pag.* 115. *num.* 425.

Rapunculus foliis linearibus, bracteis ovato-lanceolatis. *Hall. hiſt. tom. I. pag.* 303. *num.* 679.

Rapunculus hemiſphæricus. *Lam. flor. franc. tom.* 3. *pag.* 331.

Rapunculus montanus gramineus corniculatus. *Barrel. ic.* 523. *num.* 1.

Rapunculus folio gramineo. *Tournef. inſt. pag.* 113.

Rapunculus folio gramineo umbellatus. *Bauh. pin. pag.* 92. *Scheuchz. it. I. pag.* 47. *et it. IV. pag.* 340.

Rapontium alterum anguſtifolium alpinum. *Column. ecph.* 2. *pag.* 26. *Raj. hiſt.* 745.

Rapunculus ſylveſtris umbellatus. *Camer. hort. ad Thal. ic. VIII. num.* 3.

Non rara in altioribus alpium paſcuis ſiccis, & tenui gramine veſtitis. Sic in excelſis ſupra Judenburg Styriæ, qua Spitzkogel & Mittagskogel conſcenduntur: ita in Secavienſium & Admontenſium confragroſis: in altiſſimo monte Priel Auſtriæ ſuperioris: neqne minus frequens in plerisque Tyrolenſibus Leontinis, Schleinitzenſibns & Marenwaldenſibus. Radice eſt perenni, ſublignoſa, tereti, ſubfuſiformi, ramoſa & multicipiti ſæpius, tri-quadripollicari, ex albo ſordide flavente, capillitio ſuperne ſetoſo ſquamoſoque, albido, nitente, a petiolis præcedentium annorum coronata. Caulem rarius unicum, ſed plures ſimul plerumque emittit, erectos, a tribus;

quatuor pollicibus & ſemipede altiores, ſubangulatos, ſtriatos, glabros, læte virides, ſæpe tamen in integrum profundius purpuraſcentes. Folia radicalia conferta, erecta, graminea, linearia, obtuſiuſcula, alias acuta, integerrima aut perquam raro verſus apicem denticulo uno alterove obtuſo utrinque notata, ſuperne modice canaliculata, atque in petiolum itidem ſuperne leviter excavatum pollicis unius, aut duorum longitudine ſenſim anguſtata: glabra eadem; utrinque læte viridia, dorſo paulo pallidiora, pollices una cum petiolo tres, quatuor longa, caulique in minoribus plantæ ſpeciminibus ſubæqualia, ultra lineas duas circiter lata. Caulina pauca, a duobus ad quatuor, alterna, remota, ſuberecta aut apice paululum deflexa, baſi latiore ſeſſilia, caulemque ſubamplexantia, ciliataque, quo altiora eo ſenſim breviora, radicalibus quoad cætera ſimillima. Capitulum florum terminale, ſubrotundum, folia plurium ordinum involucri adinſtar arcte ambiunt & ipſa imbricatim ſibi incumbunt: eadem ſeſſilia, ovato-lanceolata, acuminata, glabra nunc aut ſubhirſuta, margine integra nec non raro ſubundulata, ſed undique præprimis verſus baſin pilis albis denſe ciliata, albida, intus concava, lineas quinque & ſemipollicem longa, lineas quatuor lata. Calyx ſuperus, monophyllus, quinquepartitus, baſi angulatus & cæruleſcens: ſegmenta linearia, acuminata, erecta, læte viridia, glabra, corollæ ſegmentis duplo breviora. Baſi cujusvis calycis bractea ſubjacet, linearis, aut oblonga, acuta, integra, albida, ciliata, calyce ipſo longior. Corolla cærulea monopetala, ſupera atque quinquepartita: ſegmentis linearibus, longiſſimis, acutis, baſi latioribus ovatis, primo erectis atque ſuperne in tubum incurvum coalitis, tandem diſtinctis, rotatis, patentibns & ſubreflexis. Filamenta capillaria, erecta, baſi dilatata, alba, ex fundo corollæ enata, calyci ſubæqualia: antheris linearibus, longis, flavis. Stylus craſſus, cylindricus, recurvatus, glaber, profunde cæruleus, primo

una

una cum antheris segmentorum tubo inclusus, tandem ultra ejusdem orificium productus, ut fere simili more, ac in Syngenesia, peragatur fructificatio: idem superne magis crassescens, villoque tenui, purpurascente obsitus, apice trifido. Stigmata revoluta, simplicia. Germen inferum, angulatum. Capsulam & semen non vidi. Floret Julio & Augusto mense. Odor plantæ nullus.

XXVI.

PHYTEUMA PAUCIFLORA.

Phyteuma capitulo subfoliofo, foliis omnibus lanceolatis. *Linn. syst. p.* 211.
Rapunculus foliis ovatis, obtuse dentatis: bracteis maximis, obtusis. *Hall. hist. tom. I. pag.* 304. *num.* 680.
Rapunculus foliis obtusis, spica pauciflora. *Hal. helv.* 497.
Rapunculus alpinus parvus comosus. *Bauh. hist. tom. II. pag.* 811.

Humilis planta, vix triuncialis, præcedente multo infrequentior, ac nonnisi in supremis rupibus summarum alpium hospitans, & in Helvetia Hallero teste rarissimarum una. Pauca specimina, ex quibus plantam novi, & ad quæ sequentia notavi, inveni in præcipiti dorso alpium Luggaviensium & Kirschbaumensium supra Leontium cum Valeriana supina, Potentilla nitida, Anthemide alpina, & aliis summe raris plantis. Est illi radix perennans, obliqua, simplex, æquabiliter teres, sed nodulis hinc inde aucta, pennæ columbinæ crassitie, pollicem unum duos longa, sordide flavens. Caulis, qui solitarius ut plurimum inde prodit, rectus est, aut ascendens, duos ad summum tres pollices altus, satis firmus, subangulatus striatusque, pro-

profundius & ex nigro fere purpurascens, inferne glaber, versus superiora subhirsutus, asperiusculus. Folia radicalia plura, petiolata, unciali petiolo, cordato-ovata, obtusa margine quoque obtuse serrata, aut dentata, rigidiuscula, utrinque leviter hirsuta, subaspera, sesquipollicem aut duos longa, caulemque pusillum subæquantia, lineas quatuor vel quinque lata. Caulinum unicum, (rarius duo) sessile, erecto-patens, lanceolato-oblongum, subcordatum, acutiusculum, margine obscure crenatum, unciam unam plus minus longum, tres lineas latum. Variant tamen in diversæ ætatis speciminibus, ut nunc perfecte cordata sint, quæ alias cordato-ovata aut oblonga: in his acuta, obtusa in aliis, margine nunc manifeste serrata, alias dentata, & crenata quandoque, ut cum difficultate certi quid statuas. Flores in capitulo terminali, subrotundo, quam in priori laxiores pauciores que, & profundius cærulei. Bracteæ capitulum cingentes magnæ, cordatæ, acutæ, basi lata subrotunda sessiles, floresque arcte amplexantes, margine dentato-sinuatæ, ciliatæ, hirsutæ, æque fere longæ quam latæ: imis duabus suboppositis majoribus, patentibus, flores superantibus. Bracteæ flores distinguentes, uti calycis quinquepartiti segmenta, linearia sunt, acuminata, ciliato-hirsuta. Stylus corollæ segmenta superat, superne pubescens; incrassatus, bi-nec non trifidus. Reliqua fere uti in præcedente adfini specie.

XXVII.

XXVII.

CERASTIUM STRICTUM.

Ceraſtium foliis linearibus acuminatis glabris, pedunculis unifloris tomentoſis, capſulis globoſis. *Linn. ſyſt. pag.* 436.
Myoſotis foliis linearibus glabris. *Hall. hiſt. tom. I. pag.* 390. *num.* 891. *tab.* 14. ſub titulo Myoſotis alpina anguſtifolia.
Caryophyllus holoſteus alpinus gramineus. *C. Bauh. prodr. pag.* 104.
Alſine alpina ſubhirſuta linariæ folio. *Scheuchz. it. II. pag.* 130.

Nil uberius hac planta in omnibus fere alpibus, quas peragravi, editis apricis, duris ſaxoſisque locis. Radix longa eſt, teres, gracilis, ramoſa, multicaulis, ſordide albens atque fibrillis ſparſis aucta frequentibus. Caulium ea integros ceſpites fundit: ii quaquaverſum diffuſi, procumbentes ſibique vario modo intertexti, teretes, ad pollicis unius aut duorum circiter intervallum a radice omnes una cum foliis exſucci, aridi, ſcarioſi, fragiles & ſtraminei: inde quotannis reviviſcentes virent, folioſi atque ramos ſparſim emittunt, ſuperne quam ima baſi craſſiores, debiles, aſcendentes & e procumbenti veluti erectos, quinquepollicares, ſemipedales & ultra, geniculatos, læte virides, glabros, ſuperne pubeſcentes & viſcidulos, longe nudos ſemelque dichotomos. Ramuli breves, ſteriles, denſius folioſi, tot fere ex axillis foliorum prodeunt, quot foliorum ad genicula oppoſitiones. Folia oppoſita, baſi connato-ſeſſilia, integerrima, acuta, utrinque læte viridia, glabra aut ſubpubeſcentia, margine leviter ciliata, pollicem unum circiter longa: quæ ramos ſteriles obſident, anguſto-linearia ſunt, rigidiuſcula, ſibi adproximata, ſtricta, acuminata, lineis exarata ultra lineam la-

ta: illa vero ad tumida cauliculorum aut ramorum florigerorum genicula pollicis unius intervallo a ſe invicem remota, lanceolata, triplo & quadruplo illis latiora, oppoſitionum quatuor aut quinque circiter. Flores terminales pro plantæ habitu ſatis magni, albi, in pedunculis ex ramorum dichotomia enatis, inæqualibus, erectis, plus minus pollicaribus, pubeſcentibus, binis plerumque aut ternis (variant enim) in ejusdem rami partialis ſummitate, ſubunifloris. Dichotomiæ ſubjacent bracteæ duæ oppoſitæ, lineari-lanceolatæ, erectæ, acutæ, lineas tres circiter longæ: ſimiles ſed minores in pedunculi longioris medio hærent: tres vero ſi adſint pedunculi, duo laterales his gaudent & intermedius plerumque brevior illis deſtituitur. Rarius unus alterve pedunculorum modice reflectitur. Calycis pentaphylli foliola lanceolata, acuta, erecta, ex incano viridia, pubeſcentia, margine albido, pellucente, ſcarioſo cincta, lineas duas longa, linea anguſtiora. Petala ampla, alba, patentia, obovata, ad medium fere bifida, obtuſa, calyce duplo majora, ungue brevi, flavicante inſtructa. Filamenta decem, inæqualia, erecta, ſubulata, alba, petalis multo breviora: antheris incumbentibus, ovatis & ex albo luteolis. Styli quinque, filamentis breviores, albi, filiformes, reflexi. Stigmata ſimplicia. Germen ovatum, obtuſum. Capſula ovata, obtuſa, erecta, unilocularis, apice dehiſcens. Semina plurima, plana, ſubrotunda, fuſca. Odor nullus.

XXVIII.

GENTIANA PROSTRATA. Tab. 17. fig. 2.

Gentiana corollis quinquefidis, caulibus unifloris proſtratis: foliis obtuſis ſubimbricatis.

Nul-

Nullam plantulæ in ſcriptis veterum reperio mentionem, neque ulli recentiorum ad hunc diem usque innotuiſſe conſtat. Rara habitat in jugis nivoſis alpium *Kartal & Frosnitz*, principatus Salisburgenſis, longe ſupra glaciales valles cum Laſerpitio ſimplici, Aſtragalo campeſtri, Swertia carinthiaca & Cynoſuro ſphærocephalo: nec viſa alibi. Annua ei radix, gracilis valde, fere capillaris, recta, ſimpliciſſima, vix pollicaris, albida aut aquoſe flavens & amariuſcula. Cauliculi ex ejus capite prodeunt plures, a tribus ad decem & duodecim usque, ſimpliciſſimi, ima baſi cohærentes, diffuſi in orbem, proſtrati, pollicares ſesquipollicaresve nec ultra, obſcure geniculati teretes, craſſiuſculi, molles, ſubpulpoſi, foliis dum juniores undique obſiti, glabri, aquoſe virentes, ſuperne ex atro cæruleſcentes & unico flore terminati: rarius ramulus unus alterve ſterilis, folioſus cum prioribus una exit. Folia in minoribus aut junioribus quoque individuis imbricatim ſibi incumbunt, in adultioribus jamjam fructeſcentibus cum caule tantillum elongato laxiuſcula & ſubremota: cæterum alterne oppoſita, baſi arcte ſeſſilia & e decurrenti veluti ſubamplexicaulia, ovata, obtuſiſſima, integerrima, mollia, pulpoſa, glabra, ſature viridia, cauli adpreſſa, ſuperne carinata, duas tresve lineas longa, lineas duas circiter lata. Flos quovis in cauliculo unicus, terminalis, cæruleus, ſubaſcendens aut erectiuſculus, in axillis paris ſupremi foliorum ſeſſilis, ipſum caulem longitudine ſubæquans. Calyx monophyllus, tubuloſus, pentagono-pyramidalis, apice leviter ad unam ſextam circiter partem quinquefidus, glaber, profunde viridis, corolla duplo brevior: ſegmentis lanceolatis, acutis, tubo corollæ adpreſſis, apice marginibusque albidis & ſubpellucentibus: prominent manifeſte anguli ad latera. Corolla monopetala, tubuloſa, infundibuliformis, maximam partem clauſa, ſplendido ſole in limbum expanditur breviſſime quinquefidum: laciniis brevibus, æqualibus, lanceolatis, acuminatis, ere-

ctis, integerrimis, intus concaviusculis, aquosissime cæruleis, apice albis, extus vero ex cæruleo sature virentibus: fauce glabra, tubo recto, ultra calycis segmenta producto, deorsum sensim angustiori & ex albo viridi. Alia primariis his corollæ segmentis alterne minora (non dentes dicam) interjacent, æque lata sed paulo breviora, ovata, aut subrotunda, aquose cærulea, integra nunc, alias bi- aut tridentata. Filamenta quinque ex tubi fere medio latiore basi enata, subulata, alba, brevissima. Antheris oblongis, erectis, albidis. Germen oblongum pedunculo crasso insistit, in fructescente planta paulatim & ultra corollæ segmenta elongato, glabrum, compressiusculum & ex albo virens. Stylus nullus: stigmata duo revoluta, ovata, obtusa, aquose luteola. Capsula oblonga, bivalvis, unilocularis, glabra, apice bifariam dehiscens. Semina plurima. Nullus plantæ odor.

XXIX.

POTENTILLA SALISBURGENSIS.

Potentilla foliis hirsutis, radicalibus quinatis inciso-serratis obtusis: caulinis ternatis, caule adscendente, debili, compresso, paucifloro: foliolis calycinis subdentatis.

Alpium Salisburgensium *Kartal & Geschlös* rara civis: ut triviali nomine, plurium sororum exemplo, natales ejus & provinciæ nomen celebrare non dubitaverim. Ibi vero longe supra ultima mappalia pastorum pendet e fissuris rupium, quæ rapidi & a glaciali mole deflui torrentis alveum arctant, ut non sine periculo natali ejus loco accedas. Oblique radicem perennem intra petrarum rimas demittit, teretem, satis longam, multicipitem,

squa-

ſquamis a petiolis præcedentium annorum imbricatis, tabidis fuſco-ferruginеis denſe opertam, indeque tumidam, baſi vero fibris longiſſimis, teretibus, ramoſis, concoloribus radicatam. Caules ea confertim plures & ceſpitoſe collectos plura inter radicalia folia fundit, laxos, debiles, adſcendentes, a ſemipede & pedem unum longitudine ſuperantes, valde compreſſos, fere ancipites, leviter hirſutos, latere uno virides, altero profundius rubentes, foliis rariter obſitos & paucifloros. Folia radicalia longe petiolata, quinata; foliolis ſeſſilibus, obovatis, margine inciſo-ſerratis, obtuſis, læte viridibus, utrinque ſed dorſo præprimis hirſutis, pollicem unum, plus minus longis, ultra ſemipollicem latis: intermedio reliquis majori: petiolo gracili, debili, ſupra modice canaliculato, quadri- aut quinquepollicari, læte viridi & ſubhirſuto. Folia caulina duo ad ſummum tria remota ſeſſilia: ſupremo ſimplici pinnatifido, inferioribus ternatis: foliolis ſubæqualibus, cuneiformibus, obtuſe profundeque ſerratis, caulinis cæterum ſimilibus. Stipulæ duæ, oppoſitæ, erectæ, ovatæ, acutæ, integerrimæ, rarius dente uno alterove ſuperne inſtructæ, hirſutæ. Flores elegantes, aurantiaco-flavi, pauci ad tres fere, ſæpe unicus, in pedunculis terminalibus, ſimplicibus, unifloris, ſuberectis & ſubæqualibus, hirſutis, pollicis unius duorumve longitudine, duobus plerumque in medio bractea tripartita inſtructis, tertio aut ſolitario quoque ſubnudo. Calycis decaphylli foliola alterne majora, patentia, ovato-lanceolata, acutiuſcula, ſubdentata, petalis floris breviora, læte viridia & hirſuta. Petala quinque, utrinque æquabiliter ex aurantiaco-flava, obcordata, obtuſa, integerrima, patentia, ungue concolore brevi donata, lineas tres longa tantumdemque circiter lata, ſed paulo fere latiora. Filamenta plurima, breviſſima, inæqualia, capillaria, erecta: antheris ovatis flori concoloribus. Styli itidem plurimi, erecti, fili-

formes: ſtigmate obtuſo, ſimplici. Nullus odor. Figuram pinxi quæ in Iconibus rariorum ſtirpium Jacquinianis prodibit.

XXX.

PEDICULARIS FLAMMEA.

Pedicularis caule ſimplici, foliis pinnatis retro imbricatis. *Linn. ſyſt. pag.* 552. *Allion. flor. ped. tom. I. pag.* 63. *num.* 226. *Oed. flor. dan. tab.* 30.
Pedicularis, caule ſimplici, foliis pinnatis, pinnis dentatis, retroverſis, imbricatis. *Hall. hiſt. tom. I. pag.* 138. *num.* 315. *tab. VIII. fig.* 3.
Pedicularis caule ſimplici, foliis ſemipinnatis obtuſis, laciniis imbricatis crenatis. *Linn. flor. lapp. num.* 244. *tab.* 4. *fig.* 2.
Pedicularis alpina folio Ceterach. *Scheuchz. it. V. pag.* 426.

Rariſſimis omnium fere alpinarum noſtratium ſtirpium hanc Pedicularis ſpeciem adnumero, lectam in alpibus Judenburgenſibus cum Cortuſa Matthioli & Saxifraga oppoſitifolia, nec uspiam alibi viſam. At vero formoſa planta mira habuit fata, & ejus hiſtoria uti plurium Pedicularium multis adhucdum laborat difficultatibus. Id in limine ſtatim pronuntio, plantam meam perfecte eſſe eandem, quam Floræ danicæ icon 30. repræſentat: id ſuſtinere contra viros ſummæ auctoritatis inclinat animus, hanc non differre ab icone Floræ lapponicæ tab. IV. fig. 2., ab Halleri tab. VIII. fig. 3. etſi hic ob ſolam magnitudinem Pediculari flammeæ minus convenire judicaverit, ille dubius quidem ad Pedicularim hirſutam retulerit, ut egregio Retzio in prod. flor. ſcand. num. 678. non improbandum ſit, quod hac ſummorum virorum diſſenſione deceptus, neutram referre, & propriæ potius eſſe ſpeciei

ſpeciei cenſuerit. At profecto copioſa, quæ in diverſa alpium elevatione vidi plantæ ſpecimina, edocuere, omnes tres ejusdem plantæ ſiſtere iconem, & ſi quid diſcriminis inter eas adpareat, id inde ſolummodo proficiſci, quod ab individuis, pinquiori ſteriliorive, humiliori aut elevato magis natali loco, enatis, fuerint deſumptæ. Habeo, quæ ſpecioſam & optimam Oederi iconem craſſitie & magnitudine partium omnium longe ſuperant, ſed & alia intercurrunt Linnæi atque Halleri minus bonis iconibus, longe humiliora & inconſpicua magis. Omnibus tamen caulis imus bulboſus Satyrii Epipogii fere in morem, conſtans nota & Pediculari flammeæ ſolum propria, quamque vel iconibus laudatiſſimorum virorum expreſſam videas, vel in deſcriptionibus perquam acurate notatam: corollæ denique omnium unus idemque color eſt & galeæ apex nigro-purpuraſcens, ut dubium de plantæ identitate ſupereſſe poſſit nullum. Id quoque frequenti obſervatione conſtat, alpinas Pediculares vix ac ne vix quidem variare coloribus, niſi intenſitatis gradu coloris ejusdem velis, ut eo ſolo complures, inter quas ſimilitudo intercedat, a ſe invicem probe diſtinguas. Non alio in Sudetis montibus Bohemiæ quam incarnato colore vidi myriades Pedicularis hirſutæ, cujus Illuſtriſſ. Linnæus in flor. lapp. æque malam, ac Pedicularis flammeæ dederat iconem: non alio videas quam ochroleuco Pedicularim folioſam, & triſte purpuraſcenti Pedicularim recutitam, ut jam Linnæus de hac coloris conſtantia convictus, ſingulis ſpeciebus adeo ſollicite addiderit floris colorem in Mantiſſa altera plantarum pag. 415. magno diſtinguendis ſpeciebus commodo. At qui factum fuerit, quod Pediculari flammeæ, cui ex propriis verbis, cui ex omnibus allatis ſynonymis flavus aut ſubinde, quod ipſe vidi, leviter in fulvum vergens color, in Mant. loc. cit. atropurpureum tribuerit, non conſpicio. Is error ex Mantiſſa in ultimas ſyſtematis vegetabilium editiones tranſivit, ut qui coloris rationem habeat, eas Pediculari flammea de-

ſtitu-

ſtitutas credat. Denique & illud ſatis admirari nequeo, qua ſimilitudinis ſpecie vir illuſtriſſ. deceptus, Oederi iconem 30. in ſpec. plant. ad Pedicularim hirſutam allegaverit: tantum enim hæ a ſe invicem diſtant quantum Pedicularis paluſtris a Pediculari folioſa. Adeo imperfecta Pedicularis hiſtoria. Eſt vero Pediculari flammeæ radix perennis, teres, ſubfuſiformis & ſubramoſa, duos tresve longa pollices, albida aut ex albo rubella, fibris ſparſis ſimplicibus & longiſſimis ſtipata. Caulem unicum annuatim promit, ima baſi Satyrii Epipogii adinſtar bulboſum & ſquamis auctum, ſimpliciſſimum, erectum, ſubtortum, a duobus ad ſeptem pollices altum, fiſtuloſum, teretem, profundius ſtriatum, glabrum aut ſubvilloſum, nunc ex albo rubellum, alias e nigro purpuraſcentem, ſesquilineæ aut duarum craſſitie. Folia radicalia conferta & in orbem ſparſa, petiolo gaudent gracili, ſupra canaliculato, ſubtus rotundato, glabro, ex albo rubello, pollicis unius aut duorum longitudine: ipſa cæterum pinnata ſunt, lanceolata aut oblonga circumſcriptione: pinnis alternis oppoſitisque, retroverſis & ſubimbricatim ſibi incumbentibus, ovatis, obtuſis, margine crenatis aut ſubſerratis, facie læte viridibus, dorſo pallidioribus, glauceſcentibus & ſubpunctatis, duas tresve lineas longis: confluunt verſus baſim & cum nervo foliaceo & verſus folii apicem quoque inter ſe, parium fere tredecim aut quatuordecim. Caulina alterna, erecta, tria quatuorve numero, ſenſim verſus ſuperiora breviora, radicalibus ſimilia. Spica florum terminalis, erecta, ovato-oblonga, obtuſa, ſesquipollicem aut duos longa, florum a decem ad quindecim & ultra: inferiores ſubſolitarii, laxiuſculi, pedunculo brevi, lineari, erecto, tereti, rubello inſtruuntur: ſuperiores magis congeruntur, omnes vero baſi bractea lanceolato-oblonga, obtuſa, crenata, hirſuta, apice ſubdilatata ſuffulti. Calyx monophyllus, tubuloſis, oblongus, ore ſuo breviter quinquefidus, hirſutus: ſegmentis lanceolatis, acutis, integris, ex incano

viri-

viridibus, ſtriisque uti totus calyx purpuraſcentibus pictis. Corolla ringens, ſpecioſa, citrina, flavedine nunc paulo dilutiori aut in planta pygmæa ex flavo leviter in fulvum vergente, a quo flammeæ nomen derivatum ſuſpicor: tubus albus, cylindricus, erectus, longitudine calycis: labium ſuperius erectum, compreſſum, apice obtuſo, bifido, parum deorſum inclinato & nigro-purpuraſcente: vidi tamen & intermiſtim flores galeæ apice vel leviter ſolum emarginato, vel plane integro. Labium inferius trilobum, lobis lateralibus majoribus, ſubrotundis, margine crenatis: ad faucis perviæ rictum prominentiæ duæ laterales ſulcum intercipiunt a medio & minori labii inferioris ſegmento, in faucem usque productum. Stamina quatuor: filamenta didynama ex tubi baſi enata, capillaria, alba, inclinata, labii ſuperioris longitudine: antheræ galeæ incluſæ, incumbentes, ovatæ, ex albo flavicantes, in medio macula atra ſubrotunda notatæ. Stylus filamentis æqualis, filiformis, ex albo purpuraſcens: ſtigma obtuſum, inflexum, ſæpius ultra galeæ apicem exſertum. Capſula oblonga, bilocularis, obliqua, apice recurvo dehiſcens, ſenſim matureſcentibus ſeminibus ultra calycis tumidi ſegmenta producta. Semina plurima, ovato-oblonga, glabra, cinerea, aſpera. Odor nullus.

XXXI.

ANTHEMIS CORYMBOSA.

Anthemis foliis ſubbipinnatis linearibus acutis: caule ſimplici erectiuſculo villoſo: petalis obovatis obtuſiſſimis tridentatis.

Anthemidi alpinæ valde adfinis planta & earumdem cum Potentilla Salisburgenſi alpium hoſpita, naſcitur in ſterilibus, ſabuloſis, humentibus, ad pedem ſcopulorum glacialium, atque rivulorum ex iisdem undique propullulantium ſequitur latera. Medium quaſi Achilleas inter & Anthemides tenet locum & profecto facile incautior inter Anthemidis alpinæ relegaret varietates, ni nefas foret & legibus Philoſophiæ botanicæ adverſum, corymboſam plantam cum ſimili conſtanter uniflora, ad faſtidium mihi in vicinis alpibus viſa, confundere. Radice eſt perenni, obliqua, tereti, ligneſcente, pennæ columbinæ craſſitie, quadri- & quinquepollicari, ſordide flavente aut fuſca, fibris lateralibus ſparſis & his fibrilloſis, perpendiculariter demiſſis firmata. Caulis ex eadem radice unicus (qui Anthemidi alpinæ multo frequentiores) baſi leviter reclinatus, hinc aſcendens, erectiuſculus, a quatuor ad decem & ultra pollices altus, teres, ſubtiliter ſtriatus, villoſus, aquoſe virens, baſi vero & in ſummitate rubellus, corymbo florum Achillæarum in morem terminatus. Folia radicalia plura faſciculatim collecta, petiolata: caulina alterna, ſubſeſſilia: omnia in planta juvene villoſula, in adultiore villo omni dejecto glabra, pollices duos tresve longa, unum circiter lata, & ſubbipinnata: pinnis alternis, linearibus, anguſtis, mucronatis, erectis, nunc integris alias repetito-dentatis, bi- trifidisque: nervo communi foliaceo, lateſcente, & ſubamplexicauli. Flores terminales, corymboſi, magni, ſpecioſi, nivei candoris, ut eminus ſeſe prodant, a quinque ad decem usque. Pedunculi ſimplices, inæquales, erecti, teretes, ſtriati, lanuginoſi, ex incano virides, plus minus pollicares, uniflori, rarius biflori: inferiores intermedio, principe & craſſiori, paululum altiores. Calyx hemiſphæricus, ex atro virens, ſubvilloſus, ſquamis plurium ordinum inæqualibus, imbricatis, erectis, ſibique arcte adpreſſis, lanceolatis, acutiuſculis, medio virentibus, margine apiceque ſcarioſis, atris. Radii femi-

nini

nini ligulæ ſeptem oĉtove numero patent, obovatæ, obtuſiſſimæ, integræ aut obtuſe tridentatæ, ſubtiliter ſtriatæ, lineas tres circiter longæ, linea latiores. Flores diſcoidei tubuloſi, albi, quinquefidi, ſegmentis lanceolatis, acutis, integris, patentibus: tubo reĉto, cylindrico, glabro & ex albo virente. Filamenta breviſſima, albida, ſubcoalita: antheris fulvis. Stylus filiformis albus, ultra antherarum tubum produĉtus: ſtigmata duo revoluta, alba: diſci area a polline antherarum ex albo fulvoque varia. Receptaculum conicum, paleaceum: paleis lanceolatis, acutis, planis, ereĉtis, albis, apice margineque ſuperiore nigris. Semina absque pappo. Debilis floribus odor. Inter ultimas Auguſto in finem vergente floret.

XXXII.

GENTIANA BAVARICA.

Gentiana corolla quinquefida infundibuliformi ſerrata: foliis ovatis obtuſis. *Linn. ſyſt. pag.* 268. *Allion. flor. ped. tom. I. pag.* 98. *num.* 358. *Jacq. obſ. bot. faſc. II. tab.* 71. ?

Gentiana foliis ovatis, caule unifloro. *Hall. hiſt. tom. I. pag.* 287. *num.* 645. *Hall goett. pag.* 200.

Gentiana elegantiſſima Bavarica. *Cam. hort. pag.* 65. *tab.* 15. *num.* 2. *Barrel. ic.* 101.

Grata viſui planta copioſe provenit in omnibus fere editioribus alpibus Tyrolenſibus & Salisburgenſibus, ad nivis contabeſcentis oras: at nuspiam viſa uberior, quam in ſæpe laudatis Judenburgenſibus Styriæ, locis udis humeĉtis & ad ſcaturigines fontium, quas una cum Saxifraga autumnali

denſis ceſpitibus ornat. Radix gracilis, an annua? ſubhorizontalis, geniculata, fibroſa, albida aut flaveſcens & amariuſcula, plures in ſuo decurſu emittit caules ramosque ſteriles & folioſos. Illi nunc proſtrati & diffuſi in orbem, alias e procumbenti aſcendentes & ſubereƈti, quadri- aut quinqunciales, anguloſi, glabri, albidi aut aquoſe rubelli, folioſi, paribus foliorum ſeptem, oƈto aut pluribus, ſingulis apice unicum florem gerentibus. Folia conjugata, ovata, obtuſiſſima fereque ſubrotunda, integerrima, craſſiuſcula, lævia, ſubnitida, quatuor circiter lineas longa, ultra duas lata: radicalia confertiora adproximata & in roſulas expanſa, caulina laxiora remota, ſupremo pari ſub ipſo ſtatim flore ſeſſili. Flos terminalis unicus amabilis coloris eleganter cærulei cœleſtis, pluvio aut nimboſo Jove arƈte clauſus. Calyx dimidio corollæ tubo æqualis, quinquangularis, apice ad unam circiter tertiam longitudinis partem quinquefidus, glaber, ex atro cæruleſcens aut violaceus, ſegmentis ſubplicatis, lanceolatis, acuminatis & ereƈtis. Corollæ monopetalæ infundibuliformis & quinquefidæ ſegmenta patent, ovata, acuta, integerrima aut emarginata ſubſerratave (ita variant) concaviuſcula, quatuor circiter lineas longa, duabus latiora. Inter duo quæque ſegmenta dens triangularis ereƈtus ſubbifidus, & ex albo cæruleus interjicitur: tubo longo, cylindrico, ſenſim dilatato, ſubtiliter ſtriato, baſi albido, ſuperne violaceo. Filamenta quinque tubi fere medio inſerta, eoque paululum breviora, capillaria, alba, ereƈta: antheris oblongis flavis. Germen oblongum, ſubangulatum, ereƈtum, ex flavo virens, ſenſim ultra tubi orificium produƈtum: ſtylus breviſſimus compreſſus aquoſe cæruleus: ſtigmate capitato obtuſo. Nullus odor: floret Julio & Auguſto.

XXXIII.

XXXIII.

CYNOGLOSSUM SYLVATICUM.

Cynogloſſum ſtaminibus corolla brevioribus; foliis lanceolatis, aſperis, planis, ſubſeſſilibus, remotis.

Cynogloſſum foliis planis, ſeſſilibus, elliptico-lanceolatis, aſperis. *Hall. hiſt. tom. I. pag.* 260. *num.* 588.

Cynogloſſum folio virenti. *J. Bauh. tom. III. pag.* 600. *Rup. jen. pag.* 12.

Cynogloſſum ſylvaticum Hercynicum. *Thal. pag.* 31.

An Cynogloſſum ſylvaticum rubente caule. *C. Cauh. p.* 257. *Pluk. almag. pag.* 126.?

Cynogloſſa montana media rubro flore. *Columm. ecph. pag.* 175. *tab.* 174.

Naſcitur in Auſtriæ inferioris, ſylvis montoſis editioribus umbroſis atque humentibus non rara, cum Serapia enſifolia, Hyperico hirſuto & Stachy ſylvatica, facie habituque omnino uti & aliis notis a Cynogloſſo officinali diverſa, ut cum Hallero, Ruppio & aliis pluribus viris graviſſimis ſeparaverim. Tota læte viret, aſpera atque omni tomento illo albido Cyngloſſo officinalis deſtituitur. Radix ei biennis, obliqua, tres quatuorve uncias longa, teres, ſubligneſcens, extus ex fuſco nigricans, albida intus, exuviis aridis fuſcis petiolorum priorum annorum ſuperne tecta. Caulis ſolitarius altero ætatis anno inde prodit, erectus, cubitalis, bipedalis, & in univerſum altior, rectior, gracilior, foliisque multo laxius quam in Cynogloſſo officinali obſitus, teres, profundius ſtriatus, ex rubello virens, inanis, villis albidis hirtus, aſper, in ramos ſuperne plures ſecedens, alternos, axillares, erectos, ſubnudos, folio longiores, apice floriferos caulique ſimi-

les. Folia radicalia atque caulina inferiora cæteris paulo latiora, petiolo gaudent erecto, duas tresve uncias longo, basi dilatato, sessili: superiora sessilia, semiamplexicaulia, alterna, remota, erecta, lanceolata, acuminata, integerrima, læte aut ex flavicante viridia, utrinque sed dorso inprimis aspera, hirta, uncias quinque aut semipedem longa, unam circiter lata. Flores in caulis ramorumque summitate ineleganter cærulei aut obscure rubentes, unilaterales, subspicati aut racemosi, racemo uno aut duplici, unciali vel triunciali longitudine, Heliotropii fere in morem deorsum introrsumque reflexo, sensim elongato, cum flore solitario longius pedunculato e centro aut lateribus ramulorum prodeunte. Pedunculi teretes, brevissimi, tomentoso-albidi. Calyces quinquepartiti segmenta patent, lanceolato-oblonga, obtusissima, integerrima, segmentis corollæ æqualia, læte viridia & subhirsuta. Corollæ monopetalæ, infundibuliformis, quinquefidæ & diametro quatuor fere lineas æquantis, segmenta ovata, obtusa, integerrima, & patentia: tubo brevi, subgloboso & ex albo cærulescente. Squamæ quinque ovatæ, erectæ, obtusæ, apice conniventes, emarginatæ, ex albido cærulescentes faucis marginem obsident eamque claudunt. Stamina in tubi superiori parte hærent, filamentis albidis, brevissimis: antheris ovatis luteis. Stylus subulatus, erectus albidus, tubo corollæ brevior: stigmate simplici obtusiusculo. Arilli seminum quatuor interiori latere stylo adfixi, obovati, asperi, muricati, fusci. Nullus odor. Majo Junioque floret.

XXXIV.

XXXIV.

CAMPANULA PUSILLA.

Campanula foliis omnibus ferratis: radicalibus cordato-ovatis, firmis, nitidis: caulinis linearibus, alternis, remotis.

Campanula foliis radicalibus, cordatis, ferratis, caulinis linearibus. *Hall. hift. tom. I. pag.* 699. *num.* 702.

Campanula alpina rotundifolia minor. *C. Bauh. prodr. p.* 34.

Campanula rotundifolia minima Cafparis Bauhini. *Seguier. fuppl. pag.* 105.

Campanula alpina linifolia cæruleo flore unico, pentagono, grandi in fummo cauliculo. *Scheuchz. it. IV. pag.* 454. *fig.* 4.

Campanula parva rotundifolia, flore cæruleo pentagono grandi. *Ejusd. it. II. pag.* 131.

Eadem fere plantulæ formofæ fata, quæ Orchidibus fufcæ & variegatæ Jacquinii & Cercopithecæ Sibthorpii, diverfiffimis certe ftirpibus, quæ nihilominus perquam longo tempore inter Orchidis militaris latuere varietates, & nuper tandem recentiffimis fummorum virorum obfervationibus jure fuo potitæ, ac propriis nominibus publici juris factæ. Sic quoque Campanulæ rotundifoliæ titulo a Linnæo non unam fed tres vere diftinctas fpecies (miffis pluribus plantarum polymorpharum varietatibus) comprehenfas fuiffe fatis evictum eft, ut alteram jam beatus Scopolius Campanulæ linifoliæ nomine a Linnæana ftirpe divulferit, alteram vero ego Halleri exemplo æquo jure non potuerim non feparare. Alpium editiorum etfi proprie hofpita fit, tamen & ad rupes fubalpinas defcendit, & torrentum alpinorum inundationibus eluta, copiofiffima quoque provenit atque læte vegetat in arenofis Ifo-

læ

læ Dravique adſitis campis, retento tamen ubique puſillo & pygmæo habitu. Radice prædita eſt perenni, tenui, tereti, fibroſo-ramoſa, ſordide albente, & multicipite. Caules inde plures ceſpitoſe collecti annuatim prodeunt, erecti, a tribus ad-quinque ſummum uncias alti, teretes, graciles, ſtriati, profunde aut ex atro virentes & toti quanti glabri. Folia radicalia in quavis plantæ ætate numeroſa adſunt, dum omnibus Campanula linifolia ſub floreſcentiæ ſtadio deſtituatur: atque hæc in orbem ſparſa, petioloque inſtructa ſuperne canaliculato, glabro, læte viridi, plus minus unciali: quoad formam cordato-ovata ſunt, ſæpe rhomboidea, acuta, margine ſuperiore argute ſerrata, firma, glaberrima, nitida, facie læte viridia, dorſo pallidiora, ſemiunciam fere longa, ſed eo anguſtiora. Caulina alterna, remota, erecto-patentia, acuta & conſtanter acute ſerrata: inferiora lanceolata ſubpetiolata, ſuprema ſeſſilia linearia. Flores aquoſe cærulei intus pallidiores, rarius albi, amœni, pro plantæ magnitudine magni, ſed pauci, a duobus ad quinque, racemoſi, pedunculis inæqualibus filiformibus, primo erectis, dein nutantibus, glabris, ſature viridibus, unifloris, unciam unam plus minus longis, atque bractea una aut duplici ſupra medium ſetacea inſtructis. Nec tamen raro unicus ſolummodo flos ſingulos cauliculos terminat. Calycis monophylli quinquepartiti laciniæ lineari-ſetaceæ, acutæ, erectæ, profunde, uti totus calyx, virides atque corolla triplo breviores. Corolla monopetala, campanulata, ore quinquefida: ſegmentis ovatis, acutis, integerrimis, patentibus. Filamenta breviſſima capillaria: antheris lineari-oblongis erectis luteis. Germen inferum quinquangulare: ſtylus filiformis, erectus, ſtriatus, glaber, pallide cæruleſcens, trifidus, corollæ fere longitudine: ſtigmata tria, obtuſa, craſſiuſcula. Conſtantiores diſcriminis notas attentiori examine erutas hic ſubjungere lubet plantis tribus, habitu omnino diverſiſſimis, diſtinguendis ſufficientes:

Cam-

Campanula (rotundifolia) foliis glabris: radicalibus reniformibus, ferratis, flaccidis: caulinis fparfis, lanceolato-linearibus, integerrimis.

Campanula (linifolia) foliis fubhirfutis: radicalibus obovatis, fubrotundis, ferratis: caulints confertis, linearibus, integerrimis: dentibus calycinis fetaceis.

Hæc duris, petrofis & apricis locis vallium alpinarum provenit, illa vulgatiffima in umbrofis fylvarum atque rupium planitiei.

XXXV.

CAREX ALBA.

Carex fpica mare terminali, oblonga: femineis duabus linearibus, florentibus erectis, fructiferis pendulis: vaginis pedunculorum, fquamisque floralibus tumidis, fcariofis argenteis: culmo fubnudo vaginofo: foliis fubfetaceis, capfulis globofis mucronatis, radice reptante. *Allion. flor. ped. tom. II. p.* 269. *num.* 2322. *Scopol. flor. carn. edit.* 2. *num.* 1148.

Carex fpicis femineis raris, petiolatis teretibus acutis, marem æquantibus. *Hall. hift. tom. II. num.* 1377. *Hall. enum.* 236. *num.* 9.

Cyperoides polyftachyon minimum, fpicis per maturitatem albicantibus. *Inft. R. H.* 530. *Mont. agr. bon. prodr.* 20. *Seguier. veron. fuppl. pag.* 82. *num.* 11.

Cyperoides foliis tenuiffimis, caule fubtriquetro, fpicis exiguis albicantibus pediculis longis infidentibus: capfulis turbinatis rotundo-triquetris lutefcentibus, in apicem tenuiffimum una præcipue parte opertum coarctatis. *Mich. nov. gen. pag.* 65. *num.* 79.

Gramen cyperoides exiguum, feminibus bullatis. *Pluk. p.* 128. *tab.* 91. *fig.* 2.
Gramen fylvaticum fpicatum anguftifolium, fpica alba. *C. Bauh. Scheuchz. agroft. pag.* 140. *tab.* 10. *fig.* 4. 5.

Primo vere floret abunde novum gramen in Auftriæ inferioris pinetis montofis, ficcis, fupra Medling, Brühl & in tota illa montium catena plantis rariffimis divite, ibidemque jam longe antea ab illuftr. a Mygind & a clar. Schiverek lecta. Longe per terram ejus ferpit radix horizontali directione, perennis, teres, pennæ columbinæ craffitie, fquamis undique vaginantibus fufcis aut nigricantibus operta, culmosque florentes folitarios aut aggregatos, plures inter foliorum fafciculos, perpendiculariter eidem omnes infiftentes, producit. Folia & in fafciculis, numero varia, & illa ad culmorum exortum, bafi vaginis imbricatis, ftriatis, aridis & fufcefcentibus obvoluta, erecta, anguftiffima fereque fetacea, attamen medio fuperne canaliculata atque in mucronem acutiffimum fenfim attenuata: glabra cæterum, utrinque læte viridia, fubtiliter ftriata, margine digitis deorfum ductis quam minutiffime ferrulata, a tribus ad novem & ultra uncias longa: culmo florente eundem fubæquant & latiora funt, ætate poftea fenfim elongata fuperant eundem, multoque anguftiora evadunt. Culmi inter hæc plures plerumque fimul prodeunt, tenues, erecti, femipedales, altiores etiam, bafi albidi vaginisque foliorum fcariofis, amplexantibus, ad unam tertiam circiter altitudinis partem obfiti: iidem obfcure obtufeque trigoni, glabri, læte virides, vix vifibiliter ftriati, enodes, nec nonnifi fuperne ad fpicarum exortum genicello duplici, lævi, tumidulo inftructi. Vagina peculiaris, cylindrica, culmo arcte obvoluta, unciali aut biunciali intervallo, furfum continuatur, apice fuo in ligulam aridam, fcariofam, albam atque obtufam abeuns: fimiles fed laxiores & tumidiufculæ, ad fpicularum femineinearum bafin enatæ, pedun-

dunculos femiunciali fere fpatio obveftiunt. Spica mafcula terminalis, gracilis, erecta, lineari-oblonga, obtufa, ultra femiunciam longa, ex albo cum virore flavefcens, fquamis compofita imbricatis, lanceolato-ovatis, acutis, integris, fubfcariofis, ex albo pellucentibus, linea virente per medium dorfi ducta, lineas duas aut tres circiter longis, lineam unam latis. Filamenta tria alba funt, capillaria, flaccida, longe ultra fpicæ fquamas exferta illisque duplo fere longiora. *Antheræ* lineares flavent. Spicæ feminæ infra marem utplurimum duæ, rarius una, rariffime tres, pollicem unum aut duos a fe invicem remotæ, longius pedunculatæ, erectæ, atque florenti culmo arcte adpreffæ: lineares cæterum, obtufiufculæ, lineas quinque aut femiunciam longæ, paucifloræ: pedunculis erectis, compreffo-planis, ex propria vagina, alba, laxa prodeuntibus, iisdemque plus minus femiuncialibus: fupremæ maturefcentibus feminibus ultra mafculam producto. Squamæ feminas diftinguentes erectæ, alternæ, tandem remotæ, carinatæ in pedunculo alternatim leviter incraffato, feffiles eidemque arcte adpreffæ, ovatæ, obtufæ cum acumine, bafi prominulæ, ex albo pellucentes, linea fimili viridante in dorfi medio notatæ. Germen ovato-oblongum in fquamæ fundo feffile: ftigmata tria, albida, cirrhofa, revoluta, fquamis longiora. Capfula ovato-triquetra, fubglobofa, tumida, mucronata, trivalvis, ftriata & fufcefcens. Semina triquetra, acuminata, rufefcentia.

XXXVI.

DIANTHUS GLACIALIS.

Dianthus floribus folitariis, fubacaulibus: fquamis calycinis elongatis, acuminatis, tubum fuperantibus: foliis linearibus flore longioribus.

Nullam omnino apud auctores plantæ reperio mentionem. Summarum alpium Salisburgenfium Kartal & Frosnitz hofpita, locis fterilibus, fabulofis, in ambitu immenfæ illius molis glacialis, qua thoracis adinftar, non ante diem folvendi, fupremæ earum valles uti & culmina rigent. Nulla fufpicio eft Dianthum alpinum, pratis fubalpinis præprimis Auftriæ adeo familiarem, florisque magnitudine & elegantia hunc multoties fuperantem, ad editiffima hæc frigidiffimaque loca evafiffe, uti ex fequenti defcriptione patebit. Radix ei perennis, fufiformis, perpendicularis, fubramofa fufca aut fordide flavens, quatuor, quinque fubin uncias longa, fibrillis lateralibus concoloribus fparfim aucta & multiceps. Latum hæc adultior denfumque Silenes acaulis in morem, communiter educit cefpitem florum foliorumque radicalium. Hæc conferta & expanfa in orbem, aut fuberecta, linearia, angufta, integerrima, verfus apicem modice latiora, obtufa, aut acutiufcula, medio fuperne canaliculata, cæterum læte viridia, glaberrima, craffiufcula & fubpulpofa, ab una ad duas circiter uncias longa, flores hinc longitudine multoties fæpe fuperantia, lineam unam fere lata. Flores nunc acaules funt, alias cauliculo breviffimo aliquot linearum, tereti, albido, glabro, unifloro eoque uno aut duplici foliorum pari inftructo fuffulciuntur. Squamæ calycinæ duæ, conjugato-oppofitæ, adpreffæ, ovato-lanceolatæ, elongatæ, acuminatæ, tubo calycis longiores, glabræ & rubellæ. Calyx

mono-

monophyllus, tubulofus, cylindraceo-oblongus, ultra femiunciam longus, glaber, ftriatus, e fufco purpurafcens, apice breviter quinquefidus: laciniis lanceolato-ovatis, acutis, erectis, margine apiceque fcariofis, albidis & fubpellucentibus. Petala purpurea, parva, inconfpicua, inodora, calycis tubo duplo breviora, plana, patentia, verfus faucem albida, ftriisque tribus profundius purpurafcentibus picta, extus pallida & ex cinereo rubella: ungue recto, albo, glabro, calyci æquali. Filamenta fubæqualia, fubulata, alba: antheris incumbentibus, ovatis, e cinereo-cærulefcentibus. Germen oblongum, glabrum, erectum. Styli duo, cylindrici, erecti, albi, glabri, calycis tubo paulo longiores. Stigmata revoluta, fubplumofa, alba.

XXXVII.

SILENE RUPESTRIS.

Silene floribus erectis, petalis emarginatis, calycibus teretibus, foliis lanceolatis. *Linn. fyft. pag.* 422. *Allion. flor. ped. tom. II. pag.* 82. *num.* 1580.

Vifcago foliis lanceolatis, caulibus brachiatis, calycibus infundibuliformibus, floribus laxe umbellatis, erectis. *Hall. hift. tom. I. pag.* 398. *num.* 917.

Lychnis faxatilis alpina glabra pumila. *Tournef. inft.* 338. *Scheuchz. it. II. pag.* 137.

Auricula muris alpina glabra, five Lychnis glabra minima aut Cariophylli minima fpecies flore albo. *Bauh. hift. tom. III. pag.* 360.

Alfine alpina glabra. *C. Bauh. prodr. pag.* 118.

Minime rara in rupeſtribus, irriguis alpium Styriæ, Tyrolis & earum convallibus, cum Sempervivo montano, Senecione incano & Saxifraga bryoide, Junio Julioque menſe florens. Radix perennis, ſublignefcens, ramoſa, multiceps, albida aut aquoſe flavens caules producit plures, erectos, a duobus ad quinque altos pollices, teretes, geniculatos, læte aut ex glauco virides, glabros, ſuperne ramoſos, floriferos. Folia oppoſita ſunt, lanceolata, acuta, integerrima, erecto-patentia, glabra utrinque & ex glauco viridia, rarius ſubincana, unciam fere longa, lineas duas & ultra lata: ſuperiora ſenſim minora. Flores terminales in caule ramisque ſubdichotomis trichotomisque. Pedunculi erecti, teretes, filiformes, læte virides, glabri, uniflori, inæquales, intermedio ſæpe majori. Bracteæ binæ, oppoſitæ, lanceolatæ, acutæ, foliis ſimiles pedunculorum baſi ſubjacent. Calyx erectus, ovatus, campanulatus, apice quinquefidus, ſtriatus & ex albo virens: ſegmentis breviſſimis, ovatis, obtuſis, apice ſcarioſis atque ex albo fuſceſcentibus. Petala quinque, lactea, obverſe cordata emarginataque, obtuſa, patentia, duas tresve lineas longa, lineam lata: ungue recto, ex albo virente, calycis longitudine. Squamæ albæ, breviſſimæ, acutæ, faucis ambitum coronant Stamina decem: filamenta capillaria, alba, inæqualia, ultra calycis ſegmenta producta: breviora quinque unguibus petalorum inſident, reliqua ex inſtertitiis petalorum prodeunt: antheræ oblongæ, incumbentes, albidæ. Germen erectum, oblongum, glabrum, & ex albo virens: ſtyli tres, breviſſimi, albi: ſtigmata ſimplicia.

XXXIII.

MELICA UNIFLORA.

Melica panicula rara, erecta, patente: calycibus bifloris, flofculo altero hermaphrodito, altero neutro. *Retz. prodr. flor. fcand. num.* 94. *Retz. obf.* 4.

Frequens habitat in folitudinibus, fylvisque denfis, umbrofis, cæduis, nec non ad pedes rupium excelfarum Bohemiæ, Auftriæ, & mirandum fane, ad noftra usque tempora incognitam latuiffe. Radix ei repens, longiffima, fibrofa, albida aut flavefcens, geniculata, internodiis inæqualibus, vaginisque aridis, membranaceis, fufcis aut purpurafcentibus undique operta. Culmi plures inde feriatim affurgunt, pedales, bipedales & altiores, erecti, tenues, rigidiufculi, fupra dimidium foliofi, inferne teretes, fuperne qua nudi & ad genicula angulati, fubtetragoni, glabri, ftriati læteque virides. Genicula quatuor vel quinque numero inæqualibus intervallis a fe invicem diftant, glabra & purpurafcentia, fuperiora fenfim remotiora. Folia erecta, plana, mucronata, læte utrinque viridia, ftriata, glabra, deorfum, præprimis margine, fcabriufcula, nervo tenui albicante per dorfum ducto, ab unciis duabus ad feptem octove longa, quo fuperiora eo longiora, lineas duas aut paulo ultra longa. Vaginæ fubteretes, ftriatæ, infimæ purpurafcentes, fcabræ, fupremæ glaberrimæ & læte virides. Ligula ad internam foliorum bafin fubinde præfens, arida, purpurafcens & in longum acumen producta: in ejus defectu foliolum adeft fetaceum, duas, tres lineas longum. Panicula rara, erecta, patens, fimpliciffima, quatuor quinque uncias & ultra longa, ramis binis femper conjunctim ex eodem culmi

mi loco inæqualibus intervallis egredientibus, altero longiore, erectis, filiformibus, rigidulis, deorſum ſcabris, duas tresve uncias longis. Flores in caulis, ramulorumque extremitate, alterni, pauci, pedicellati: pedicellis brevibus, erectis, ſubflexuoſis, ab una ad tres lineas longis. Calycis biflori & bivalvis glumæ ſubæquales, ovatæ, acutæ, concavæ, ventricoſæ, glabræ, baſi dorſoque purpuraſcentes, apice & marginibus ſubmembranaceis, diaphanis, duas ad tres longæ lineas, ſesquilineam latæ. Floſculus inferior in calycis fundo ſeſſilis, hermaphroditus, fertilis: valvulis glabris, inermibus, exteriori majori, oblonga, carinata, ex albo viridique purpuraſcente, interiori ſubangulata, ſtriata atque in exterioris ſinu latente. Antheræ flavæ: ſtigmata alba, plumoſa. Folliculus alter imperfectus, floris rudimentum, pedicellatum, truncatulum & ſubincurvatum. Non in millenis ſpeciminibus, quæ examinavi, duos perfectos flores vidi.

Obſ. Melicæ *nutanti* proxima eſt, a qua tamen differt flore unico fertili, panicula erecta & expanſa, ramis longiſſimis, glumis denique calycis acuminatis florales ſuperantibus easque ſubincludentibus.

XXXIX.

GENTIANA ELONGATA *Tab.* 17. *fig.* 3.

Gentiana corolla quinquefida infundibuliformi: caule elongato filiformi ſubnudo unifloro: calyce oblongo æquali: foliis radicalibus aggregatis.

Auſtralioris Europæ alpes nequaquam Floræ cultoribus adhucdum omnes ſuas aperuiſſe divitias, & potiſſimum in inhoſpitis ſupra glaciales valles

les earum culminibus, ad quæ vel nullus aut ſaltem difficilis datur adſcenſus, paſſim vegetare incognitas regni vegetabilis cives, omnino perſuadeor, pluribus itineribus alpinis edoctus, quanta præmia nunquam non reportarit Botanicus, qui ſpretis difficultatibus audax eam Atmoſphæræ regionem petat, quousque Floræ dominium & mortalibus acceſſus patet. Id ex nuperis aliorum plurimis inventis, id ex pauculis meis novellis ſtirpibus colligo. Quanta etenim brevi annorum curriculo Flora alpina ſumpſit incrementa? Quantus numerus alpinarum ſtirpium, quæ anguſtis antea limitibus continebantur, acceſſit Halleri & reliquorum Helvetiorum indefeſſa induſtria? etſi magna earum parte adhuc ſexuale Linnæi ſyſtema careat. Quæ plurima & graviſſima in hac Botanices parte Jacquinii & Wulfenii inventa? Quantas denique ſymbolas ſuppeditare Pedemontii alpes Allionii invicto labore? ut nullus dubitem, in tanto editiſſimarum alpium numero, quas nedum botanici luſtraverunt oculi, amplum ſupereſſe ſtirpium numerum, quæ fors nonniſi poſterorum aſſiduo conamine in lucem prodibunt. Plantulam quam propono, Tyrolenſibus alpibus debeo, lectam utpote in ſupremo & præcipiti jugo alpium Schleinitzenſium prope Leontium, qua glaciatos montes *den Glokner* reſpicit, cum Ranunculo glaciali, Gentiana nana, & Pediculari roſea. Perenni nititur radice, tereti, gracili, ſubrepente, lenta, fibroſa fuſca aut flavente, quæ plures in ſuo decurſu ad terram emittat foliorum radicalium roſulas, ſubradicantes. Ex harum centro caulis unicus prodit, erectus aut ſubaſcendens, bi- vel triuncialis, filiformis, ſubangulatus, glaber, ſubnudus, purpuraſcens, unicum apice ſuſtinens florem. Folia radicalia in roſulam parvam ſed denſam congeſta, obovata, ſubrotunda, obtuſa aut acutiuſcula, integerrima, enervia, utrinque læte viridia, glabra, duriuſcula, firmula, ſemiunciam fere longa, lineas quatuor aut paulo ultra lata. Unum plerumque foliorum obtuſorum par infra medium cauli inſidet. Flos terminalis,

nalis, solitarius, eleganter cæruleus, Gentianæ bavaricæ similis, sed paulo minor. Calyx monophyllus, tubulosus, oblongus, modice angulatus, æqualis, corollæ tubo multo brevior eidemque arcte adpressus, glaber, striatus, ex viridi cæruleoque purpurascens, apice brevissime quinquefidus: segmentis erectis, lanceolatis & acutis. Corollæ monopetalæ limbus quinquefidus, segmentis ovato-oblongis, acutiusculis, integerrimis, patentibus, tres ad quatuor lineas longis, sesquilineam circiter latis: tubo gracili, cylindrico, longo, semiunciæ longitudine ultra calycem producto, striato, ex cæruleo alboque vario. Auriculæ subrotundæ, obtusæ, integro aut subbifido apice, aquose cærulescentes cum limbi segmentis alternantur. Fauce corollæ pervia, glabra & imberbi. Filamenta medio fere ex tubi interiori pariete enata, alba, subulata, tubo breviora: antheræ conniventes, subcoalitæ, oblongæ flavent. Stylus brevissimus. Germen & capsula uti in pluribus congenerum oblonga, sensim ultra corollam exserta.

Obs. Hallero plantam cognitam fuisse, & dubie ab eo Gentianæ vernæ (num. 644. ejus) adsociatam verosimile est. Hæc etenim illius verba, descriptioni Gentianæ vernæ tom. I. pag. 286. addita: *Non satis novi, an separare liceat plantam humiliorem unciali altiorem, ad terram rosulam habentem foliorum breviorum, quam prior* (Gentiana verna,) *non ita nervosorum, pene subrotundorum, accurate lanceolatorum & argutorum. Flos minor similibus ex albo & cæruleo variis ornamentis inter segmenta floralibus distinctus. Summarum alpium solarum est, Fouly, S. Bernhard: etiam in Taveyannaz. Diceres hybridem inter Hippion & Bavaricam.* Et porro addit: *Gentiana pumila Cl. Jacquin. obs. II. p. 29. tab.* 49. *& Flor. aust. v.* 4. *tab.* 302. *aliquanto angustiori folio non differt.* Hanc vero differre nullus recentiorum dubitat, quanto magis illa?

LX.

LX.

PHALARIS ALPINA.

Phalaris panicula ſpicata, cylindrica, hirſuta: glumis calycinis æqualibus, lanceolatis, ariſtatis, carina ciliato-hirſutis.

Phleum Michelii. *Allion. flor. ped. tom. II. pag.* 233. *num.* 2138.

Phleum ſpicis paniculatis, hirſutis, calycibus lanceolatis. *Hall. hiſt. tom. II. pag.* 246. *num.* 1532.

Gramen ſpicatum ſaxatile, glabrum, perenne, ſpica cylindracea, flaveſcente, longa: locuſtis acutis, cilii inſtar piloſis. *Mich. hort. piſ.*

Gramen typhinum junceum perenne. *Barrelier. ic.* 21. *num.* 2.

Gramen typhoides alpinum, ſpica graciliori delicata & villoſa. *Scheuchz. agroſt. p.* 65.

Gramen alopecuroides, cum cauda muris purpuraſcente. *Moriſ. hiſt. oxon. tom. III. p.* 192.

Gramen caudæ muris purpuraſcenti aliquantum ſimile. *Bauh. hiſt. tom. II. pag.* 473.

Abunde occurrit in plerisque pratis ſiccioribus alpinis & ſubalpinis Styriæ, Tyrolis, Auſtriæ, mixtim cum Phleo alpino: ſpeciatim vero in prato *die Bahnwieſe* dicto, montis ſubalpini Gans, Schneeberg adſiti, nil hoc gramine vulgatius: ſpicularum fabrica omnino a Phleo diverſum, inter quæ retulit Hallerus & nuper Allionius. Radix perennis, horizontalis, nodulosa, unum, duos longa pollices, ſordide flavens, fibrillisque perpendicularibus, ramoſiſſimis & concoloribus firmata, culmum emittit unicum, baſi modice reclinatum, vaginisque foliorum emarcidis obſitum, hinc ere-

ctum, pedalem, cubitalem & altiorem, teretem, glabrum, profundius ftriatum, foliofum, geniculatum, læte viridem, aut fuperne non raro purpurafcentem. Genicula tria aut quatuor profundius purpurafcentia, glabra. Folia plana, erecta, acuminata, glabra, marginibus deorfum afperrima, læte viridia, duas ad tres uncias lata, uncias totidem & ultra longa. Vaginæ profundius ftriatæ, glabræ, laxiufculæ, præprimis fupremæ. Panicula fpicata, Poæ criftatæ fimilis, cylindrica, erecta, obtufa, hirfuta, ex albo viridique purpurafcens, duas aut tres fæpe uncias longa, lineas quatuor circiter craffa. Rara intercurrunt panicula interrupta fpecimina, quæ alias communiter æqualis & continua. Ramuli inæquales, breviffimi, alternatim fafciculati, ftricti, multiflori: floribus fubfeffilibus, congeftis, diftichis & antrorfum vergentibus. Calyx bivalvis, uniflorus: valvulæ æquales, minimæ, truncatæ, rectæ, corolla longe majores eamque includentes, carinatæ, compreffæ, lanceolatæ, acuminatæ, ariftatæ, indivifæ, dorfo acuto villis albidis denfe ciliato-hirfutæ, cæterum pallide & ex albo virentes, linea faturatiori per dorfum decurrente, apice purpurafcentes, marginibus parallelis, albidæ, fcariofæ & diaphanæ, lineas duas fere tres longæ. Corolla bivalvis, glumis fubæqualibus, carinatis, obtufiufculis, glabris & calyce brevioribus: interiori paulo minori. Antheræ oblongæ, flavæ: filamenta capillaria, alba, breviffima, glumis floralibus breviora. Stigmata alba, villofa. Styli breves, albi.

XLI.

XLI.

FESTUCA HETEROPHYLLA.

Feſtuca foliis laxis: radicalibus ſetaceis, caulinis planis, latioribus: panicula rara, ſecunda: ſpiculis ſubſexfloris, lanceolatis, glabris, ariſtatis.
Feſtuca foliis radicalibus ſetaceis, caulinis latioribus: locuſta ſeptiflora. *Hall. hiſt. tom. II. num.* 1438.

Copioſe provenit in celebri præcipitio *die Saugrube*, quod a ſummo jugo Schneeberg Auſtriæ verſus meridiem extenditur, locis glareoſis & labilium inter ruinas lapidum, cum Papavere & Antirrhino alpino, nec uspiam alibi viſa. Fibræ radicis innumeræ, teretes, graciles, flexuoſæ, e fuſco nigricantes, ſatis longæ, ramoſæ & diverſimode ſibi intertextæ. Culmi plurimi, ceſpitoſi, baſi leviter incurvi & vaginis foliorum radicalium aridis, laceris & ſtramineis obſiti: hinc erecti, pedales, ſæpe bipedales, teretes, glabri, profundius ſtriati, pallide virides, ſupra dimidium folioſi, geniculis inſtructi duobus aut tribus, atropurpureis, glabris: infimo prope radicem intra foliorum vaginas latente. Folia radicalia longa ſunt, anguſta, ſetacea, compreſſa, acuminata, utrinque & marginibus glaberrima, laxa, flaccidiuſcula, ſubtiliter ſtriata, pallide viridia & a quatuor ad ſeptem uncias longa. In culmo duo aut tria adſunt, ſtricta, plana, radicalibus multo latiora, ſed breviora, lineam unam circiter lata. Vaginæ laxæ, glabræ, notabiliter ſtriatæ. Ligula minima, flaveſcens, & arida, fere nulla. Panicula erecta, ſubſecunda, rara, lanceolata, acuta, tres ad quatuor uncias longa. Rami longiores, quam in adfinibus, inæquales, pauci, infimo loco bini ſimul, tandem ſolitarii egredientes, graciles, deor-

ſum aſperiuſculi & ſubtriquetri. Rachis uno latere compreſſo-plana albida, altero rotundata obtuſa. Spiculæ longius pedicellatæ, lanceolatæ, acutæ, diſtichæ, glaberrimæ, pallide virides, ſemiunciam longæ, ultra lineas duas latæ, a quinque ad ſeptemfloræ. Calycis glumæ inæquales, anguſto-lanceolatæ, acuminatæ, ſtrictæ, glumis folliculorum breviores, altera minore. Folliculi alterni, ſeſſiles: gluma exterior oblonga, convoluta, ariſtata, marginibus & apice albida & ad lentem denticulis minutiſſimis obſeſſa, duas ad tres lineas, absque ariſta longa. Ariſta ſesquilineæ aut duarum longitudine, albida aut vireſcens, ex ipſo glumæ apice prodit, itidem aſpera, denticulis in glumæ dorſum usque decurrentibus. Interior plana lanceolata, albida, ſcarioſa. Antheræ flavent: filamenta uti in congeneribus capillaria, & ſtigmata plumoſa.

XLII.

FESTUCA VARIA.

Feſtuca panicula ſubæquali, ſtriata, pauciflora: ſpiculis teretibus, quadrifloris, glabris, ſubariſtatis: foliis ſetaceis.

Feſtuca panicula ſtricta, locuſtis teretibus, quadrifloris. *Hall. hiſt. tom. II. pag.* 214. *num.* 1439.

Habitat in plerisque alpium granitoſarum ſuperciliis, immania inter ſaxa a ſupremis earum culminibus decidua, cum Poa diſticha, Valeriana Celtica & Saxifragarum ampla gente: ut ſupra Judenburg & Secau Styriæ: in monte Schœkl prope Græcium & in plerisque Tyrolenſibus Leontinis. Fibræ radicis copioſæ, teretes, ſerpentinæ, duriuſculæ, plus minus craſſæ

&

& e fufco-nigricantes. Culmorum ima bafis a vaginarum congerie tumet, digitum minimum & ultra craffa, latis denfisque inde enatis cefpitibus. Vaginæ denfe imbricatæ, laceræ, aridæ, ftriatæ, cinerafcentes & arcte internexæ. Culmi ex quovis cefpite plures, erecti, duri, ftricti, teretes, femipedales aut altiores, geniculo unico duorum aut trium a radice pollicum intervallo, atropurpurafcente, glabro manifefte infracti. Folia plurima in radicalibus fafciculis, culmo paulo breviora, erecta aut apice recurva, fetacea, angufta, acuminata, dura, pallide aut ex flavo viridia, glaberrima, fuperne fulco tenui exarata, dorfo rotundata, bafi in vaginas illas latas, & complanatas decurrentia, utrinque ad vaginæ exortum fubtus genicello glabro & flavefcente inftructa. Folium, in culmo fupra geniculum, unicum, ftrictum, radicalibus anguftius, ad duas uncias longum. Vagina cylindrica, fuperne arcta, bafi laxior, ftriata atque glabra. Ligula nulla. Panicula nuda, fubæqualis, ftricta, ab una ad fesquiunciam longa, glabra, pauciflora, florum a decem ad quindecim. Rami erecti, alterni, utplurimum folitarii, rarius tamen & bini ex eodem culmi loco egredientes, duas, ad fummum tres, in fummitate fpiculas florum gerentes, brevibus pedicellis nixas: fæpe tamen panicula adeo depauperata, ut racemum magis, quam paniculam dixeris. Spiculæ ex maximis congenerum, primo perfecte teretes & ventricofæ, tandem difttichæ & expanfæ, glaberrimæ, acutæ, quadri-quinquefloræ, lineas quatuor aut quinque longæ. Calyx bivalvis: valvulæ inæquales, erectæ, ovato-lanceolatæ, acutæ, mucronatæ, glumis folliculorum breviores, iisque concolores, glabræ: exteriore paullo majore. Folliculi alterni, feffiles: gluma exterior ovato-lanceolata, acuminata, fubariftata, glabra, dorfo atque bafi ex flavo virens, ætate aurea, apice profundius purpurafcens, marginibus pellucentibus, fcariofis, albis, ultra duas

lineas

lineas longa, lineam lata. *Arista* brevis, erecta, linearis & fuscescens: gluma interior lanceolata, acuta, inermis, in concavitate exterioris latens, compressa, ex albo virens, & scariosa. *Antheræ* flavent aut purpurascunt. Filamenta capillaria, alba. Stigmata plumosa.

INDEX

PLANTARUM IN HIS OBSERVATIONIBUS CONTENTARUM.

II.

NICOLAI JOSEPHI JACQUIN

PHALÆNA VITISANA.

Quantumvis in Entomologicis valde parum ſim verſatus, nequeo tamen temperare a deſiderio deſcribendæ hujusce Phalænulæ, tum quod viſa mihi nova ſit, tum ut peſſima ejus indoles innoteſcat, qua toties dolui, vel hoc quoque iterum anno, præciſam ſpem omnem, carpendi propria de vite gratiſſimas uvas. Scilicet eo ipſo tempore, quo tenelli vitis racemi jam prodierunt, una cum pedunculo ſuo vixdum biunciales gemmasque futurorum florum adhuc conglomeratas compactasque continentes, (quod ocyus ſerius pro tempeſtatis diverſitate contingere ſolet) ad vites advolant phalænulæ exiguæ, primis mox diebus paucæ, proximis plures, brevi numeroſiſſimæ; quæ hanc ſtationem triginta plus minus dies occupant, abſconditæ pleræque interdiu ſub foliis, ludibundo & irrequieto volatu ſeſe, appropinquante veſpera, prodentes, ipſis ſemper vitibus vicinæ, generationis negotio, opinor, tunc unice intentæ, nec cibo veſcentes ullo, quum vitro incluſæ ſine ullo nutrimento idem tempus vixerunt. Abhinc autem numero ſic iterum ſucceſſive minuuntur, ut poſt elapſos octo decemve dies non appareant ultra ullæ.

N Sed

Sed nunc evolutis magis racemis flores vitis pandi incipiunt, quando videmus, plures pandi non poffe, nonnunquam folos pandi in toto racemo tres quatuorve, imo etiam in quibusdam racemis nullos. In plures diftinctos glomos contractæ florum gemmulæ, filisque araneofis firmiter connexæ, explicari nequeunt, dum interea larvæ in glomo habitanti efcam præbent. Scilicet phalænulæ illæ ova fua minutiffima racemis imponunt, ex quibus enatæ larvæ gemmulis telam intexunt, fefeque dein in mediis hisce abfcondunt, gemmis viventes erofis. Evolvitur interea racemus, augeturque in omnem ambitum; at evolvi nequeunt ultimarum divifionum pedicelli ob cohærentes gemmas, unde glomi illi fponte exfurgunt. Minus huic calamitati obnoxiæ vites funt, quæ liberæ in medio horto funt; quam maxime vero funt illæ, quæ parieti accrefcunt; videntur enim phalænulæ a perflantibus ventis de fede turbari, & domicilium petere tranquillius. Sic hoc anno ex vitibus longo tractu domui adftantibus affixisque, fructuumque uberrimam copiam ex racemorum numero fpondentibus, ne vel unicum uvarum racemum habui.

Quando florum germina intactorum jam nunc adolefcunt, adepta volumen feminis finapios, tunc larvæ mutantur in pupas, femper glomis inclufas, ex quibus metamorphofi folita poft duodecim dies novæ phalænulæ egrediuntur, brevi in vite non ultra obviæ. Unde patet, duas quotannis generationes hujusce infecti obtinere. Aut igitur fecundæ generationis ova, aut pupæ hyemem fecuturam durant. De ovis credibile non eft, quod ex illis in prima generatione jam paucos poft dies larvæ excludebantur. Ad hujus primæ generationis normam in altera menfe Julio ova depofita fuerant, larvæque inde enatæ; & fub finem Augufti hæ mutatæ in pupas; quæ poft hyemem transactam menfe Majo proximi anni phalænulas dimiferant, viti-

bus

bus adfuturas. Nec enim opinor, aut ova aut pupas generationis fecundæ ab illis primæ natura fua differre poffe; ex ovis igitur calidiffimis Julii diebus larvas enafci debere; fed, quæ fub finem Augufti aut ineunte Septembri formantur pupæ, poffe, calore atmofphæræ indies imminuto, perfiftere tales, nec evolvi ante proximi anni novam æftatem. Quænam autem planta fit, quæ larvas hafce fecundas nutriat, ignoro, in vitibus certe tunc non reperiuntur, quin exclufæ phalænulæ has protinus deferant. Examinavi accuratiffime cum fero autumno tum primo vere farmenta vitis, parietes aliaque vicina, neu potui ullam in his pupam detegere; & quæfivi tanto ftudiofius, quia conjectura aliqua ducebar ad id in farmentis fufpicandum; nam, dum ante aliquot annos fævo gelu vites omnes horti mei fic tactæ fuerant, ut interiiffent ferme omnia farmenta, nec ullum producerent racemum, fruftra exfpectaveram advolantes folito tempore phalænas. At nec eodem femper numero hæ omni anno confpiciuntur, utut optime vigeant vites; plurimus certam perniciem portendit uvis; quæ tamen fervari multæ poffunt, fi tempeftive glomi aperiuntur, comprimendoque necatur larva. Hoc anno 1788. infecti vita hæc fuit.

12. Maji Phalænulæ advolarunt.
10. Junii numero minuebantur.
15. ejusdem ultra nullæ vifebantur.
25. ad finem ejusdem larvæ in pupas mutabantur.
7. Julii ad 15. ex pupis egrediebantur denuo phalænulæ.

In tabula prima expofui racemum in glomos collectum cum inclufis jam larvis fere adultis. Tum larvam in magnitudine naturali, eandemque

 micro-

microfcopio auctam. Sic etiam bis pupam. Dein bis phalænulam fedentariam, eandemque bis cum alis expanfis volantem.

Larva tres qnatuorve lineas geometricas longa conftat duodecim articulis cum capite. Pedes anteriores utrinque tres ex articulis tribus anterioribus nigricantes. Pofteriores utrinque quinque ex articulis feptimo, octavo, nono, decimo & duodecimo concolores corpori. Hoc virefcit fordide cum verruculis albidis, pilofumque eft; in junioribus lætius viret cum capite concolore, quod in adultis magis minusve ex fufco aurantiacum eft cum collo fimili, aut in aliis nigricante.

Pupa fufiformis, transverfim fulcata five articulata, glabra, fufca, longitudine larvæ.

Phalæna tortrix, elinguis, tres lineas longa; alis inferioribus utrinque, fuperioribus fubtus uniformiter cinereis, omnibus margine pofteriore ciliatis; fuperioribus fuperne ex teftaceo fufco cinereoque nebulofe fafciatis, inferne eodem colore maculatis; antennis fetaceis, alis duplo brevioribus, ex nigro cinereoque annulatis. Colores omnes modo pallidiores funt, modo intenfiores; nec figura macularum conftanter eadem in fingulis.

Ut tabulæ pars vacua fifteret aliquid, Tenthredinis fpeciem addidi, cujus larvam inveni in Pruno Pado Linnæi, foliis hujus arboris vefcentem; fpiraliter quiefcentem, irritatam ex papillis lateralibus copiofum humorem glutinofum & excolorem emittentem. Clauftrum fibi texuit, ramo filorum ope affixum, pro exitu tenthredinis fubfequo primo vere horizontaliter fuperne aperiendum. Figuræ repræfentant larvam, clauftrum & tenthredinem, quæ forte lucorum Linnæi eft.

III.

III.

NICOLAI JOSEPHI JACQUIN
PLANTARUM RARIORUM
DESCRIPTIONES
AD SPECIMINA SICCA FACTÆ.

Quantumvis in univerſum mancæ ſint plantarum deſcriptiones ad ſpecimina ſicca adumbratæ, tum etiam in pluribus non illa exſurgat aut generis aut ſpeciei certitudo, quæ convincat, vel ipſis ex ſtirpibus vivis nonnunquam ægre obtinenda; negari tamen nequit, dari ex adverſo iſtiusmodi plantas, quæ etiam exſiccatæ nullum botanico Obſervatori ſuper genere & ſpecie dubium relinquant. Harum cognitio, utut non exactiſſima, confert nihilominus ad amplificandam ſcientiam herbariam; quare hoc primum talium deſcriptionum ſpecimen Botanicis proponere hic audeo.

I.

ASCLEPIAS ALEXICACA,

Aſclepias caule volubili; foliis inferioribus cordatis, ſuperioribus ovatis; umbellis ſeſſilibus.

Nausjera Patſia. *Rheed mal. vol. 9. pag. 21. tab. 13.*

Nomen triviale ex ipſo Horto malabarico mutuavi, ubi cum interno tum externo uſu tota planta egregium prædicatur alexipharmacum. Ramum poſſideo ſexpedalem foliis floribusque onuſtum, ex Ceylona miſſum, cujus deſcriptioni addam, quæ ex Horto malabarico, nec ex exemplari ſicco, innoteſcnnt momenta omnia, ut ſic completior exſurgat. Radix albicans, debiliter & ingrate odorata, fibroſa, intus filamentò lignoſo, an igitur perennis? Caules teretes, plures pedes longi, herbacei, volubiles, glabri, ſuperne ad lentem villoſuli, dilute virides. Folia ſunt oppoſita, petiolata, acuta, integerrima, glabra, craſſula, ſucco limpido repleta, viroris diluti & nitentis in prona, in adverſa parte clari; inferiora cordata, ſuperiora ovata. Inter petiolos in uno duntaxat latere ex caule tuberculum prominet, ex quo plures egrediuntur pedunculi uniflori, vix unciales, villoſuli, graciles, ſimul ſic formantes umbellam ſeſſilem. Calycis parvi, villoſuli & profunde quinquefidi laciniæ ovatæ & acutiuſculæ. Petali dilute virentis & ſemiquinquefidi laciniæ ſunt ovatæ, acutiuſculæ & ad baſin rubentes. Squamæ nectarii incumbentes ſtigmati ſunt quinque, membranaceæ. Has inter ſitu alternato (quæ deſcribi quidem in Horto malabarico, at non delineari videntur) cornicula locantur quinque, craſſa, rigida, dentata, rubra. Folliculi gemelli, acuti, digitum craſſi longique. Semina numeroſa, plana, pappo inſtructa argenteo. Differt ab Aſclepiade Linnæi volubili umbella non pedunculata; a Nummularia lactea majore Rumphii amb. 5. tab. 175. fig. 1. figura foliorum, tum quod non ſit paraſitica; ab Aſclepiade volubili Forſteri prodr. pag. 21. foliis nullis cordato-ſubrotundis.

II.

II.

ADIANTUM DECURRENS. *Tab.* 2. *fig.* 1. 2.

Adiantum fronde bipinnatifida.

Elegans plantula crefcit in Martinica. Radix filiformis, repens, nigricans, in toto decurfu fibrillis capillaribus aucta, ramofa, ad varias & inæquales diftantias emittit frondes folitarias, erectas & femipedales. Hæ primo intuitu videntur decompofitæ; funt autem re vera fimplices; nam uti pinnulæ omnes confluunt in pinnam unam, fic pinnæ ipfæ per ftipitem decurrunt, cumque proximis ejusdem lateris pinnis utrinque connectuntur, ut ftipes inde evadat vel ultra infimam usque pinnam alatus. Tota plantula glabra eft. Stipes teres, fufcus. Pinnæ (nifi mavis folii fimplicis & bipinnatifidi dicere lacinias) unciales, alternæ, & fuperiores fupra medium fucceffive breviores, conftant ex pinnulis late cuneiformibus, alternis, in lobos fectis fublineares a tribus ad quinque, integerrimos, obtufos, nonnunquam emarginatos, ad apicem macula fructificante, primum cinerea, dein fufca, inftructos. Pinnulæ lobique nervum medium habent, funtque ad lentem pellucida & punctata. Figura prima plantam magnitudine naturali, fecunda frondis partem infimam repræfentat auctam.

III.

ASPLENIUM ANTHRISCIFOLIUM. *Tab.* 2. *fig.* 3. 4.

Afplenium frondibus pinnatis; pinnis obtufe lobato-ferratis.
Hemionitis pumila pentaphylla & rotunde dentata. *Plum. fil. pag.* 126. *tab.* 66. *lit. A.*

Na-

Nascitur in Martinica ex fissuris rupium. Adeo sæpe similes sunt frondes foliis Tordylii Anthrisci, ut mixtæ cum his imponerent incauto. Hæ ex radice fibrosa & nigricante plusculæ attolluntur, erectæ, plus minus quadriunciales. Stipes teres, gracilis, inferne niger & nitidus, ad frondem viridis setulisque adspersus. Frons circumscriptione triangularis, pinnata ex pinnis utrinque ut plurimum duabus & terminali. Pinnæ elongato-triangulares, acutæ, subpetiolatæ, tenues, lobato-serratæ in lobos rotundatos & obtusos, infimæ & terminalis longiores atque ad basin utrinque auriculatæ, nervo medio & hinc adscendentibus pluribus inque lobos ramose terminatis nervulis aliis instructæ, ad hos setulis minimis oculoque nudo vix conspiciendis hirsutulæ, & ob eosdem nervulos in facie rugosulæ. Fructificationes in frondis totius dorso oblongæ, adscendentes, pulverulentæ, rufæ, tumidæ, a duabus ad quatuor lineas longæ. Figura tertia frondem majorem exhibet a dorso conspectam, quarta frondem minorem a facie.

IV.

POLYPODIUM PLANTAGINEUM. *Tab.* 3. *fig.* 1.

Polypodium frondibus lanceolato-oblongis, glabris, integerrimis; fructificationibus serialibus.

Lingua cervina latifolia, pediculis squamosis. *Plum. fil. pag.* 112. *tab.* 128.?

Crescit in rupibus nudis insulæ Martinicæ. Ex radicis teretis, digitum crassæ, fibrisque capillatæ enascuntur frondes plusculæ, erectæ, simplicissimæ & circiter pedales. Stipes plus minus triuncialis, antice sulcatus, fuscus, villosulus, per mediam frondem decurrens nervum format villosulum,

losulum, in dorso protuberantem, circa medium flexuosum, ex quo nervuli laterales ad angulum obtusum egrediuntur, porrecti ad frondis oras, quatuor lineis ab invicem distantes. Juxta hos utrinque una fere serie fructificationes locantur, tantisper ab invicem remotæ, subrotundæ, minutæ, pulverulentæ, & rufæ. Ipsa frons est lanceolato-oblonga, basi acuta, apice angustata in acumen obtusum, ab octo ad decem uncias longa, tres lata, tenuis, ad marginem obsoletissime repanda, & ad lentem venis numerosissimis reticulata. Differt a citata Plumieri planta defectu cum squamarum acutarum, tum areolarum singularum fructificationes quatuor comprehendentium; tam cæterum similis, ut vix ausim specie separare. Sistitur in tabula frons a tergo visa, ejusdemque aucti apex.

V.

ACROSTICHUM LONGIFOLIUM.

Acrostichum frondibus lineari-lanceolatis, acutis, integerrimis; sterilibus erectis; fertilibus spiraliter revolutis.

Lingua cervina rigida & glabra. *Plum. fl. pag.* 118 *tab.* 135.

In arboribus Martinicæ parasitica habitat. Radix pollicem crassa, teres, nigra longaque fibrarum emissarum ope trunco arboris adnascitur, in caput squamosum definens, pluresque frondes emittens, simplicissimas, lineari-lanceolatas, acutas, integerrimas, alias erectas & bipedales, alias vix pedales inque spiram superne revolutas. Illæ steriles sunt; hæ autem totæ quantæ, solo margine pallente & angustissimo excepto, fructificationibus teguntur. Plumierus credit, fructiferas hasce frondes esse novellas, dein,

deposito fructificationis pulvere, volumine augendas nudasque. Suspicor, esse diversas, ut aliæ frondes ex natura steriles, fertiles sint aliæ. Neque aliter forte res se habet in *Lingua cervina villosa minore* Plumieri fil. pag. 110. tab. 127. fig. innominata, quæ esse debuisset Lit. D., iterum nova alia Acrostichi specie, quam Linnæus nimia festinatione inter synonyma Hemionitidis lanceolatæ male citavit, ubi illius loco ponenda est *Lingua cervina angustifolia & reticulata* Plumieri fil. pag. 111. tab. 127. lit. C. Cæterum stipes nostræ plantæ in utraque fronde est teres, antice sulcatus & duas tresve uncias longus; in sterili nudus, in fertili paleaceus. Frons utraque rigidula est glabra, crassiore margine donata, lineisque insignita ex nervo medio subtus protuberante exortis & versus oras perpendiculariter protensis numerosissimis. Harum aliæ simplicissimæ sunt, paucis exceptis apice furcatis; aliæ æque multæ, vicinæ duæ, basi confluunt; idque sine ordine ullo, quem alternantem figura Plumieri perperam exhibet, cæterum exactissima. Fructificatio densissima, crassa & ad tactum mollis constat globulis nitentibus & ferrugineis minutissimis.

VI.

ASPLENIUM SORBIFOLIUM. *Tab.* 3. *fig.* 2.

Asplenium frondibus pinnatis; pinnis longe lanceolatis, acuminatis, crenatis.
Lingua cervina nigris tuberculis pulverulenta. *Plum. fil. pag.* 92. *tab.* 110.

Sponte crescit in Martinica. Radix fibrosa & nigra plures producit frondes pinnatas & quadripedales. Stipes niger, antice sulcatus, ad pinnas angulatus, fuscus, ad lentem villosulus. Pinnæ plurimæ, alterne cum ter-

terminali, breviter petiolatæ, ex basi ovata longe lanceolatæ, acuminatæ, crenatæ, ad apicem parumper falcatæ, facie glabræ subtus ad nervos villosulæ, a sex ad novem uncias longæ, unam vel sescunciam latæ. Nervus medius in dorso protuberat, & ad angulum obtusissimum emittit utrinque versus oras numerosos nervos parallelos pariterque protuberantes. Horum proximi quivis connectuntur plurimis venulis arcuatis; unde pinnæ, ad solem conspectæ, evadunt areolatæ. Nec tamen hisce areolis, uti vult Plumierus, sed ipsis illis venulis arcuatis insident totidem fructificationes arcuato-oblongæ, parallelæ, nigro-rufæ, ex globulis nitentibus minutissimis compositæ; nervo medio adjacentes majores; minus in universum densæ, quam in congeneribus obtinere solet, quin imo nonnunquam exhibentes globulos distinctos rariterque sitos. Tabula exhibet pinnam subtus conspectam, ejusdemque basin auctam.

VII.

ARENARIA LINIFLORA. *Tab.* 3. *fig.* 3.

Arenaria caulibus erectis, inferne ramosis, suffruticosis; foliis subulatis; floribus geminis. *Linn. syst. pag.* 425.

In Floræ austriacæ volumine quinto Arenariam ex alpibus nostratibus proposui, quam ex definitione Linnæi ejusdemque descriptione pro Linnæi Arenaria liniflora habebam; sed quum nullum adductum synonymum legebam, dubitanter proposui. Ut dubium hoc solveretur, post editam jam plantulam meam, celeberrimus Adolphus Murray petitioni meæ benevole satisfecit; &, quum ipsum exemplar siccum non posset, ad hoc in herbario Lin-

næano adſervatum delineatam figuram mecum communicavit, quam hic exhibeo, ut judicium ferri poſſit.

VIII.

EUGENIA PERIPLOCÆFOLIA. *Tab.* 4.

Eugenia foliis integerrimis, acuminato-lanceolatis; pedunculis paniculatis, axillaribus & terminalibus.

Creſcit in Martinica. Arbuſcula elegans, tota glabra, cortice fuſceſcente. Folia oppoſita, breviter petiolata, lanceolata, in acumen longe anguſtata, integerrima, utrinque nitida, firmula, tres, quatuorve uncias longa, unam lata. Paniculæ oppoſitæ, axillares & terminales, graciles, foliorum plus minus longitudine, multifloræ, pedunculis in omni diviſione oppoſitis. Flores parvi, petalis albis.

IX.

EUGENIA PANICULATA. *Tab.* 5. *fig.* 1.

Eugenia foliis integerrimis, ovatis, obtuſis; pedunculis paniculatis, axillaribus & terminalibus.

Sub hoc ipſo titulo accepi ex Martinica ramum elegantis arbuſculæ, cortice fuſco-nigricante veſtitum, in duos ramulos divaricatos diviſum; in quorum altero paniculæ florum terminales conſpiciuntur ternæ, foliis duplo longiores; in altero præterea etiam una axillaris. Rami ſunt teretes & gla-

bri

bri. Folia oppofita, breviffime petiolata, integerrima, ovata, obtufa, craffa, firma, nitida, duas uncias longa unamque ad minus lata. Pedunculi purpurafcentes, inferiores paniculæ ad lentem hirtuli, infimi ad primam divifionem bracteolis ovatis, acutis, hirtulisque terminati. Flores diametri femiuncialis, petalis albis. Fructus pifo major, calyce coronatus.

X.

LAURUS MARTINICENSIS. *Tab.* 5. *fig.* 2.

Laurus foliis oblongis, acuminatis, venofis, planis; racemis paniculatis.

Arbor in Martinicæ fylvis crefcit. Folia funt alterna, breviter petiolata, oblonga, in acumen anguftata, glabra, integerrima, coriacea, firma, venis adfcendentibus inftructa, femipedalia, duas uncias lata, adeoque figura fua a Lauro indica, Borbonia & æftivali fufficienter diftincta. Ramuli ultra folia ultima elongantur, folis paucis bracteis, lanceolatis, concavis, acutis vagisque inftructi, emittuntque alterno fitu plures racemos ramofos & duas tresve uncias longos, fimul cum ramo elongato paniculam conftituentes. Pedicelli ultimi & calyces funt tomentofi. Flores parvi.

XI.

VISCUM MACROSTACHYON. *Tab.* 5. *fig.* 3.

Vifcum foliis lineari-lanceolatis; fpicis axillaribus, filiformibus.

Parasiticum innascitur arboribus Martinicæ. Totum glabrum. Rami teretes. Folia opposita, subsessilia, lineari-lanceolata, obtusa, integerrima, crassa, avenia, unciam longa, tres lineas lata. Spicæ axillares, solitariæ, oppositæ, filiformes, a tribus ad quinque uncias longæ, articulatæ articulis bractea pelviformi distinctis. Flores sessiles, minuti, soli a me visi fæminei tripetali, petalis superis & ovatis.

XII.

CHIONANTHUS CARIBÆA. *Tab. 6. fig. 1.*

Chionanthus foliis utrinque glabris, longe acuminatis; calycibus ciliatis.

Arborem hanc quindecimpedalem copiose crescentem vidi ad ipsa littora maritima *au Cul de Sac François* in insula Martinica. Cortex trunci ramorumque fuscocinereus. Folia opposita, breviter petiolata, lanceolata, basi acuta, in apicem angustata longum, acutum & quandoque falcatum, integerrima, crassula, firma nitida, plus minus semipedalia, sescunciam lata. Pedunculus communis terminalis, ad aliquot lineas supra exortum trifidus, ramis ad duas uncias productis opposite iterum ramosis; ramulis his vix uncialibus ipsis etiam trifidis; pedicellis ultimis plusculos flores sessiles sustinentibus. Bracteæ ad pedunculorum divisiones oppositæ, parvæ, angustæ, concavæ, acutæ, ad lentem uti ipsi pedunculi villosulæ. Calycis profunde secti foliola ovata, acuta, villosula, albis ciliis ad oras munita. Petali nivei tubus vix ullus; laciniæ lineares & longissimæ. Stamina brevia. Stylus calyce duplo longior. Fructum non vidi. Non placet Chionanthorum specifica Linnæi determinatio, a pedunculis petita; nam in omnibus

nibus notis ſpeciebus inflorefcentia dici paniculata poſſet. *Virginica* Linnæi a *caribœa* differt calycibus glabris; ab utraque hac differt *zeylanica* foliis ſubtus villoſis.

XIII.

MELASTOMA CINNAMOMIFOLIA. *Tab. 6. fig.* 2.

Melaſtoma foliis ſubintegerrimis, triplinerviis, lanceolatis, acuminatis.

Creſcit in Martinica. Arbuſcula tota glabra, ramoſa, cortice cinereo. Folia ſunt oppoſita, petiolata, lanceolata, in acumen obtuſulum anguſtata, craſſula, firma, triplinervia cum venis transverſis numeroſis, integerrima, quædam ſuperne obſoletius denticulata, majora duas uncias lata & quinque longa, alia duplo breviora & anguſtiora. Racemi terminales, erecti, tres quatuorve uncias longi, compoſiti ex pedunculis oppoſitis, inferioribus pluſculos flores pedunculatos gerentibus, ſuperioribus unifloris & nonnunquam verticillatis. Flores decandri.

INDEX

PLANTARUM HIC DESCRIPTARUM.

IV.

REV. FRANCISCI XAVERII WULFEN

PLANTÆ RARIORES CARINTHIACÆ.

Continuatio ad pag. 362. Vol. I. Collect. auſtr.

CXLI.

ACONITUM TAURICUM.

Aconitum caule ſubſimplice; racemo florum brevi, compacto; galea humili, breviter roſtrata, antrorſum repando-ſubfornicata; foliis nitentibus, quinquepartitis; ſegmentis oblongis, latiuſculis laciniatis; laciniis remote inciſo-dentatis.

Aconitum Lycoctonum IIII. Tauricum. *Cluſ. hiſt. plant. p. XCV.*

Aconitum Napello ſimile, ſed minus, cæruleum, præcocius. *J. Bauh. hiſt. III. p.* 656.

Non poſſum non peculiarem Aconiti ſpeciem reſuſcitare; quam, ſi Cluſium fere demas unicum, vix alii adhucdum probe cognitam exiſtimo. Cum Aconito Cammarum, perperam plane tam a Linnæo, quam ab Hallero, Allio-

Allionioque confuſam video, quæ tamen multo ad Napellum propius, quam ad Cammarum, accedit. Exitiale forſan, quod aconita promiſcue recondunt virus, effecit ut ne manibus curioſius tractata examinarentur. Idem profecto & cum eo Cluſii coma nutante, & cum ejusdem Neomontano factum videmus; quorum iſtud cum Napello Jacquinius; utrumque contra cum Aconito Cammarum Hallerus Linnæusque commiſcuerunt; minus, ſi quid video, bene. Floret Tauricum inde a Junio in Septembrem uſque aperto ſub Jove frequentiſſimum, nec ulli tactum pecori, in Taureris Malnizenſi, Radſtadienſi, Rauriſienſi (Auſtriacis *Heiligerbluter Tauern*) tum & Matrajenſi. Radicis & illi loco oblonge gibbus eſt Napus medio, in orbem, de ventre novos ut plurimum prolificans alios, ſibi adamuſſim ſimiles, florigeros, ſecuturis duntaxat daturos annis, caules; candidæ intus fungoſæque ſubſtantiæ cum prolibus eſt mater, extus de more nigra, multisque undique & longiuſculis circumvallata funiculis dicam? an fibris? quaquaverſum ſparſis. Napis ex illis, firmus qui enaſcitur caulis, & ipſe fungoſa farctus medulla, paulo ultra cubiti exaltatur altitudinem normalis, craſſiuſculus, lævis, tereti-ſubangulatus, viridis, obſcure ſanguineis cum tempore guttatus maculis, vel infima jam a baſi ſtipatiſſime folioſus, in floriferum terminatus racemum; brevem quidem reſpective illum, at tanto compactum magis, addenſatis undique magnis uniflororum breviumque pedunculorum corollis. Subſimplicem dixi illum in ſpecifico caractere; nam omnino ſimpliciſſimum ut plurimum in racemum abit, etſi ſera tandem in ætate, breves, ſimplicesque pauculorum florum, principe ſub racemo, attollat ramulos, erectos pariter. Folia in inferiore ejusdem parte frequentia, alterna, petiolata, nuda, ſubcoriacea, nitentia, ſaturate ſupra nigro-viridia, ſubtus nonniſi aquoſe vireſcentia, ſubpalmato-quinquepartita; ſegmentis oblongis, latiuſculis (certe plus, quam in Napello, etſi minus, quam in Neomontano

latefcentibus) planis, bafin verfus cuneato-anguftatis, fupra medium profunde laciniatis; laciniis remote incifo-dentatis, dentibus lanceolatis. Petiolus eorumdem, pro altitudinis ratione, longior, aut brevior, erecto patet firmulus, fupra canaliculatus, fubtus longitudinaliter teretiufculus. Ramuli fi qui occurrunt, fub principe, ut innui, racemo, brevesque, & fimplices, & pauculis, laxeque ordinatis onufti floribus, erecto & ipfi patent, cauli approximati. Racemus terminalis florifer, brevior, quam in ullo alio Aconito; dimidiam fpithamam vix excedens; floribus adeo ftipate obfitus, ut de ejusdem communi axe videas nihil; nullis interftinctus foliis, fi bracteolas anguftiffimas, lineares, ipfo, quam fuccolant, pedunculo, breviores, excipias virentes. Flos magnus, pedunculo mediocri, erecto-patenti, axique fere appreffo, & nudo infiftens; calyce nullo, cujus loco, altera rurfum, priori fimilis, bracteola corollæ bafi extus adnexa. Corolla pentapetala, faturatiffime, & nigro fere violacea, cum tantilla bafin verfus viriditate; petalis ftructura, & magnitudine inæqualibus; omnibus tamen extus villo longo, molli, albido, rariter adfperfo, ac denique cadivo, pubentibus: fupremo reliquis majore in cucullæ, five & caffidis militaris fpeciem conformato; galeam antrorfum breviter roftratam, quam in Napello humiliorem, & magis oblique adfcendentem, minusque antice curvatam; cæterum poftice compreffam, dorfo gibbam, extrorfum fornicato-hiantem, referente. Lateralibus binis oppofitis, duplo, quam infimis, ampliatis magis, obovato-fuborbiculatis, cum exiguo acumine, concavo-femiconniventibus. Infimis itidem binis, oblongo-fubovatis, planis, oblique deorfum porrectis. Microfcopio fi petala hæc intueare, fingula extus fubtiliffime papillofo-tuberculata, rugisque oblongis, & oblique incurvis exftantibus percurfa; fi contra lucem præterea teneas, punctulis totidem illuftrioribus varia, & venis longitudinalibus faturatioribus dichotomice ramofis picta videbis. Ne-

cta-

ctaria duo malleiformia, longe pedunculata, approximata, parallela, ſub galea recondita, e viridi, dilute dein cærulea, pone ſtamina, e receptaculo exſurgentia, erecta, antrorſum arcuata, fiſtuloſa; brachiis malleoli inæqualibus, ſuperiore breviore, obtuſo, ſurſum incurvo; inferiore longiore, cernuo, extrorſum concavo, apice integro, ſubtridenticulato? Stamina plurima, nonnihil deflexa, & verſus galeam deinceps incurva; filamentis e viridi tandem cæruleis, ſubulatis, baſin verſus compreſſis, & margine membranaceo albo alatis. Antheræ ſubrotundæ didymæ, e viridi atro-cæruleæ, polline albo. Germina tria oblonga, ſubulatum in ſtylum deſinentia; ſtigmate ſimplice. Capſulæ tres, glabræ, ſubcylindraceæ, ſubulato apice terminatæ, univalves, introrſum dehiſcentes, polyſpermæ. Odor ſenſibilis nullus; effluvia tamen tranſpirantia haud innoxia.

CXLII.

ARABIS THALIANA.

Arabis foliis oblongo-ſubovatis integris, radicalibus petiolatis ſubdenticulatis; caulinis ad ramorum exortum ſeſſilibus.

Arabis foliis petiolatis lanceolatis integerrimis. *Linn. ſp. pl. p.* 929. *num.* 3. *Leers flor. Herborn. p.* 147. *num.* 514. *Allion. flor. ped. tom. I. pag.* 268. *num.* 971. *Gerard. flor. gallopr. pag.* 366. *num.* 2. *Gunner flor. norv. tom.* 2. *p.* 42. *num.* 495.

Burſa paſtoria, ſive Piloſella ſiliquoſa. *J. Bauh. hiſt. II. p.* 870.

Arabis foliis radicalibus petiolatis, ovatis, dentatis; caule ſubnudo ramoſo. *Haller hiſt. ſtirp. helv. tom.* 1. *p.* 197. *num.* 452.

P 2 Dra-

Draba anguſtifolia. I. minima, II. media, & III. major. *Barrelier icôn.* 269. *&* 270.

Non hæc rariorum una; forſan vel idcirco etiam a nuperrimis neglecta magis, quia non e rariſſimis; frequentiſſima tamen & Clagenfurti, & Labaci, & Goritiæ ad ſabuloſos agrorum margines, recentemque inter ſegetem, paulo poſt primum nivium deliquium; Thlaſpi, quod Burſam paſtoris dicimus, promiſcue intermixta. Nihil interea de ea diligentiſſimus Scopolius! Nihil & judicioſiſſimus Jacquinius! Sed neque Atrebatum gloria Cluſius! Ejus in Elencho meminit Kramerus copioſiſſime in monte Rodaunenſi! tùm & Latifontano. Sunt & hæc, quæ præ cæteris, ut plurimum, amat loca? dubitare fas eſt; quando qui veram cunque Thalii deſcribunt plantam, uno eidem omnes ore, non niſi recentis agros ſegetis, agrorumque verſuras, & ſabuloſos eorumdem limites aſſignant. Intervenit quidem Cranzius, Mödlingæ, Badenſesque Thalianæ Arabidi rupes, & ſaxorum fiſſuras, omnemque montium eorum catenam pro natali attribuens ſolo! At quænam illa ſit, quam deſcribit, tam maximis cum corollis, Arabis? ſcilicet Heſperis Raji alpina minor &c. (quæ eidem, præ Barrelierii & Johannis Bauhini probatur iconibus) quisque ex Halleri num. 453. p. 197. tom. 1. hiſt. ſtirp. helv. intelliget. Nemo hic Halleri (ex Opuſc. bot. p. 96. num. 8. It. Hercin.) aſperas, quæ ea prata finiunt, objiciat rupes; Eruditi Göttingenſes fidem facient, non niſi de hirſuta Linnæi Turritide eumdem loqui; de Herba, inquam, ſancti Alberti, ſive Barbarea murali J. Bauhini, quæ teſte flora Ruppii Jenenſi, Göttingæ plurima; nec ab Eryſimo ſimili hirſuta, non laciniata, alba C. B. diverſa. Sane, videri, duntaxat, a Thalio deſcriptam, non & reapſe deſcriptam ſub Piloſellæ ſiliquatæ nomine, inquit loco citato Hallerus Turritidem ſuam minorem, id eſt, hirſutam Linnæi; quam

ipſam

ipſam dein ſuſpicionem, ſua in ſtirpium helveticarum hiſtoria, meliora edoctus, dereliquit. Radix plantulæ iſtius annua, albida, filiformis, perſæpe gracillima, recta, radiculis lateralibus, fibrilloſis, quaquaverſum ſparſis, nunquam non, aliquibus ſaltem, obſita; caulem communiter unicum, rarius duos, tresve normaliter attollit, jam ad unius, aut paulo amplius, altitudinem ſpithamæ, jam minorem; etiam duorum duntaxat, triumve pollicum; eſtque aut ſimpliciſſimus, atque tum admodum gracilis, aciculæ nonniſi craſſitudine, aphyllus, vel & pauciſſimis onuſtus foliolis ſeſſilibus; aut contra ramoſus, fili emporetici craſſitudine, foliis & ad ramorum exortum, & per ramos etiam laxe ſparſis, obſitus. Color illi, ſi baſin ex ſanguine velut rubentem excipias, viridis, plerumque tamen plus minus ex virore glaucescens, & ex glauco denique in apricis, radiisque ſolis expoſitis, ruſo-fuſceſcens. Totus quantus eſt, una cum foliis, villis primum longiuſculis, albis, rigidulis, patentiſſimis, (in caule quidem ſimpliciſſimis, in foliis vero bifurcis) hiſpidulus, ſed his denique decidentibus, glaberrimus. Folia caulina ſeſſilia, oblongo-ſubovata, aut & obtuſe lanceolata, integra. Radicalia copioſa, in orbem patentia, petiolata, jam oblongo-ſubovata, jam lanceolato-ovata; nunc integriuſcula, alias per oras crenata, dentatave; poſſideo etiam exemplaria, in quibus lyrato-pinnatifida; ſubtus cum tempore ſemper rubro-violacea. De eorumdem villis jam innui. Racemus floralis in caule, & ramis, terminalis, erectus, laxus; floribus pedunculatis, erecto-patentibus, parvis. Calyx tetraphyllus, foliolis oblongo-ovatis, concavis, erecto-conniventibus, corolla brevioribus, ſubæqualibus, binis oppoſitis baſi gibbis, & humilioribus, e viridi tandem flaveſcentibus, villis primum rariter adſperſis, dein nudis, & deciduis. Corolla cruciformis, tetrapetala, parva, nivea, ad faucem ſubflaveſcens, erecto-patens; petalis oblongo-obovatis, erecto-patentibus; ungue calycis altitudine, lim-

bo integerrimo. Stamina ſex, tetradynama, calycis altitudine; binis oppoſitis paulo brevioribus, baſi gibbis. Filamentis ſubulatis, albis. Antheris oblongis, cordato-acuminatis, erectis, flavis. Germen erectum, teres, ſæpius, admodum præcociter, calyce, corollaque nondum dilapſis, in ſiliquam jam abiens. Stylus breviſſimus; ſtigma ſubcapitatum. Glandulæ nectariferæ quatuor virides, pene microſcopicæ; harum binæ oppoſitæ minores, ſitæ inter duo quævis ſtamina longiora, & calycem; e binis, rurſum oppoſitis, ſed majoribus, inter germen & ſtamen quodvis minus interjacentibus, ac centro in canalem extrorſum dehiſcentibus, ſtamen minus enaſcitur. Siliquæ, pedunculo, cui inſiſtunt, tandem longiores, laxe erecto patent, teretes, graciles, toruloſæ, ruſo-fuſceſcentes, læves, biloculares, bivalves; valvulis diaphragmati æqualibus, & parallelis, absque revolutione deciduis. Semina minuta, multa. Floret inodora jam initio Aprilis.

CXLIII.

ARTEMISIA GLACIALIS. Tab. 7. fig. 1. 2. 3.

Artemiſia ſericeo-villoſa, incano-vireſcens; foliis radicalibus ſubbipinnatis; pinnis, foliisque caulinis ſubpalmato-tri-quinqueve partitis, longe petiolatis.

Altiſſimarum incola alpium, perſrequens viſitur in Koralpe *in der Reichenau*; item *im Fleiſsergraben unter der Goldzeche.* Tum verſus auriferum Waſchgang. Denique Leontinis in alpibus &c. In quinto jam alias Floræ auſtriacæ Jacquinii Volumine pag. 46. tab. 35. elegantis iſtius, rariſſimæque ſtirpis deſcriptionem, figuramque, qualis ad minus plerumque

occur-

currere in alpibus adſolet, dedi; certus vel jam tum, diſcriminis intercedere nihil inter Apſinthia Halleri num. 125. & num. 126. niſi forte ex diverſitate altioris, aut rupeſtris magisque inclementis ſoli natalis; quibus de cauſis, quæ fertiliore in loco frequentioribus per caulem abundare poſſet floribus, altiusque paulum efferre caput; ultimis illis nudarum in rupium jugis humilior longe vegetaret planta, collectis, quotquot demum haberet, floribus, in unam velut terminalem umbellam dicam? an corymbum verius? Multa mihi exinde, hac ſuper re, cum Clariſſimis Mygindo, Jacquinioque per litteras diſputandi enata eſt occaſio. Ab Hallero (cujus ut fatendum eſt, maxima pro merito, alpina in botanice ſemper eſt auctoritas) dimoveri haudquaquam poterant. Sed neque ego uberius altercandum neceſſe judicavi, ubi alii arbitri eſſe poſſent. Ut ne tamen, ſive diverſæ denique ſint ſpecies, ſive unius, diverſæ duntaxat varietates, ut ne, inquam, & earum icon inter auſtriacas deſideraretur plantas, pingi & ipſas ad naturam feci; id unum porro adjiciens: ſuſpectum mihi magnopere eſſe Apſinthium Halleri num. 126. ſi quidem reapſe diverſum ab Apſinthio ejusdem num. 125. ſit. Quærit ipſe: an Artemiſia foliis pinnatis, caulibus adſcendentibus hirſutis, floribus globoſis cernuis, receptaculo pappoſo Linnei, non eadem, ſuo cum Abſinthio? At quis Rupeſtrem Linnæi Artemiſiam, ut eam Linnæus ipſe ſuo per Gothlandiam in itinere pag. 285. adumbravit, non illico ab hac noſtra diſtinguat? Pinnata Artemiſiæ rupeſtris folia, anne unquam vel ſubpalmata dici poſſunt? Pinnulæ ipſæ an non ſimpliciſſimæ? an non lanceolatæ? an non a contiguis remotæ? quænam earum, ſi extimam forte excipias, tri- aut quinquefida? nonne caulina folia per omnem, quantus eſt, axis longitudinem, ſimplicia utrinque foliola, æqualibus inter ſe remota diſtantiis ſuſpendunt ſeſſilia? & quod probe notandum, inferioribus ſemper minoribus? ſtirpem, qualis ut plurimum in alpibus invenitur videſis in Vol.

5.

5. Flor. Auftr. Append. p. 46. tab. 35. Tres hic ejusdem exhibeo varietates: 1) Minimam, quatuor cum florum capitulis majufculis, in umbellam fere terminalem collectis. 2) Mediocrem aliam, cum capitulis florum majufculis, paucis, fimplicibus, pedunculatis, terminali lateralibusque fubcorymbofis. 3) Mediocrem itidem, ex axillis pedunculiferam, caule, pedunculisque, umbella florum exiguorum terminatis. Nihil cætera in omnibus his quatuor varietatibus diverfitatis reperi, five quoad amœnitatem aromatici odoris; five quoad ftructuram, formam, colorem, villofitatem fericeam foliorum; five denique quoad calyces, corollas, femina, thalamique pappum.

CXLIV.

CISTUS SALVIFOLIUS. Tab. 8.

Ciftus fubarborefcens, exftipulatus; foliis oppofitis, petiolatis, oblongo-ovatis, rugofis, fubcrenulatis, utrinque hirfutis; pedunculis florum longiffimis, ante anthefin nutantibus.

Ciftus arborefcens exftipulatus; foliis ovatis petiolatis utrinque hirfutis. *Linn. fp. plant. p.* 738. *num.* 10. *Scopol. flor. carn.* 2. *tom.* 1. *p.* 374. *num.* 643. *Allion. flor. ped. tom.* 2. *p.* 101. *num.* 1655. *Gerard. flor. gallopr. p.* 397. *num.* 13.

Ciftus fruticofus, foliis petiolatis, ovatis, rugofis, ferratis. *Haller hift. ftirp. helv. tom.* 2. *p.* 2. *num.* 1031.

Ciftus fœmina. *Cluf. hift. plant. pag.* 70. *Joh. Bauh. II. pag.* 4. *Lobel. obf. pag.* 549.

In

In Carſcho inter Tergeſtum & Obzinam, ad dextram viæ medii circiter montis creſcit frequens in ſylvula, floretque medio Maji, albam eminus mentiens Roſam. Frutex humilis, cubitum & amplius altus, apud nos tamen procumbens, nec niſi ex decubitu, extimos ſuos ramos, florumque pedunculos elevans, quaquaverſum diffuſus, ramoſiſſimusque. Bene vero obſervavit Hallerus: ramos, ut plurimum, pedunculos florum, foliaque, per paria opponi. Sunt illi truncus, ramorumque virgæ, ſubſtantiæ ligneæ, duræque, quamvis nonniſi calami ſcriptorii craſſitudine; cortice atro primum rubente, tum fuſco, denſe hirſuto, dum decalventur denique. Utut vero cum florum pedunculis, novelli vireant ramuli, ob copioſum tamen, decumbentemque ſurſum, villum, nonniſi incano-lanuginoſos dixeris teneriore in ætate, qui denique & ipſi magis vireſcunt magisque, ex virore rubentes, & ex rubentibus fuſci demum fiunt. Folia, ut innui, oppoſita, craſſiuſcula, ſicca, ſubcoriacea, inſtar foliorum ſalviæ, rugoſa, tactui ſubſcabriuſcula, petiolata, utrinque hirſuta, ſubtus etiam, præprimis initio, albido-incana; cum ſupra ſaturatius & obſcure vireant. Figuram quod eorumdem attinet, ea profecto in primordialibus, minoribusque circinnatæ fere, ut Cluſius ait, rotunditatis, brevi in ovatam, tum in oblongo-ſubovatam, aut & fere obtuſe abit lanceolatam, orarum margine integro, nec ſerrato; obiter duntaxat, ut in Salvia, ſubcrenulato. Pedunculi communiter oppoſiti, longiſſimi, uniflori, erecti, apice modo ante corollarum explicationem nutantes, aphylli dempto duplice foliorum minorum, obtuſe lanceolatorum pari; quorum alterum baſin eorumdem ſtipat; ſub media iis alterum enaſcitur altitudine. Flos roſæ adinſtar magnus; intra calycem adhucdum concluſus, ſive nubilis, cernuus ſemper, & obtuſe trigono-pyramidatus, angulis baſeos recurvatis, cæterum erectus, patentiſſimus. Calyx pentaphyllus, viridis, hirſutus, foliolis tribus exterioribus, paulo majori-

Q bus,

bus, cordatis; binis interioribus ovatis. Corolla pentapetala, maxima, patens, celerrime cadiva; petalis obovatis, repando-emarginatis, apud nos femper niveis, bafi duntaxat macula majufcula citrina notatis; per exficcationem vero citrinis, macula bafeos aurantiaca. Stamina plurima, calycis fere longitudine; filamentis antherisque flavis. Germen globofum, feffile, viride, hirfutum; ftylus vix, aut ne vix ullus; ftigma craffiufculum fungofum, depreffo-fubcapitatum. Capfula ovata, quinquelocularis, polyfperma.

CXLV.

CAMPANULA ZOYSII.

Campanula caulibus fubtrifloris; foliis radicalibus ovatis, longe petio latis; caulinis oblongo-obovatis, feffilibus.

Crefcit e fiffuris rupium alpium Vochinenfium, tum & in fummitate montis Storchez, pariter e rupibus, menfe Augufto, quum nivibus denique cautes fpoliari folent iftæ. Primam rariffimæ ftirpis cognitionem Illuftriffimo Domino Carolo de Zoys debeo; qui, ut Frater ejusdem Sigismundus Mineralogiæ cumprimis, fic Botanicæ ille, fuo cum cognato Domino de Weber, meo quondam in Philofophia Labaci difcipulo, totos fefe fuasque curas pene omnes, & ftudia, otiumque, cum non modicis certe thefauris, confecraffe videntur. Intra modicam, qua fummarum fiffuræ rupium repleri folent, terram, horizontalis ferpit Campanulæ iftius radix gracilis, teretiufcula, ex albido fubochracea, ad ejusdem fuperficiem cefpitofe ramofa, cauliculos quotannis efferens plurimos; pure nonnullos foliofos; plurimos

alios

alios florigeros, duorum triumve pollicum altitudine, graciles, tereti-ſubanguloſos, glabros, foliis per alterna ſpatiorum intervalla obſitos, plerumque unifloros, rarius bi- aut trifloros, erectos equidem, apice tamen cum nubilibus campanulis nutantes. Folia copioſa, ſat parva, omnia ſaturate viridia, ſubtus pallidiora, craſſiuſcula, glabra, integerrima; radicalia ſubrotundo-ovata, longe petiolata; caulina alterna, oblongo-obovata, in petiolum velut decurrentia, re tamen ipſa ſeſſilia; ſummis, ſquamarum inſtar, lineari-acutis. Flos terminalis, unicus communiter; interdum & alter, tertiusve, proprio quisque ſuo de ramuli ſquamoſi apice nutans. Germen inferum, ovato-turbinatum, anguloſum, glabrum, viride. Calyx ſuperus, quinquepartitus, corolla brevior, erecto-patens, laciniis lineari-lanceolatis, glabris, ſubtus carinatis. Corolla ſaturatius, aut dilute magis cœleſtino-cærulea, lineis picta quinque ſaturatioribus, rarius alba; monopetala, oblongo-campaniformis, baſi impervia, & ventricoſior, limbum verſus nonnihil ſtrangulata, limbo ipſo quinquefido, erecto-patente; laciniis ovato-acutis, margine barbato-villoſis; villis longis, albis, ante plenam limbi explicationem, in pyramidem pentagonam, ſupra corollæ faucem conniventibus. Stamina quinque, corollis breviora; filamentis ſubulatis, albis, ſuæ quovis valvulæ nectariformi ovato-fornicatæ, & ipſi pariter albæ, infixo. Antheræ oblongæ, aquoſe flaventes. Stylus ſtaminibus longior, filiformis, albus; ſtigmate tripartito, craſſiuſculo, deorſum incurvo, papilloſo, aquoſe flavente. Capſula angulato-pelviformis, ſuperne clauſa, latere foraminibus tribus hians, & ſemina effundens tribus e loculis. Odoris expers.

CXLVI.

THLASPI PRÆCOX. Tab. 9.

Thlapſi ſiliculis obcordatis; foliis carnoſis, glabris, glaucis; ſubcrenulatis, in petiolum decurrentibus; caulinis ſeſſilibus, ſemiamplexicaulibus, obtuſe cordato-ſagittatis; petalis calyce longioribus.

Thlaſpi montanum ſiliculis emarginatis; foliis radicalibus ovatis; caulinis amplexicaulibus. *Scopol. flor. carn.* 2. *tom.* 2. *p.* 18. *num.* 811.

Thlaſpi montanum, Burſæ paſtoris fructu. *Columm. ecphr. p.* 275. *tab.* 276.

Lepidium caule erecto; foliis radicalibus petiolatis, ovatis; caulinis amplexicaulibus, ſagittatis. *Haller hiſt. ſtirp. helv. tom.* 1. *p.* 223. *num.* 518.

Triginta, & amplius, ſunt anni, quod plantam hanc perbene novi. Numquam non pro montano Linnæi habui Thlaſpi; pro eo, inquam, quod ſub eodem, in Ecphraſi, Columna jam dudum propoſuit nomine; quodque egregius Scopolius, qui in iisdem, quibus ego millies vidi, inventam montium tractibus, recenſuit. Linnæi, quæ maxima eſt, perſuaſus aſſerentis auctoritate, nihil etiam dubitaveram, Badenſe Cluſii Thlaſpi, iſthuc revocare; etſi nec figura, quam dederat, maxime probaretur; & quæ nonnulla objicerem, haberem. At poſtea dein quam in Auſtriaca Jacquinii Flora, Badenſis iſtius Cluſii plantæ, ad naturam vidi pictam figuram, meum intellexi eſſe diverſum. Meum jam exeunte Martio, Aprilique circa Goritiam, Tergeſtumque frequens in montanis ubivis; e regione Podigoræ; in monte Sancto &c.; ſerius nonnihil, Aprili ſcilicet, Majoque in ſylveſtribus montanis inter Laaſe & Prevald, tum omni in Carſcho etiam; in adſcenſu denique præalti Montis Slivinza prope Thurnlag & Zirchniz; jamjam deflo-

reſcens

refcens initio Junii, inveni, numquam corolatum aliter; numquam alia cum radicis, caulium, foliorum, calycisve &c. ftructura. Non illi certe longis quaquaverfum ferpens viticulis radix, fed unita verius, fimplex, fufiformis, recta in terram defcendens, obfita undique fibris, fibrillisque vage difcurrentibus, ex albo in flavum demum languens, rarius unicum modo, plures imo quotannis novos efferens caules una, pro foli ratione minores, majoresve, numquam non erectos, fimpliciffimos, teretes, læves, foliofos, cæfii five & glauci coloris. Folia carnofa, ejusdem cum caule coloris glauci, glabra, integra, copiofa. Radicalia in orbem undique per terram fparfa, obovata, longiufculum in petiolum decurrentia, obiter quandoque per marginum oras, laxeque fubcrenulata, fubtus cum tempore violaceo-purpurafcentia. Caulina alterne per eumdem feffilia, obtufe fagittato-cordata, liberis eumdem auriculis femiamplexantia, cæterum integerrima, erecto-patentia. Racemus floriger terminalis; floribus pedunculatis, primum in umbellam, five verius corymbum compactum collectis, dum laxe diducantur denique, erecto-patentes. Calyx tetraphyllus, erectus, corollis duplo brevior, nec gibbus; foliolis oblongo-ovatis, æqualibus, integris, concavis, extus dilute rubellis, glabris, margine albefcentibus, demum cadivis. Corolla tetrapetala, cruciformis, petalis obovato-oblongis, in unguem decurrentibus, integerrimis, niveis, calyce duplo longioribus. Stamina fex tetradynama, calyce tantillo longiora, filamentis fubulatis albis, binis oppofitis brevioribus, calycis duntaxat altitudine. Antheræ oblongæ, flavæ. Nectariferæ glandulæ quatuor, virides, globofæ, exiguæ; binæ quævis bafin ftaminis minoris ftipantia. Germen oblongo-ovale, compreffum, nudum, apice fubtiliffima incifum crena, ad recipiendum præcife ftylum, germine tum ipfo longiorem, & filiformem. Stigma obtufum fubcapitatum. Silicula obcordata, ftylo longo, permanente inftructa, perpendiculariter pedun-

 culo,

culo, ad horizontem denique parallelo, infidens, extus gibba, introrfum concava, margine compreffo, & velut membrana alato, bilocularis, bivalvis, valvulis navicularibus; diffepimento lanceolato, valvulis contrario. Semina quovis in loculo duo. Odor nullus.

CXLVII.

SILENE PUMILIO. Tab. 10.

Silene caulibus unifloris, floribus maximis, calyce fubcoriaceo, ventricofo-campanulato, hirfuto.

Et hujus quoque in quinto Floræ auftriacæ Jacquinii Volumine defcriptionem, figuramque jam alias dedi; mancam fane hanc, nec caracteristicas diftincte exprimentem notas. At enim, neque huic, cum pingendam feci, deftinata fuerat fcopo. Malnizenfem cum forte, pictore comite, tranfcenderem Taurerum, obviam & ibi rurfus habui, ftatimque meos fcilicet in ufus, ut aliquam, deperituræ per iter plantæ, haberem iconem, vivis ut pingeretur coloribus, juffi; pictaque ex arena, ut dicimus, fed nonnifi properante fuerat manu. Jacuit tum aliquo mea inter fcripta tempore; cum opportuna fe, Linnæo fcribendi, obtulit occafio. Mifi itaque & hanc, ut erat, plures inter alias; fed adhæfit Viennæ, tantumque amiciffimo placuit Jacquinio, ut æri me infcio incidendam curaret. Supplevi equidem (quod unum jam tum fieri poterat) ampla, deficientem in icone radicis, ftaminumque &c. ftructuram, defcriptione; cum nihilominus ab eo inde tempore iniquius ferrem femper, pulcherrimam Noricarum alpium ftirpem, in ele-

elegantiſſimo opere, minus exiſtere perfecte expreſſam, hac demum de cauſa, ut pingeretur iterum, ſed numeris abſoluta omnibus, procuravi.

CXLVIII.

HIERACIUM INCARNATUM.

Hieracium ſcapo multifloro; foliis radicalibus obovato-oblongis, repando-denticulatis hirſutis.

Hieracium ſcapo multifloro, nudo; foliis lanceolatis, denticulatis, hiſpidis, dilatatis, obtuſis. *Scopoli flor. carn. 2. tom. 2. p. 106. num. 968. tab. 50.*

Noſtris in montibus frequentius nullum. Illud ego in apice olim montis ſancti Jodoci prope Crainburgum, ejusque declivibus inveni pratis exeunte Majo. Eodem item tempore alias, in primis Montis Loibl acclivitatibus extra Kirſchentheur; tum in Singerberg *nächſt der deutſchen Kapl*, dum ex Ebenau adſcenditur initio Junii, una cum Agrimonia Agrimonoide & Orchide Sambucina. Iterum Junio in finem vergente ad fanum ſancti ſpiritus, Villacum inter & Bleybergam, dum in Villacenſem *Heiliger Stein* dictam alpem adſcenditur. Nec non in Valle Julia (*Geilthal*) *unter der Windiſchen Höhe*; ac Dravana ſub Ortenburgenſibus alpibus, alibique ſæpius. Radix non equidem præmorſa; fuſiformis imo, fibroſisque comata radiculis, oblique tantiſper in terram demerſa, unum plerumque (tamen & duos, tresve interdum) ad pedis plus minus altitudinem, complura inter radicalia folia, attollit ſcapum, laxe apicem verſus paniculato-ramoſum. Eſt ille ſat gracilis, firmus tamen, teres, primum viridis, & villoſus, tum una cum pedunculis florum, rufo-fuſcus, nudus, & glaber; foliis obſitus nul-

nullis, ſi perbreves demas ſquamas, ſive foliaceas bracteolas lineari-lanceolatas; quæ ramos extimos, aut & florum ſuccolant pedunculos. Radicalia contra folia complura, per terram in orbem ſparſa, dum tantisper ſubereċta attollant ſeſe. Craſſiuſcula hæc ſunt, fere & ſubcoriacea, obovato-oblonga, in petiolum etiam velut decurrentia, laxe per marginis oras repando-denticulata albidis ſupra infraque villulis hiſpidula. Flores compoſiti ſyngeneſiæ æqualis. Calyx cylindraceus, ſquamis imbricatus linearibus, nudis, dorſo teretiuſculis, interioribus longioribus, æqualibus, exterioribus brevioribus, duplici in ſerie alternantibus, non patulis, ſed incumbentibus. Corollæ æquales, hermaphroditæ, ligulatæ, lineares, truncatæ, apice quinquedenticulatæ, patentes, dilute incarnato-rubellæ; tubulo baſi breviſſimo, albo, ad faucem pubeſcente. Stamina quinque, capillaria, breviſſima, alba. Antheræ longæ, in cylindrum ſubpentagonum connatæ, ſaturatius rubentes, polline aurato-flavente. Receptaculum nudum. Germen oblongo ſubovatum. Stylus albus antherarum altitudine; ſtigmata duo exſerta, recurva, ſimplicia, rubella. Semen oblongum nudum, coronatum pappo ſeſſili, ſimplice, capillaceo, longo, ſericeo-candicante.

CXLIX.

HOTTONIA PALUSTRIS.

Hottonia floribus verticillatis; pedunculis unifloris.

Hottonia pedunculo verticillato-multifloro. *Linn. ſp. plant. p.* 208. *num.* 1. *Scopol. flor. carn.* 2. *tom.* 1. *p.* 137. *num.* 213. *Oeder. flor. dan. tab.* 487. *Gunner. flor. norv. tom.* 2. *p.* 138. *num.* 1062. *Haller hiſt. ſtirp helv. tom.* 1. *p.* 279. *num.* 632.

Mille-

Millefolium, five Myriophyllum aliud. *Matthiol. p.* 507.
Viola aquatilis. *Dodon. pempt. p.* 584.
Myriophyllum equifetifolium. *Lobel. obferv. p.* 460.
Fæniculum aquaticum fecundum. *Tabernæmont. p.* 186.

Frequens in Lacuftribus Labacenfibus, foffisque, præprimis verfus Hyperlabacum, tum etiam in aquofiffima, multumque lutofa foffa propter fepem Caftelli Groffenek Domini Pollini. Radix farmentofa, teres, alba, late per terram paludofam limofam atram difcurrens, & repens; de fe nuda, fafciculis tamen fibrillarum fparfim demiffis radicata, ftolones hinc inde pure foliofos, & ipfos fub aquis proftratos, emittit, altero demum anno, apice fcapigeros, natantes, ac ultra fuperficiem aquæ emergentes, furrectosque. Folia in verticillos laxe ordinata, quatuor, quinqueve, aut & fex in quovis; funtque pinnata, ovatas profundeque pectinatas referentia frondes, in orbem feffiles; fub aquis reflexas, explanatas contra in, aut paulo fupra earumdem fuperficiem. Pinnæ, earumque communis axis, admodum tenues, lineares, planæ, læves, ut plurimum fimpliciffimæ, acutæ, faturate virides. Scapus floriger, extra aquam normalis, fubpedalis, teres, fiftulofus, e viridi tandem fufcus, primum pubefcens, at demum lævis, nitens, aphyllus. Flores apicem verfus interruptim verticillato-racemofi; verticillo quovis tri-quadri- aut fexfloro. Flore quovis breviter pedunculato, ex axilla bracteolæ lineari-lanceolatæ, pedunculum fubpubefcentem fubæquantis, affurgente, erecto-patente. Calyx quinquepartitus, foliolis linearibus, anguftiffimis, laxe ordinatis, erectis, fubpubefcentibus, corollæ tubum æquantibus. Corolla monopetala, hypocrateriformis, magna, nivea; tubo brevi, fub fauce ampullaceo, & flavefcente; limbo patentiffimo, quinquepartito, fegmentis oblongo-obovatis, apice fubemargina

natis. Faux hians, pentagona, ſaturate flava. Stamina quinque, brevia, interno urceoli ampullacei parieti infixa; filamentis ſubulatis, albis. Antheris ſubcordato-triquetris, acutis, flavis, altitudine faucis. Germen globoſum, ſeſſile, nudum, in capſulam denique abiens itidem globoſam, unilocularem, polyſpermam. Stylus erectus filiformis, duplo altior fauce, albus, ſtigmate coronatus globoſo.

CL.

SATUREJA RUPESTRIS.

Satureja pedunculis ſolitariis, lateralibus, bisdichotomis, ſecundis; foliis ovato-lanceolatis, ſerrulatis, ſubtus foveolato-punctatis.

Satureja thymifolia racemis lateralibus ſolitariis, foliis ovatis, rariter dentatis. *Scopol. flor. carn.* 2. *tom.* I. *p.* 428. *num.* 737. *tab.* 29.

Thymifoliam hanc Clariſſimus Scopoli compellavit, quia eamdem cum Caſpari Bauhini Satureja thymifolia eſſe exiſtimat; at quo demum jure? mihi ignotum. Certe ſi non fortioribus convictus id afferat rationibus, quam quibus inductus fuiſſe videtur, ut crederet, eamdem hanc, eſſe ſtirpem illam, quam Matthiolius cap. 38. libr. 3. Saturejam (ſive verius θυμβραν) Dioſcoridis dixit, tum enimvero non parum aberrat. Matthiolius rupeſtrem hanc plantam novit profecto numquam. Loco a Cl. Scopolio citato, de vera legitimaque Dioſcoridis, & Græcorum omnium, ipſiusque Pauli agit Thymbra, quæ Linnæo Satureja Thymbra eſt. Cum nec hanc noſſet, ejusque deſtitueretur genuina icone, Plinii aliorumque (inter Thymbram & Saturejam ſativam non diſtinguentium) ſecutus ſententiam, Saturejæ hortenſis Lin-

Linnæi propoſuit figuram. Quid? ſi & Satureja Thymifolio C. Bauh. non alia ſit, quam quæ Linnæo Satureja Græca dicitur, a rupeſtri hac diverſiſſima? Sed mitto hæc, quæ quisque ex Cluſio, & Johanne potiſſimum Bauhino III. p. 2. cap. 44. & cap. 45. uberius eruet. Creſcit Satureja rupeſtris in ſaxis lateris lævi Liſoncii haud procul Goritia; tum & copioſe in aſperis rupeſtribus prope Haidoviam (*Haidenſchaft*, Slavice Haiduſchina) florere incipiens verſus finem Julii, & Auguſto. Caulis novem, decemve pollicum, baſi ſubligneſcens, deflexus, ac velut ex decubitu aſſurgens, obtuſe tetragonus, ſubteretiuſculus, glaber, ex viridi demum ruſeſcens, ramoſusque. Folia per omnem caulis, ramorumque longitudinem, attamen nonniſi per alterna intervalla, oppoſita, eaque obtuſe ovato-lanceolata, plana, firma, glabra, per oras denticulata, ſubtus rariter punctato-foveolata, in inferioribus breviter petiolata, ſurſum verſus in petiolum velut decurrentia. Flores ſecundi, unam nempe verſus plagam reſpicientes; dicas ſpicatos ſimul, & concatenato-verticillatos; re tamen ipſa, nec verticillati, nec ſpicati ſunt, verum laterales, ex oppoſitis axillis, oppoſiti, per majorem caulis, ramorumque ſuperiorem partem ea ordinati ratione, ut inferiores, ex ſuperioribus proximos, absque interruptione fere attingant; verbo: pedunculi axillares, oppoſiti, folio ſuccolante breviores, bis-ut plurimum, & ordinario, dichotomi, ac per conſequens, quadriflori, floribus ad eamdem exaltatis altitudinem. Bracteolæ exiguæ, lineari-lanceolatæ, ad quamvis dichotomiam oppoſitæ, pedicellis ſuis nihilo minores. Calyx pedicello proprio tantisper longior, rectus, tubuloſo-ſubturbinatus, ſtriis percurſus decem, quinquedenticulatus, denticulis æqualibus, obtuſe acutiuſculis, nudis. Corolla ringens, alba; tubo calycis longitudine, ſubincurvo; labiis æqualibus; ſuperiore, ſive galea, oblongo-obovata, obtuſe ſubfornicata, inciſa apice crena acuta; dorſo ſubcompreſſo carinata, lateribus

R 2 ſur-

ſurſum reflexis, antice concava, apicem verſus aquoſiſſime in cœleſtinum emoriens. Labio inferiore patente, profunde trilobo, albo, ad faucem guttis ſanguineis notato; lobis obovatis, intermedio majore, oris crenulato; lateralibus paulo minoribus, integerrimis. Stamina quatuor, didynama, ſub labio ſuperiore, eoque tandem omnia paulo altiora; primum approximata, antheris binis & binis conniventibus, ſerius nonnihil diſtantia; filamentis albis; antheris aquoſe ſublateſcentibus, polline itidem albo. Germen in calycis fundo ſeſſile, quadripartitum. Stylo ſtamina, galeamque ſuperante, albo, apice bifido, cæruleſcente; ſtigmatibus ſimplicibus, ſetaceis. Semina quatuor nuda. Odor amœniſſimus congenerum.

XLI.

SATUREJA MONTANA.

Satureja pedunculis ſolitariis, lateralibus, bis-terque dichotomis; foliis lineari-lanceolatis, integerrimis, mucronatis, ſubciliatis, ſubtus carinatis, punctato-foveolatis.

Satureja pedunculis ſolitariis, lateralibus, floribus faſciculatis, faſtigiatis. *Linn. mantiſſ. II. p.* 410. *Scopol. flor. carn.* 2. *tom.* 1. *p.* 428. *num.* 738. *tab.* 30. non bona.

Thymum durius, quo paſſim fere ſcatet Goritienſis ager. *Matthiol. libr.* 3. *Dioſc. cap.* 37. *p.* 343. Item *libr.* 4. *Dioſc. cap.* 172. *p.* 550. cum figura non bona, cui Epithymum, ſeu Cuſcuta innaſcitur.

Thymi vulgaris Varietas. *Cluſ. hiſt. p.* 357.

Hyſſopum Goritienſe, floribus verticillatim ambientibus. *Joh. Bauh. hiſt. III. P.* 2. *p.* 276.

Cre-

Crefcit magna in copia in Monte Predil, in averfa a Valle Rablenfi parte, verfus Flitfch. Goritiæ item undique in afperis calcareis, Monte Sancto, verfus Gargano fupra Salcanum; Monte Sancti Valentini fupra Sylvam Sabbotinam, Timo ibidem dicta, increfcente eidem paffim Cufcuta europæa. Tum per omnem, qua late patet Carfchum abundantiffime. Prope Fontem Timavi, & inde verfus Tergeftum &c. In defcenfu Montis Schneeberg Croatici, verfus Flumen Sancti Viti, Porto Re, Buccari &c. Item varietas ejusdem potiffimum faturate cærulea (de fe numquam rubra, nifi per deficcationem denique intra libros) intra Laafe Thurnlag, & Zirchniz ad pedem montis Slivinza; tum horæ circiter fpatio ab Urbe Gottfchee, ad pedem montis, quem *Hafenfelderberg* dicunt &c. Radix ficca, fubligne-fcens, duriufcula, fufca, fufiformis, brachiata fibris, radiculisque quaqua-verfum fparfis, jam recta, jam pro foli faxofi ratione obliqua, & velut repens; caulem unum - plures - etiam cefpitulum nonnumquam caulium attollit perennans. Caules ex viridi tandem obfcure rubri; primum tetragoni, & ex pube humili hifpiduli; tum teretiufculi fubangulofi, & glabri; bafi initio decumbentes, fed erecti denique, & ex oppofitione fere ramofi, firmi femper, & duriufculi. Superiores, florentesque tam caulis, quam ramorum virgæ, numquam non ex microfcopicis exftantibus villulis hifpidulæ. Folia copiofiffima, femper oppofita, lineari-lanceolata, integerrima, feffilia, craffiufcula, firma, ficca, longitudinaliter fupra canaliculata, dorfo fubtus carinata, faturate viridia, inferne punctato-foveolata; apice cufpidula parva mucronato; ora marginis, ciliis primum rigidulis, obfita; quibus decidentibus, deorfum denique reflexa. Flores & in hac quoque, nec fpicati, nec verticillati; fed axillares ex pedunculis lateralibus, oppofitis, folitariis, proprio folio brevioribus, bis- terque dichotomis, & per confequens, multifloris. Involucella feu bracteolæ dichotomiarum oppofi-

tæ, foliis cum proportione ſimilia, pedicellis floſculorum longiora. Calyx tubuloſo-ſubturbinatus, ſtriatus, æqualiter quinquedentatus, dentibus acutis, villis albidis, rigidulis, una cum margine dentium hiſpidulis. Corolla ringens, erecta, nonnihil pubeſcens. Galea erecta, antrorſum concavo-ſubfornicata, apice crenato-emarginata, labio inferiore tantillo brevior. Labium inferius trilobo-tripartitum, lobis lateralibus oblongo-obovatis integris, intermedio majore rotundato ſubcrenulato, ad faucem villoſulo. Duplicis invenitur varietatis. Communis, altiorque, flore eſt albo, galea duntaxat quandoque apicem verſus dilute ſubcæruleſcente. Altera rarior, floribus non rubris (niſi per exſiccationem) ſed ſaturate cæruleis, ut in Thymo alpino. Hæc plerumque humilior, floribus apicem verſus magis addenſatis, pedunculis quidem lateralibus & ipſa ſolitariis, ſed minus multifloris, ſæpe nonniſi trifloris; cæterum diſtinctio nulla. Stamina in utraque quatuor, alba, didynama, altioribus binis galeam ſuperantibus, filamentis erectis. Antheræ a baſi ſurſum bifariam dehiſcentes, corollis concolores. Germen in calycis fundo quadripartitum; ſtylus albus, galea ſtaminibusque altior, apice bifidus ſubcæruleſcens; ſtigmatibus ſimplicibus acutis. Semina quatuor, nuda. Odor amœniſſimus aromaticus.

CLII.

MELISSA GRANDIFLORA.

Meliſſa pedunculis axillaribus, ſolitariis, dichotomis, ſecundis; corollis maximis ſub fauce gutturoſis; foliis petiolatis, ovato-lanceolatis, dentato-ſerratis.

Me-

Meliſſa pedunculis axillaribus dichotomis longitudine florum. *Linn. ſp. plant. p.* 827. *num.* 2. *Scopol. flor. carn.* 2. *tom.* 1. *p.* 424. *num.* 732. (ſub Thymo!) *Gerard. gallopr. p.* 261. *num.* 3. *Allion. flor. ped. tom.* 1. *p.* 38. *num.* 137.

Calamintha montana præſtantior. *Lobel. obſerv. p.* 274.

Calamintha montana, flore magno ex calyce longo. *J. B. III. P.* 2. *p.* 229.

Frequens in ſylvis montanis rupeſtribus verſus Schoderſchiz, ſupra Cſuber; ſed longe frequentior in præaltis ſylvis, itidem montanis, & rupeſtribus, dum ex Gerova in excelſas Croatici Schneeberg alpes adſcenditur. Florens in fine Julii & Auguſto. Denique inter Canal, & Caporetto. Radix fuſiformis, ſparſis aucta radiculis fibroſis, ſimplicibus, compoſitisque. Caulis unius, alteriusve ſpithamæ, nunc ſimpliciſſimus, alias (plerumque tamen nonniſi baſin verſus, & ex oppoſitione) ramoſus, herbaceus, viridis, tetragonus, ſubſtriatus, villis longiuſculis, exſtantibus, rariter ſparſis, hirſutus, ſubhiſpidusque; iidem villi & in foliis, eorundemque petiolis, & calycibus, pedunculisque occurrunt ſubalbidi, rigiduli, nec cadivi. Folia ex oppoſitione ſemper oppoſita, majuſcula, petiolata, ovato-lanceolata, plana, per oras ſerrato-dentata, ſaturatius ſupra, ſubtus aquoſe magis viridia, utrinque, ut dictum hirſuta. Flores laterales, ex oppoſitis axillis oppoſiti, pedunculis ſcilicet quavis ex axilla ſolitariis, ſemel aut & iterum dichotomis, ac per conſequens tri- ſive & quadrifloris, demptis ſummis, bi- aut unifloris. Involucella (niſi bracteas dicere malis) nonniſi baſin dichotomiæ ſtipant oppoſita, florum pedicellis duplo breviora, nec ſimplicia, ſed tripartita, ſegmentis lineari-lanceolatis, anguſtis, acutiſſimis, ciliato-hiſpidis. Calyx oblongus, tubuloſo-ſubturbinatus, inæqualiter quinquedentatus, velut ſubbilabiatus, denticulis lineari-lanceolatis, anguſtis, acutiſſimis;

mis ; tribus ſuperioribus minus profunde inciſis, ſurſum nonnihil reclinatis, & patentibus; inferioribus duobus approximatis, porrectis, tantillo longioribus; ore faucis, villis aſſurgentibus, & conniventibus, ut fere in Thymo, clauſo: cæterum idem calyx longitudinaliter ſtriatus, exſuccus, aridus, viridis tamen, & villis albidis, rigidis, exſtantibus, una cum denticulorum laterali margine, hiſpidulus. Corolla reſpective maxima, calyce plus duplo longior, eleganter rubro-violacea, diaphana, lineis picta ſaturatius rubris; ringens, bilabiata; tubo nonnihil incurvo, ſub fauce labii inferioris ampliato, tumido, gibbo, & velut gutturoſo; labiis extus villis, albis, pubeſcentibus. Superiore, ſive galea; recta, apice emarginata, antrorſum concavo-ſubfornicata. Inferiore galeam aliquantum excedente, trilobo, lobis rotundatis, integris, intermedio majore, faucem verſus bicarinato, guttulisque ſaturatioribus adſperſo. Stamina quatuor, didynama, ſub galea, binis majoribus, eamdem tantillo excedentibus, filamentis albis, antheris aquoſiſſime luteolis bifariam a baſi ſurſum dehiſcentibus. Stylus albus, corollis altior ſtaminibusque, apice bifidus rubellus; ſtigmatibus ſimplicibus, acutis, ſubuncinatis. Semina quatuor nuda in calycis fundo. Odor Meliſſæ amoenus.

CLIII.

SALIX MYRSINITES.

Salix foliis petiolatis, ovatis, ſerratis, glabris, ſubtus reticulato-venoſis; capſulis nudis, pedunculatis, ex ovata baſi in connum attenuatis.

Salix foliis ſerratis, glabris, ovatis, venoſis. *Linn. ſp. pl. p.* 1445. *num.* 13. tum *flor. lapp. p.* 285. *num.* 353. *tab.* 8. *fig. f.* & *tab.* 7. *fig.* 6. *Gunner*

ner flor. norv. tom. 2. p. 63. num. 595. Leers flor. herborn. p. 294. num. 753. Allion. flor. ped. tom. 2. p. 985. num. 1965. Gerard. gallopr. p. 528. num. 6.

Salix latifolia non hirſuta? *Joh. Bauh. I. P. 2. p. 216.*

Salix foliis ovato-lanceolatis, venoſis, ſerratis, julis tomentoſis. *Haller hiſt. ſtirp. helv. tom. 2. p. 308. num. 1645.*

Clagenfurti florens verſus finem Aprilis & initio Maji *am Fuſse des Schmalzbergels dem Walde der Ziguln gegenüber,* in una foſſarum extimæ viæ cavæ, partim extra, partim in foſſa turfoſa aquoſa. Diu ſuſpenſus hærebam, anne pro Myrſinite, Myrtilloidem potius Linnæi dicerem Salicem, quæ folia, iis Myrtylli, prima cumprimis in ætate, quam ſimillima omnino habet? Deſcriptiones Halleri, ponderis numquam non graviſſimi, in tanto aliorum laconiſmo, incertitudinem fluctuantis augebant etiam magis, quam ut dubia abſtergerent ſubnaſcentia invito. Sed folia denique, Linnæo ſemper integra, &, ſi cum Hallero etiam, obſcure duntaxat ſerrata dicas, ob replicatam tamen oram, reconditosque inferne ſerrularum denticulos, pro integris certe habenda, quomodo cum iis combinarem, quæ meis in ſpeciminibus manifeſte per oras ſerrata ſemper videbam? Et cur a Myrſinite recederem, quando & Linnæus in Flora lapponica ejusdem folia, illis Vaccinii, quam ſimillima, & diſertis etiam Scheuchzerus ſerrata verbis, dixerunt? Ex alpibus nonniſi forte delata iſthuc, locis vegetat prædictis perennis, arbuſculæ inſtar, humi procumbentis. Vetulus nempe ejusdem truncus, ad brachii jam roboratus craſſitudinem, ne a dimidiæ quidem ſpithamæ a terra diſtantiam, in brachia fere diffuſus, decumbit, novos quotannis ramos, novasque ramorum virgas, obſcure primum rubentes, & glabras, tum atro-rubentes, agit, & ipſas nonniſi ex decubitu erectas, ad

unum, summum duos exaltatas, pedes. Folia adamussim Myrtilli (in tenera præprimis ætate) magnitudine, figura, forma: scilicet ovata, breviculo cum acumine; tempore etiam ex ovata basi sublanceolata, latiuscula, firma, utrinque glabra (fugacissimam eorumdem e gemmis modo emergentium pubem, plerisque communem, minime computo) & nitentia, inferne venoso-subreticulata, semper petiolata, ac per oras serrata, serraturæ denticulis plus minus callosis. Stipulæ primum nullæ, serioribus tandem in ramis, cumprimis extimis, utrinque ad petioli basin semper præsentes, jam ovatæ, jam semiorbiculatæ, etiam ovato-acuminatæ, numquam non serratæ. Saturatiore cum stipulis, folia tinguntur virore supra; aquosa magis, pallidioraque subtus, numquam tamen sive incana, sive sericea, etsi ea in parte rariusculis, ut dixi, primum adspergantur pubescentiæ villulis, brevi cadivis. Amenta sat interdum frequentia, propriis semper e gemmis, & diœca; primum ovata, demum cylindracea, & plus quam pollicem longa; mascula semper subsessilia, & graciliora; fœminea contra, breviter cum tempore pedunculata. Basi utraque foliolis aliquot subovatis subtiliterque serrulatis stipata. Ea cærulescentia Linnæus dixit; id tamen de masculis duntaxat oblique visis, & tum quidem præcise verum est, cum nonnihil diducuntur elongata, antheris nondum declaratis, oriturque suspicor exinde, quod calycinæ eorum squamæ lanceolatæ, rubroque de se violaceæ, pilis suis incanis, cum jam laxius, magisque quam in embryone, rariter adspersæ sint, hunc velut ex miscella plurium, colorem exhibeant. Corolla masculis fœminisque nulla. Stamina illis duo tantum, glumis calycinis triplo quadruplove tandem longiora, & alba. Antheræ flavæ didymæ. Nectarium staminibus anterius, gracile, tubulosum, cylindraceum, flavens, calyce brevius. Amenta fœminea, masculis tandem longiora; eorumdem calycina squamula atra, pilis & ipsa incanis longisque copiose obsita, deciduis denique. Ne-

 cta-

ſtarium idem, cum eo maſculorum. Germen ovato-attenuatum, nudum, in capſulam abit intra calycem pedunculatam, ex ovata baſi, elongato-conicam, glabram, flavo-ruſeſcentem, unilocularem, bivalvem, revoluto-biroſtrem; ſeminibus pappo copioſo, ſimplice, piloſo, niveo, ſericeo involutis. Stylus capillaris, brevis, bifidus. Stigmatibus bifidis, flavis, demum nigris.

CLIV.

SALIX PHYLICÆFOLIA.

Salix foliis petiolatis, ovato-lanceolatis, glabris, margine undulato-ſerratis, ſupra viridibus ſplendentibus; ſubtus halitu incano-glaucеſcente obductis.

Salix foliis ſerratis, glabris, lanceolatis, crenis undatis. *Linn. ſp. plant. p.* 1442. *num.* 4. tum *Flor. lapp. p.* 283. *num.* 350. *tab.* 8. *fig. c. & num.* 351. *tab.* 8. *fig. d.*

Creſcit in Valle Rablenſi per adſcenſum montis Predil; ſed nuſpiam copioſius, quam in monte Loibl florens initio Maji. Etiam in convallibus Taureri Malnizenſis Julio me inveniſſe memini. Fruticulus primum unius alteriusve ſpithamæ, quaquaverſum diffuſus; in arbuſculam adoleſcit denique, exaltatis ramorum ſuorum virgis ad juſtam usque humanæ ſtaturæ altitudinem, lentis ſemper, & flecti facilibus. Novellorum cortex ramorum, e viridi magis rubeſcit, magisque, dum e rubro denique fuſceſcat glaber (ſi pubeſcentem demas infantiam) ſemper, utut eminentibus hinc inde niveis, lævibusque non raro exaſperetur punctis, tuberculisve. Sed & hi denique, ut Princeps fruticis truncus, e fuſco cineraſcunt cum tempore ſcabriuſculi. Fo-

liofæ cum amentigeris gemmæ, promifcue eodem in frutice alternant, nudæ, rubentesque; flores tamen nunquam non diclini. Folia, fi qua in fpecie alia, in hac certe plurimum variare folent, fola pro diverfitate ætatis. Breviter petiolata, fuis in ramulis alternant, exftipulata primum, quæ magnis in fenectute ultima ftipulis utrinque vallata funt feffilibus, jam ovato-acutis, jam & femi-fere circularibus, liberisque ramulum auriculis femiamplexantibus. Nuda glaberrimaque femper, femper & fupra peculiari refplendentia nitore; opaca fubtus, halituque oblita incano-glaucefcente numquam depereunte; utque læte, dum tenera adhucdum funt, fupera in pagina, e flavo velut virent, faturatiffime e nigro-viridia futura denique; fic & infera in vetulis facies non unicolor amplius, rufis jam confpicitur adulterata venarum ramificationibus. Figuram quod eorundem attinet, ea ovata primum, etiam fubrotunda interdum, vel & rarius obovato-oblonga, brevi in ovato-lanceolatam, ac denique in lato-ovalique-lanceolatam abit, ferrato femper margine, atque undulis præterea intra ampliatas ferraturæ crenas, in decrepitis crifpato. Quod fi itaque Phylicæ, quam haud novi, folia, margine undulato-fint ferrata, tum profecto non nifi ab ultima demum foliorum ætate fpecificum Salici huic Linnæus indidiffe videtur nomen. Amenta tam mafcula, quam fæminea fuas primum intra gemmas feffilia, ovata, villis fquamarum calycinarum obducta; fed longiufcule dein pedunculata, erecta, mafculis oblonga, obtufe utrinque fufiformia; fæminis linearia, pro ratione fruticuli longiffima; pedunculo foliolis alterne fparfis, bafique ftipato. Utraque fquamis calycinis, abfque corolla, oblongis, lineari-lanceolatis, albido-luteolis, apicem verfus dilute rubellis, tandemque fufcefcentibus, & dorfo villis longis, canis, cadivis obfitis, imbricata. Nectarium itidem, utrisque gracile, cylindraceo-tubulofum, apice craffiufculum, truncatum & flavum, cum cætera album, & calyce brevius fit. Stamina

mina floribus masculis bina, nec plura observavi; calyce duplo triplove longiora, filamentis albis, a basi ad medium usque longe villosis; antheris didymis flavis. Germen floris fæminei ex ovata basi acuminato-rostratum, velut inverse pyriforme, intra calycem brevissime pedicellatum, levissime initio subpubescens, tum glabrum, viride, stylo brevi bifido albo; stigmatibus & ipsis bifidis, crassiusculis, flavis. Capsula unilocularis, bivalvis, ex ovata basi elongato-conica, glabra, flavo-rufescens, tum nigra, calycibus duplo triplove longior, apicibus valvularum dehiscentium reflexo-incurvis. Pappus semina involvens simplex albus sericeus.

CLV.

RHAMNUS PUMILUS. Tab. 11.

Rhamnus inermis, repens, floribus hermaphroditis, foliis petiolatis, ovatis, crenatis.

Rhamnus inermis, repens, floribus hermaphroditis, foliis serratis. *Linn. mant. I. p.* 49. *num.* 22. *Allion. flor. ped. tom.* 2. *p.* 131. *num.* 1768.

Frangula minima rupestris, Pruno sylvestri affinis Americani folio. *Pluk. Almag. p.* 157.

Frangula montana pumila saxatilis, folio subrotundo. *Seguier. veron.* 2. *p.* 296. *num.* 2.

Rhamnus rupestris. *Scopol. flor. carn.* 2. *tom.* 1. *p.* 164. *num.* 262. *tab.* 5.

Goritia olim ad amicissimum misi Scopolium, paucis tum (ne Linnæo quidem excepto) notum fruticulum, qui in altera dein Floræ carniolicæ editione sub Rhamni rupestris nomine proposuit. Sed & Linnæus, resuscitatam

 per

per Seguierium, Turramque ex Rajo, Tournefortioque ſtirpem, ſuas inter ſpecies recepit denique. Nudas inter rupes calcareas, in easdem decumbentibus reclinatus ramis, aut per exeſa earumdem foramina trajectis prorepens, minime omnino rarus invenitur pygmæus hicce fruticulus ad Tabacarias Salcani molas in ſiniſtra Soncii ripa, initio florens Junii. Ibi eum quondam ego; nec minus frequentem in ſaxoſis montis Sanctæ Catharinæ, milliario a Goritia; tum circa San Servolo, e petris velut natum; nec non in aſperrimis undique Japodum montibus, Obzinam inter & Tergeſtum; ubi & in rectam ſemel, duos tresve pedes altam exaltatum arbuſculam, vidi, qui caulibus quaquaverſum diffuſis, adhærere ut plurimum ſolet ſaxis. Truncus humilis, perennans, ramoſiſſimus, diffuſus, decumbens verius, quam repens, ligno lento, duriſſimo, ex albo ſubflavicante; cortice ex rubro fuſco, glabro, nodoſo, halitu incano-cineraſcente oblito. Novelli e veteribus rami breves, e viridi tandem rubri, villis copioſe decumbentibus obducti, demum cadivis; nullis cætera ſpinis, aculeisve (uti neque ipſe, quantus quantus eſt frutex) armati. Folia annuis duntaxat in ramulis, laxe, alterneque ſparſa, breviter petiolata, circinatæ primum rotunditatis, demum ovata, plana, ſupra glabra, & nitentia, ſaturato virore ſubtus pallidiora, venis exſtantibus, una cum petiolo ſupra canaliculato, rufis, & villoſis, margine non tam ſerrata, quam obtuſe potius crenata. Stipulæ petiolorum baſi utrinque adſident, perituræ dein, parvæ, lanceolatæ, villis decumbentibus dorſo obſitæ. Flores in racemulis axillaribus, folio brevioribus, erectis, tum nutantibus; Pedunculi nempe ſolitarii florum a tribus ad ſex, breviter pedicellatorum. Bracteola pedicelli cujusque, lineari-ſubulata, ſaturate & obſcure rubra, decidua. Calyx tubuloſo-turbinatus, ſemiquinquefidus, erecto-patens, coriaceus, nudus, extus obſcure ruber, laciniis ovato-acutis ſubtus marginatis, ſupra albida, medio canaliculata. Corollæ

rollæ petala (aut ſi cum Linnæo malis ſquamæ nectariferæ?) quinque, calycina, cum ejusdem laciniis alternantia, duplo iis breviora, obcordata, introrſum conniventia, alba, baſin verſus in unguem velut decurrentia, & rubra. Stamina itidem quinque, & calycina, ſquamulis? an petalis? ſemitecta, alba, antheris luteſcentibus. Germen globoſum, ſtylus ſtaminibus tantillo altior, craſſiuſculus, ſtigmate obtuſo. Bacca globoſa, obſcure rubra, nitens, an tandem nigra? trilocularis, triſperma.

CLVI.

GERANIUM ARGENTEUM.

Geranium pedunculis bifloris, foliis ſubpeltatis ſeptempartitis, trifidis, tomentoſo-ſericeis, petalis emarginatis. *Linn. ſp. plant. p.* 954. *num.* 2.

Geranium alpinum longius radicatum adoratum. *Pona apud Cluſ. hiſt. pag. CCCXLII.*

Geraneum argenteum montis Baldi. *Joh. Bauh. III. P.* 2. *p.* 474.

Geranium argenteum alpinum, longius radicatum. *Seguier. veron. I. p.* 471. *tab.* 10.

Vochinenſium indigena alpium, creſcit plantarum nitidiſſima in vertice Montis Liſez; tum & in ultimo excelſi Cſerni Perſt dorſo, prorſus non rariſſima. Ab una ejusdem perenni multicipite & forti radice, plurima inter folia radicalia, ſcapi quoque plures, foliis perſæpe parum aut nihil altiores, aphylli (niſi cum geminos forte, utrumque biflornm, ſuſpendant pedunculos, & ipſi tum diphylli) biflori, ſurrecti quotannis emergunt. Nitent vero Geranio in iſto, eodem, ſericeo ut dicimus argenti, nitore omnia,

nia, ſcapi, calyces, & cum foliis, eorumdem quoque petioli. Non tomentum certe, villus imo, ſed denſiſſimus, ſed proſtratus, imbricatimque appreſſus, eſt, qui partibus plantæ omnibus præprimis cum oblique conſpiciuntur, dilutum hunc incani ſerici ſuperaddit nitorem, quem vulgo argenteum vocant. Quæcunque cæterum, magna in copia, a radice exeunt folia, longiſſime illa petiolata ſunt, petiolo gracili, baſi vaginantia, & obſcure non nihil, velut ex ſanguine, rubeſcentia. Suborbiculata eorumdem circumſcriptio, profundiſſime ſeptem in ſegmenta, oblonga, ſemitrifido-cuneata, partita eſt, ſegmentis eo magnitudine decreſcentibus magis, quo inferiore magis ſunt loco; eorum vero laciniis linearibus, obtuſis, integris, intermedia paulo longiore. Scapi petiolis foliorum ſubæquales, & ipſi graciles, teretes, aphylli, apice ex involucro trium, quatuorve, aut & quinque bracteolarum, lineari-lanceolatarum, biflori, floribus majuſculis longe pedicellatis. Calyx pentaphyllus, ſubcoriacens, foliolis ovato-lanceolatis, concavis, integris, corolla duplo brevioribus, apice mucrone molli, innocuo, auctis. Corolla pentapetala, magna, patens; petalis oblongo-obovatis, apice obtuſe emarginatis, auricularum lobulis ſurſum conniventibus, dilute incarnato-rubellis, ſtriis baſin verſus ſaturatioribus. Stamina decem, monadelpha, calycis longitudine corollis breviora, alterius paulo altioribus: filamenta alba, ſubulata, baſi ovata ſubmembranacea fornicato-connivente. Antheræ oblongæ, verſatiles, primum rubræ, polline aurato-flavente, margine tum nigricante. Germen quinquagulo ovatum, longe roſtratum, ſtaminum longitudine, ex villis proſtratis, perinde ac calyx, foliaque ſericeo-argentatum. Stylus ſubulatus ſtaminibus paulo longior, perſiſtens; ſtigmata quinque rubra, reflexa. Capſulæ quinque ovatæ, monoſpermæ, longe roſtratæ, a baſi dehiſcentes, ſurſumque per arcum elevatæ, ſeu reflexæ.

Obſer-

Obferv. Eft, quod hic moneam; non absque incuria factum mea, ut ad Geranium Macrorrhizon Linnæi citati nuper fuerint in primo collectaneorum Jacquinii Volumine p. 258. cum Pona, Seguierius; citationes itaque hæ, huc pertinentes, ibidem deleantur.

CLVII.

POTENTILLA SUBACAULIS.

Potentilla foliis ternatis, fubquinatisve, oblongo-obovatis, dentatis, utrinque tomentofis, fericeo-incanis; fcapis decumbentibus; petalis emarginatis, flavis.

Potentilla foliis ternatis dentatis, utrinque tomentofis, fcapo decumbente. *Linn. fp. plant. p.* 715. *num.* 27. *Gerard. flor. gallopr. p.* 469. *num.* 11. *Gmelin. flor. fibir. tom.* 3. *p.* 183. *num.* 34. *tab.* 36. *fig.* 2.

Incana pentaphylli effigie, Leucas Diofcoridis? *Lobel. adver. p.* 307. veriffime.

Fragariæ affinis fericea incana. *C. B. pin.* 327.

Pentaphylli effigie, Leucas quibusdam. *Joh. Bauh. II. cap.* 83. *p.* 598. qui paginæ numerus erroneus, frequenter occurrit.

Fragaria fterilis, molli lanugine pubefcens. *Aman. ruth. p.* 84. *num.* 110.

Potentilla grandiflora. *Scopol. flor. carn.* 2. *tom.* 1. *p.* 363. *num.* 626. *tab.* 22.

Præcox plantula, quæ Majo jam paffim defloruerit, admodum occurrit frequens, per omnes Japidiæ (Carfcho) montes, e faxorum erumpens rimis, paucula repletis terra. In rupeftribus primum ad famigeratum fancti Servuli antrum inveniebam; tum frequentiffimum prope Obzinam, cum jam de monte Tergeftum defcenditur. Et miratus fane fuiffem, quomodo præ-

clariſſimus noſter Scopolius ſtirpi tam graphice a Linnæo expreſſæ, Grandifloræ nihilominus ſpecificum imponere potuerit nomen, licet diſerte ipſe a Grandiflora Linnæi, (ut reapſe eſt) diverſam dicat! niſi quidem probe noviſſem, Nitidam Linnæi Potentillam infeliciter plane ab eodem pro ſubacauli Linnæi, Albam contra Linnæi pro ejusdem Nitida, etſi modo ſub dubio, agnitam fuiſſe. Perennis ejusdem radix, lentaque, & in lignum denique abiens, brachiolis radiculisque ſuis intra rupium fiſſuras undique depacta, adeo firmiter iisdem hæret, ut non niſi operoſe ſalvam inde extrices. Multiceps non raro, ubi primum e terra prorumpit, aut cum etiam non multiceps, copioſum tamen ſemper radicalium foliorum, ſcaporumque, foliis vixdum altiorum, ad duos, tresve attollit pollices ceſpitulum; ſubſtolonifera interdum etiam, dum nempe unum, alterumve ejusdem caput, amplius elongatum, in terram decumbit, radiculisque actis intra petrarum rimas ſeſe firmat, novam ſecuturis annis daturum prolem. Et hæc quoque, quanta quanta eſt, plantula, tota itidem pallido e virore incaneſcit, non absque omni ſerici nitore, utut non argentato: Althææ fere inſtar, tactui mollis & byſſina. Villus ſcilicet ſericeo-caneſcens, longiuſculus, proſtratus, depreſſusque copioſiſſime, denſiſſimeque & folia eorumque petiolos ſtipulasque, & cum calycibus, ipſos florum ſcapos, pedicellosque inſternit. Folia radicalia multa, craſſiuſcula, & velut ſubcoriacea, communiter ſuo e petiolo ternata, intermiſtis nonnullis quaternatis, tum & quinatis, acceſſorio illo uno, aut binis, longe minoribus; foliola ipſa, obovato-oblonga, margine obtuſe ſerrato-dentata. Eorum petiolus baſi membranaceo-vaginans, in ſtipulas abit longiuſculas, lineari-lanceolatas, integras. Scapi graciles, teretes, foliorum plus minus altitudine, rarius præciſe uniflori, rarius etiam penitus aphylli, ut non immerito ſubacaulem Linnæus dixerit ſtirpem. Plerumque duos, tresve longiuſculis in pedicellis ferunt flores, majusculos quidem,

non

non tamen, qui admirationem mereantur, ultra modum magnos. Præter foliola bracteæformia, ovali-lanceolata, unum alterumve, ad pedicellorum exortum, aut in iisdem, fessilia; unum item alterumve, inter se remotiuscula occurrere item in inferiore fcapulorum parte folent, & ipfa fessilia, femitrifido-cuneata. Calyx monophyllus plusquam femidecemfidus, lacinulis lanceolatis, integris, alternis, iisque interioribus, paulo minoribus. Corolla calyce duplo major, pentapetala, patens; petalis emarginato-obcordatis, faturate flavis, ungue exiguo, calyci infertis. Stamina plurima, calycina; filamentis calycis altitudine, fubulatis, flavis, antheris oblongo-ovatis, & ipfis quoque flavis. Germina copiofa, ovato-gibba, in capitulum collecta, fessilia, flaventia, albido-villofa, ftylo brevi, filiformi, de latere interno germinum, fub apice velut orto, & nudo, inftructa. Stigma fimplex, obtufum. Semina exfucca, decalvata, aquofe fubflavicantia. Odor nullus.

CLVIII.

BOLETUS SUAVEOLENS.

Boletus acaulis femielliptoidicus niveus; fupra convexus, byffino-villofulus; fubtus tubulofo-porofus, poris rotundis angulatisque; Anifum redolens, falicinus.

Boletus acaulis, fuperne (cum tempore) lævis, falicinus. *Linn. fp. plant. p.* 1646. *num.* 7. *Gunner flor. norv. P.* 2. *p.* 137. *num.* 1052. *Enslin. Differt. de Bolet. p.* 13. *fig.* 1. 2. 3. 4. optime.

Polyporus feffilis, convexo planus albiffimus, fuperne hirfutus, poris latioribus. *Haller hift. ftirv. helv. tom.* 3. *p.* 140. *num.* 2280. ob citatum Buxbaumium.

Frequens in Carinthia, neque tamen alia in arbore hactenus, quam Salice alba, *bey den Mühlen an der Klan* (Clana, olim Glinus, cujus accolæ Glintidones) *ohnweit der Thysischen Walkmühle, dann zu Feschnig oder Ehrenhausen. Auch nächst der Fränzmühle.* Ab autumno usque in ver insequens. Multis ab annis notissimum fungum, ausus tamen non fueram asseveranter pronunciare, eumdemque omnino cum suaveolente Linnæi esse. Obstitit summa summi Viri autoritas, qui lævem disertis semper pronunciavit verbis. Attamen serius didici denique, lævorem hunc nonnisi vetulo demum, & pene effæto convenire, cum reapse juvenili vegetaque adhucdum in ætate stipate supra sit villosulus, & byssino - omnino tomentosus. Quamvis autem susæ Cl. Enslii descriptioni addi credam posse nihil, in eorum tamen gratiam, ad quos erudita isthæc dissertatio forte haud pervenerit, brevem hanc, veramque Fungi adumbrationem subjungo: substantia parasitici hujus Boleti fungoso-coriacea, densissima, lenta, tenax, nivea, Anisum, aut & Scandicem odoratam redolens. Figura, qualis parasiticorum fere omnium, latere altero arboribus increscentium, semielliptoidica nempe; jam in semicirculum velut contracta, aut & transverse elongata magis, diametro longiore a tribus ad usque septem pollices sese extendente, cum qua longitudinem ejusdem metitur, eaque minor, duos tresve, vixque plures attingat. Altitudo, quam & crassitudinem dicas, quaque arbori adhærere solet, unius, nec facile duorum, nisi rarius, est pollicum, decrescitque magis magisque, extimum versus circumferentiæ marginem. Pileus itaque stipitis expers, dimidiatus, subsemi elliptoidicus, latere altero salicibus annosis accrescens, horizontalis, niveus, supra plus minus convexus, pulvinatus, initio villo brevi byssino densissimo, erecto, & ipso quoque niveo, obsitus, dum ætate calvescat, lævis factus. Margo nunc integer, alias lobatus, cum tempore ex niveo-subflavescens, & ex flavicante aquose etiam

sub-

ſubfuſceſcens, acutus. Pars infera tubuloſo-poroſa, itidem nivea, niſi dum exſiccatione, aut ſenio aquoſe fuſceſcat. Tubuli, arbori matri, proximi, iis qui margini adſiti ſunt, longiores, cum tempore fere tetragoni. Eorumdem oſcula, primum circinatæ rotunditatis, acicularia, conferte denſata; diducuntur deinceps magis magisque, angulataque fiunt, ut capitellum jam acicularum iisdem immittere valeas. Iridis florentinæ odorem in eo ſe obſervaſſe alii paſſim aſſerunt; ego vero, omnesque, quibus recentem odorandum exhibui, nonniſi debilem, ſuaviſſimumque Aniſi, ſive & ſcandicis, ut innui, odoratæ Linnæi. Occurrit & faſtigiatus interdum, ex mutuo ſuperimpoſitis tophis.

CLIX.

BOLETUS HIRSUTUS.

Boletus acaulis, ſemicircularis, plano-convexus, albiſſimus, ſupra hirſutiſſimus, lineis concentricis alternis depreſſis; ſubtus poris rotundato-angulatis.

Vulgatiſſimum fungum paſſim in ſylvis Labaci, ac Clagenfurti, quibusvis fere in arborum truncis, etiam nonnumquam in pomiferis, inveni. Hic multo priore minor, nec tam copioſa unquam carne; odore, qui adnotari mereatur, nullo. Laminæ ſcilicet ſunt ſemicirculares ut plurimum, unum ſemialterumve pollicem latæ, altæ lineas nonniſi quinque aut ſex, undique albiſſimæ in ætatis flore. Caro iis non admodum multa, eaque ſicca, coriacea, lenta, & ipſa alba. Figura pulvinata, ſupra videlicet leniter convexa, ſubtus plana. Villus denſiſſimus, duas altus lineas, ſemper erectus, fungo concolor, ſuperam undique convexitatem occupat, in concen-

tricas cum tempore fafcias villofas, per alternatim impreffas lineas femicirculares, & ipfas concentricas, difcretus. Tubuli partis inferioris non admodum longi, cum tempore dilute fubflavicant; ofculis acicularibus, demum ampliatis, rotundato-angulatis. Varietates diverfis in locis vidi complures: fimplicem alias; alias multiplicem; etiam imbricatim fibi mutuo imminentes; plerumque dimidiatos, latere altero, absque ftipite arboribus adnatos; non tamen numquam, verum vicibus iteratis, circulares, integros, exftipitatos, centro partis inferæ truncis increfcentes, fuperne umbilicatos, fubtus convexiufculos. Erant multos inter, & proliferi, nunc e difco medio, nunc e peripheria. Villus, ut innui, communiter albus, & groffiufculus; ex albo tamen nonnumquam & fubflavefcit fenio. Sed fingulariffimæ varietatis, quæ bis modo Labaci occurrit, non poffum non meminiffe. Erat ille viridis totus; altero in fpecimine, verfus centrum præcife dilute virefcens; in tertio denique mater fuperne viridi-villofa, cum prole ex peripheria enata albo-villofa.

CLX.

BOLETUS ODORATUS.

Boletus acaulis plano convexus, fulpulvinatus, aurantiacus; fubtus flavus, halitu albido oblitus; poris inæqualibus rotundato-angulatis, odore cariophylli.

Synonyma dubia non adduxero, cum diftinguere, quam confundere malim; & quis autores tam amœni oblitos credat odoris, ut ne verbo indicaturi fuiffent? Abfectarum truncis arborum (Abietis) innafcentem Clagenfurti,

furti, in ſylvula Ebenthalenſi menſe Octobri vidi; alias Labaci in ſylva, vulgo *Unterm Thurm.* Suaviſſimus, quem diu vel ſiccus, in cubili aſſervatus, retinet aromaticorum caryophyllorum odor, hunc ſatis crediderim a congeneribus aliis diſtinguat, iisdem cætera, quibus illi, obnoxium varietatibus. Certe non ſimplicem ſemper, nec dimidiatum etiam ſemper, ſed integrum quoque interdum, alias multiplicem, ceſpitoſum etiam, imbricatumque; margine nunc indiviſo, nunc ſinuato - etiam vidi lobato. Supra interim plerumque, etſi nonniſi inæqualiter, convexus, ſubpulvinatus; non equidem tomentoſus, minus adhuc hirſutus, tamen neque lævis omnino; verbo, tactui fere ſcabriuſculus; aurantiaci ſemper coloris, utut in infera, planaque pororum parte dilutioris tantiſper, ob ſuperinductum neſcio quem? albedinis halitum. Umbilico ſupra deprimitur nigro-ruſeſcente, integer dum forte eſt; convexus tum inferne, centroque, absque ſtipite tamen, ſeſſilis. Communiter, ut dixi, dimidiati inſtar pulvilli, latere uno arbori accreſcit horizontalis, in ſemicirculum, aut ſemielliptoidem conformatus; ſed & hoc quoque in ſtatu, exlex, centro ſupero accreſcentis lateris, in tophum? an ſtipitem verius craſſiuſculum, & nigricantem aſſurgit. Tubuli capillares longiuſculi, ſtipate primum addenſati, inferam occupant partem, pororum oſculis tandem inæqualiter ampliatis, rotundato - angulatis, cellularum adinſtar, apis mellificæ. Caro illi pluſcula, tenaciſſima, coriacea, brunea, apta parando fomiti; niſi jam verus ſit fomes. Tandem ſupra magis, magisque, marginem verſus, nigreſcit, maraſmo deperiens denique.

CLXI.

CLXI.

SCABIOSA GRAMINIFOLIA.

Scabiosa corollis quinquefidis, foliis lineari-lanceolatis, integerrimis, sericeo-tomentosis; caule herbaceo. *Linn. sp. plant. p.* 145. *num.* 21. *Scopol. flor. carn.* 2. *tom.* 1. *p.* 96. *num.* 139. *Allion. flor. ped. tom.* 1. *p.* 141. *num.* 515.

Scabiosa graminea argentea. *Joh. Bauh. III. P.* 1. *p.* 12. *Seguier. veron. II. p.* 181. *num.* 7.

Succisa foliis gramineis tomentosis. *Haller hist. stirp. helv. tom.* 1. *p.* 88. *num.* 203.

Alpium earum fauces, per quas murmurans ad Salcanum erumpit Soncius, numquam adii, ditior quin perelegante aliqua redierim stirpe. Immanes ibi rupium massæ, furiosum in fluvium jamjam præcipitandæ, gratissimum rarissimis habitaculum præbent plantulis. Ex harum fissuris rupium haud procul Molendino, & argentea quoque hæc passim enascitur Scabiosa, visu amœnissima. Radix perennis, teres, sublignescens denique, jam unum quotannis, jam & interdum plures, simplicissimos tamen semper, copiosa inter folia radicalia caules profert ex decubitu velut ascendentes, & erectos, spithamæ plus minus altitudine. Herbacei ii sunt, graciles, teretes, basin versus pluribus e geniculis articulati, ut & ipsa radix, inde ad terminalem usque florem enodes, aphylli. Folia non alia, quam versus infimam eorum basim, eaque ad articulorum genicula, opposita, & connata. Sunt ea radicalibus prorsus similia, angusta, duos & amplius pollices longa, lata nonnisi unam semialteramve lineam, supra plana, subtus dorso medio longitudinaliter carinata; margine integerrima, verbo lineari-lanceolata, & ve-

rissime

riſſime gramineorum æmula. Quod ea, caulesque, & cum caulibus perianthii quoque communis foliola, ſpecioſiora reddit; nitor eſt ſericeo-argentatus, quem copioſo unice debent villo, qui longiuſculus, ſericeo-incanus, ea undique inſternit decumbens, denſoque velut tomento adeo obvolvit, ut vixdum viror aliquis traluceat. Flos in caulis apice unicus, magnusque, aut verius plurimi in unum velut terminale capitulum collecti. Calyx communis polyphyllus, foliolis lanceolato-linearibus, integerrimis, ſericeo-tomentoſis, diſco, non radio florente longioribus, duplicis ſeriei, interioribus paulo anguſtioribus. Calyx partialis floſculorum duplex, germini uterque inſidens, & ſuperus. Eorum inferior monophyllus, campanulatus, patens, membranaceus, transparens, ſtriis ſive plicis multis, fuſceſcentibus exaratus, ſuperiorem ſinu ſuo recipiens; tenuem illum, & in lacinias quinque ſubulato-ſetaceas profundiſſime partitum; utroque perſiſtente. Corollæ cœleſtini coloris, ſaturatioris, aut dilutioris, extus copioſo, longoque obſitæ villo ſericeo-incano, omnes monopetalæ, tubuloſo-ſemiquinquefidæ; eæ diſci minores, lacinulis limbi æqualibus, erecto-patentibus, obtuſe ovatis; illæ contra peripheriæ, radiantes, duplo majores, ſegmentis tribus exterioribus maximis, oblongo obovatis, margine fere crenulatis. Stamina tantum quatuor, corollis diſci altiora; filamentis albis, antheris dilute flaveſcentibus. Germina in receptaculo, intra ejusdem paleas lanceolatas, canaliculatas, dorſo carinatas, ultra medium fuſcas, & pubeſcentes, ſeſſilia, involuta membranula, & calyculis coronata. Stylus filiformis, ſtaminibus altior, cæruleſcens. Stigma flaveſcens, obtuſum, emarginatum.

CLXII.

CALLA PALUSTRIS.

Calla foliis petiolatis cordatis; ſpatha plana; ſpadice undique hermaphrodito. *Linn. ſp. plant. p.* 1373. *num.* 2. *Gunner flor. norv. tom.* 2. *p.* 86. *num.* 727. *Oeder. flor. dan. tab.* 422. *Gmelin. flor. ſibir. tom.* 1. *p.* 1. *num.* 2.

Dracunculus aquatilis. *Dodon. pempt. p.* 331.

Dracontium paluſtre. *Tabernæmont. p.* 1122.

Maximus hujus proventus in limoſiſſimis ad effluxum lacus Wertenſis ad ſiniſtram Caſtelli Loretani Comitum Roſenberg; item in turfoſis ad effluxum lacus Oſſiacenſis; tum *in Sumpfichten hart am Wald längſt des Wegs von Oſſiach nach Feldkirchen, ohnweit des Prewelnicks.* Denique ad influxum lacus Milleſtadienſis. Florens Majo ad medium usque Junii, fructus maturans Auguſto & Septembri. Repens in pinguiſſimo lacuum limo, longiuſcule excurrit piperitæ iſtius plantæ radix articulata, digiti auricularis craſſitudine, teres, lævis, nitens, viridis, tubulis intus rectis, quanta eſt, percurſa plurimis, in ſcapum quoque adſcendentibus, ea omnino, qua in Hippuri, ratione; verticillisque fibrarum albarum ad ſingula articulorum genicula, ſæpe ſæpius radicata. Scapus ſpithamam plus minus altus, teres, lævis, nitens, viridis, tubulis, ut innui, plurimis intus percurritur rectis, fiſtuloſisque; aphyllus omnino; apiceque ex ſpatha foliacea, ſeſſili, ovata, plana, integerrima, lævi, ſupra alba, ſubtus viridi, terminata in nervum ſive cuſpidem brevem, teretem & mollem, proferens ſpadicem, cylindraceo-ovatum, undique hermaphroditum, ſive germinibus cum intermiſtis ſtamini-

minibus ſtipatiſſime obſitum. Germina hæc, absque calyce, corollisque, nec ordinate, ſparſa undique, ſeſſilia, oblongo-obovata, convexitate terminali obſcure ſubpentagona, nuda, lævia, nitentia, viridia, ſtylo in apice inſtructa breviſſimo, tandem nigreſcente, ſtigmate obtuſo; abeuntque denique totidem in baccas ruberrimas, læves, nitentes, uniloculares, ſubgloboſas, farctas interne pulpa gelatinoſa, alba, tenaci, nitente, fœta ſeminibus undique ſparſis, ad octo usque, cylindraceis, utrinque convexis, glabris, nitidis, ex cinereo fuſceſcentibus, ſulco ſive ſtria longitudinali exaratis, atque unam verſus extremitatem poris impreſſis undique foveolatis. Stamina plurima, nulla lege, aut ordine germinibus intermixta, iisdem altitudine ſubæqualia. Filamenta plana, alba, apice antheris binis, globoſis, ſeſſilibus, albis inſtructa. Antheræ bivalves, biloculares diaphragmate intercedente; rumpuntur tandem ab apice baſin verſus; polline fætæ albo. Folia tantum radicalia, complura, longe petiolata, plana, cordata, primum apice acuta, tum obtuſa, & fere rotundata, integerrima ſemper, lævia, nitentia, viridia. Eorumdem petiolus baſi ſcapum vaginans, cætera ſemiteretiuſculus eſt, ſive ſupra planus, inferne longitudinaliter convexus, lævis, viridis, nitens.

CLXIII.

ECHINOPHORA SPINOSA.

Echinophora caule ramoſo diffuſo; foliis ſubbipinnatis; foliolis triquetris, ſpina ſubulata terminatis.

Echinophora foliolis fubulato-fpinofis, integerrimis. *Linn. fp. plant. p.* 344. *num.* 1. *Gerard. flor. gallopr. p.* 231. *num.* 1. *Allion. flor. ped. tom.* 2. *p.* 3. *num.* 1287. *Zanichelli hift. lit. venet. p.* 90. *tab.* 15.
Crithmum fpinofum. *Dodon. pempt. p.* 705.
Paftinaca marina. *Lobel. obferv. p.* 408.
Crithmus tertius. *Tabernæm. p.* 299.

Minime rara ad Aquas gradatas, fedem tempore aliquo Patriarcharum Aquilejenfium. Radix perennis, longa, fufiformis, radiculis fparfis obfita, alba, fapore fubdulcefcente Dauci carotæ, plebeculæ edulis. Caulis erectus, teres, farctus, digitum interdum auricularem craffus, rigidiufculus, cum tempore etiam fublignefcens, primum ftriatus, tum fulcato-multangulus, hifpidus, ex axillis ramofus, ramis quaquaverfum diffufis. Folia infima bi- reliqua fimpliciter pinnata, divaricata, patentiffima, etiam nonnumquam infracta, magis magisque rigefcentia, dum fere in lignum abeant; axe communi pinnarum, fupra plano, demum canaliculato; fubtus terete, multiftriato, hifpidulo; foliolis five pinnis conjugatis, laxe ordinatis, triquetris, fupra planis (donec canaliculatæ fiant) fubtus carinatis, ftriatis, hifpidulis, fpina fubulata rigida terminatis. Earum juga, five conjugationes infimæ, plerumque bi- aut trifidæ, fuperiores fimpliciffimæ. Umbellæ univerfales in caule ramisque terminales, mediocri infiftentes pedunculo communi, erectæ, non admodum confertæ, radiis inæqualibus, patentes. Involucrum univerfale penta- aut heptaphyllum, foliolis radios æquantibus, fimplicibus, lineari-lanceolatis, fubtus ftriatis, convexis, & hifpidulis; fupra planis, in fpinam fubulatam apice abeuntibus. Umbellulæ partiales multifloræ. Involucella pentaphylla, foliolis ovato-acutis, dorfo ftriatis & hifpidulis, apice fubulato fpinofis, corollulas nonnihil exce-

cedentibus. Germina difci fubfeffilia; exterioribus radii breviter pedicellatis, abortientibus; ftriata, hifpidula, coronata calyce quinquepartito, foliolis lineari-fubulatis. Corollæ albæ, calyce majores, pentapetalæ; petalis patentibus, inflexo-obcordatis, exterioribus radii paulo majoribus. Stamina quinque, una cum antheris, alba. Styli duo divaricati; ftigmatibus fimplicibus. Semina duo, oblonga, extus fulcata, & hifpida, in centro umbellæ univerfalis fubfeffilia, altero plerumque abortiente, involuta involucello permanente indurato.

CLXIV.

CIRCÆA ALPINA.

Circæa caule adfcendente fubramofo, foliisque cordatis, ferrato-dentatis, glaberrimis, illuftribus.

Circæa caule adfcendente, racemo unico. *Linn. fp. plant. p.* 12. *num.* 2. *Scopol. flor. carn.* 2. *p.* 9. *num.* 7. *Allion. flor. ped. tom.* 1. *p.* 233. *num.* 855. *Gunner flor. norv. tom.* 2. *p.* 32. *num.* 436. *Gmelin. flor. fibir. tom.* 3. *p.* 225. *num.* 43. *Oeder. flor. dan. tab.* 256. *Schrank flor. berchtefg. p.* 157. *num.* 2. *Seguier. veron. I. p.* 326. *num.* 2. *Haller hift. ftirp. helv. tom.* 1. *p.* 362. *num.* 814.

Quæ in Septentrione caule, ut videtur, plerumque eft fimpliciffimo, pygmæo, unicoque terminato florum racemo, apud nos contra rarius adeo nana, caule imo eft ut plurimum plus quam fpithamali, ramofo, racemis axillaribus, fæpius brachiato etiam. Eam ego multis reperi in locis, femper fylveftribus, fubalpinis, humidis, umbrofis viarum cavarum, aut & fe-

miputribus resectarum arborum truncis innascentem. Sic per adscensum montis Kreuzberg, in Fladniz, mense Julio. Sic iterum *Augusto* ad radices montium Villacensium umbrosis in sylvis. Nanam etiam Victoriensibus in sylvis primo vere. Minime vero perennem esse credo. Radix fusiformis, sat gracilis, albens, radiculis fibrillosis parcius obsita. Caulis nana in varietate erectus, in ramosa vero basi decumbens, nec nisi ex decubitu adscendens, teres, glaberrimus, læte viridis, illustris, & velut in Impatiente Balsamine transparens; villo nuspiam ullo; apud nos plerumque ex axillis ramosus. Folia semper opposita, petiolata, exacte cordata, per oras serrato-dentata, glaberrima, nitentia, nuspiam pubescentia, una cum petiolo transparentia; axillis sanguineo-rubris. Racemi, præter terminalem, axillares, erecto-patentes. Flores ex pedicellis brevibus simplices; pedicellis teretibus, gracillimis, rubris, in fructu pendulis. Germen obovatum, inferum, pubescens. Calyx diphyllus, foliolis oblongo-ovalibus, concavis, dorso dilute rubris, supra ex rubello-albidis, corolla longioribus, in flore patentissimis, tum reflexis, cadivis denique. Corolla dipetala, petalis obcordatis, albis, alterno cum calyce situ, eodem brevioribus. Stamina duo, basi calycum adnata, cum eodem decidua, corollis altiora; filamentis filiformibus albis; antheris subrotundis, rubris. Stylus albus, stamina fere adæquans. Stigma capitatum, supra incisum aut emarginatum, fuscum, tandem nigricans. Capsula obovata, hispida, villulis albis, patentibus; bilocularis, bivalvis; diaphragmate valvulis parallelo. Semen cujusque loculi unum, oblongo-obovatum, glabrum.

CLXV.

CLXV.

ALYSSUM GEMONENSE.

Alyſſum caule herbaceo, ramis divaricatis, foliis radicalibus, oblongo-obovatis, integris, repando ſubdenticulatis, tomentoſo-caneſcentibus; ſiliculis inflatis.

Alyſſum caule herbaceo, ramis divaricatis, foliis radicalibus obovatis, ſubtomentoſis, ſiliculis inflatis. *Linn. mantiſſ.* *I. p.* 92. *num.* 17.

Alyſſum petræum, caulibus ſuperne ramoſis, ramis divaricatis flexuoſis; ſiliculis ſubinflatis, tetraſpermis. *Arduin. ſpec. II. p.* 30. *tab.* 14.

Habitat frequens in montanis calcareis prope Gemonam, aut verius Glemonam (*Glemaun*) retro Pontebam, tum in valle Vochinenſi; item prope Neoforulum ſeu *Neu-Markt*l; denique in valle, quam Kanker fluvius permeat. Nuſpiam in magna admodum altitudine. Radicem Alyſſum hoc habet perennem, fungoſam, dein ſubligneſcentem, tereti-ſubfuſiformem albam, extus obſolete ſubluteolam, non multicipitem, verum & interdum bipedem velut, radiculis, non tamen copioſiſſime obſitam. Plures ea quotannis herbaceos caules, plus quam ſpithamales, inter aridas, jamque lignoſas, veterum reliquias, profert, minime procumbentes, verius erectos, teretes, graciles quidem, magis tamen ſemper, magisque rigeſcentes, ramoſo-ſubpaniculatos. Rami (præprimis inferiores) longiuſculi, erecto-patentes, demum etiam divaricati. Folia radicalia multa, oblongo-obovata, in petiolum velut decurrentia, integra, ora tamen marginis plus minus repando-denticulata, coſta longitudinali dorſi parumper exſtante. Caulina, ramorumque minora multo, anguſtioraque, & laxius ſparſa, fere lanceolata,

inte-

integra, fessilia. Tam hæc, quam illa, caulisque, cum ramis, totus, ex virore incanescunt, obsita undique, non tam tomento, quam brevibus potius, albidoque incanis, & hispidulis villis, apice stelligeris, stellulis multiradiatis, patentissimis, contiguitate mutua tenuissimam velut telam canescentem efficientibus. An caracter hic, Alyssi generi proprius? Eumdem certe & in montano, & in calycino, tum campestri, ac incano hactenus observavi. Racemi florales caulem, ramosque terminant, floribus absque bracteola pedunculatis, initio apicem versus in corymbum addensatis, tum racemo longius diducto, laxe sparsis, erecto-patentibus. Calyx tetraphyllus, foliolis ovato-oblongis, concavis, primum viridibus, & albido-villosis, tum flavis, denique cadivis. Corolla saturate flava, tetrapetala, calyce duplo major, patens; petalis obcordatis, sive emarginato-obovatis in unguem decurrentibus, tandem deciduis. Stamina sex tetradynama, binis oppositis paulo minoribus, basi introrsum denticulo brevi appendiculatis. Filamenta alba calycis altitudine; una cum antheris oblongis, acutis, flavis, decidua. Germen subovatum, nudum, stylo filiformi longiusculo permanente instructum, stigma obtusum. Silicula ovalis, tumide inflata, margine alata, nuda, stylo longiusculo instructa, bilocularis, bivalvis, valvulis concavo-elliptoidicis, cadivis, dissepimento membranaceo illustri, parallelis. Semina quovis in loculo bina, subrotunda, margine membranaceo alata. Figura Arduinii ad plantam in horto Patavino eluxuriatam, facta videtur fuisse.

CLXVI.

CLXVI.

SISYMBRIUM LIPPIZENSE.

Siſymbrium ſiliquis declinatis brevibus; foliis inferioribus pinnatis, ſummis inferiorumque foliolis integerrimis.
Eryſimum verum Dalechampii. *Lugdun. hiſt. pl. p.* 653.

Quadrante circiter horæ, antequam Caſtellum Lippizenſe ingrediaris, ad dextram viæ ſolo duro rupeſtri copioſiſſimum, nec hactenus alibi; indubie tamen & per reliquum Carſchum. Credideram equidem primum, me Siſymbrium hoc, cum eo, quod ſub Tenuifolii nomine ſpecifico Linnæus propoſuerat, conjungere poſſe; at folia infima tripinnatifida! & figura Erucæ tenuifoliæ perennis apud Joh. Bauhinum! Malui itaque pro novo proponere, ſapientiſſimi ſemper memor effati: præſtare diſtinguere, quam confundere. Et quid metuendum in eo haberem denique? quando vel ante me jam, idem, ſic ſenſerat, Joh. Bauhinus hiſt. II. p. 861. a Lugdunenſibus, inquiens, duas unius herbæ (Erucæ tenuifoliæ perennis) figuras propoſitas videri, priorem ex Matthiolio; alteram (ſub nomine Eryſimi veri) quæ nova eſt. Sat gracilis illius eſt radix, fuſca extus, intus alba; attamen & illa quoque perennis, ſicca, indureſcens, & in lignum denique abiens. Ut vero radiculis fibrillisque obſita eſt permultis, in brachia demum quaquaverſum ſparſa convaleſcentibus, ſic & telluris verſus ſuperficiem in ramos, capitaque dividitur non raro complura, plures ſingulis e capitibus caules, ſoliaque, ut ajunt, radicalia emittens. Caules illi, natali in loc , per terram undique proſtrati decumbunt primo, ſed eriguntur denique, & recti, firmique conſiſtunt, utcunque graciles, & ramoſi. Villum in iis, pubemve ut in

omni quoque planta, reperias nullum; ſuntque teretes, ex axillis ramoſi, in laxum, verſus extrema, una cum ramis, flexuoſumque abeuntes florum racemum. Folia radicalia, infimaque caulium laxiſſime, ſed ſimpliciter ſimul pinnata; jugis pinnarum tribus, quatuorve ab invicem remotis; in intermediis vero caulium foliis unico. Pinnulæ ipſæ (uti & ſumma caulium folia) ſimpliciſſimæ, ſeſſiles, oblongæ, planæ, anguſtæ, integerrimæ, lineari-obovatæ, inferioribus cum proportione minoribus, minoribusque, ut forſan vix erraveris, ſi Siſymbrii iſtius folia lyrato - dixeris pinnata. Saturate cum iisdem caules, ramique virent. Rami axillares, longiuſculi, erecto-patentes, aphylli, florum racemo laxo, intra flores flexuoſo, terminati. Flores longiuſcule pedicellati, erecto-patentes. Calyx tetraphyllus, foliolis oblongo ſubovatis concavis patentibus, ex viridi tandem luteſcentibus, dum denique decidant. Corolla ſaturate flava, calyce duplo major, patens, tetrapetala; petalis obovato-oblongis, integerrimis, in unguem decurrentibus, deciduis. Stamina ſex tetradynama, binis oppoſitis, paulo minoribus. Filamenta alba, ſubulata, calyce tantillo longiora. Antheræ flavæ. Germen lineare, breve; ſtylus acicularis, germinis in hac ſpecie longitudine. Stigma obtuſum craſſiuſculum. Siliquæ longiuſcule pedunculatæ, declinatæ, reſpective ſat breves, lineari-lanceolatæ, etiam ſubovato-acuminatæ, & compreſſæ, ſtylo aciformi longiuſculo inſtructæ, perſæpe etiam abortientes; cæterum nudæ, biloculares, bivalves, diſſepimento valvulis parallelo; ſeminibus in loculo quovis aliquot.

CLXVII.

SPARGANIUM NATANS.

Sparganium caule ſimpliciſſimo, terete, recto; foliis linearibus, planis, mollibus, tandem decumbentibus, & intra aquam natantibus.

Sparganium foliis decumbentibus planis. *Linn. ſp. plant. p.* 1378. *num.* 2. *Gunner. flor. norv. tom.* 2. *p.* 43. *num.* 500. *Oeder. flor. dan. tab.* 260. cum floribus præciſe fœmineis. *Allion. flor. ped. tom.* 2. *p.* 273. *num.* 2351. *Haller hiſt. ſtirp. helv. tom.* 2. *p.* 163. *num.* 1304.

Platanaria altera. *Dodon. pempt. p.* 601.

Sparganium alterum. *Lobel. obſerv. p.* 41. *Joh. Bauh. II. p.* 541. *Tabern. pag.* 560.

Creſcit floretque Julio perquam copioſum in ſocietate Nymphææ albæ, Poæ aquaticæ, Triglochin paluſtris, Teucrii Scordii &c. in limoſis turfoſis ante lacum Wertenſem prope Caſtellum Loretanum, præprimis retro columnam lapideam, & illico adjectum ponticulum; vel viſu diſtinctiſſimum a Sparganio erecto. Radix alba, geniculata, repens, capillitio fibrillarum ſive radicularum copioſiſſime undique, præprimis in vertice, inſtructa. Caulis erectus, a bipollicari ad ſpithamam usque, & ultra aſſurgens, prout in limo duntaxat, aut jam intra aquam reperitur, rectiſſimus, ſemper ſimpliciſſimus, minime rigidus, mollis potius, glaber, lævigatus, nitens, teres, baſin verſus folioſus, una cum foliis, ex flavo velut viridis, nec ut in Sparganio erecto ſaturate gramineo viridis. Folia caulem ſere adæquantia, initio erecta, tum inferiora patentiſſima, decumbentia, & ſiquidem adſit aqua, per eam natantia, ſuntque æquabiliter latiuſcula, linearia, obtu-

ſa, ſeſſilia, caulem baſi ſemiamplexando vaginantia, ſuperne plana, inferne nullatenus carinata, ſed obtuſiſſime longitudinaliter convexa, lævigatiſſima, mollia, nitentia, ex flavo-virentia. Flores utriusque ſexus eadem in ſtirpe, diverſis in thalamis capitatis; capitula ſcilicet florum ſubgloboſa, a tribus ad octo, novemque lateralia, ſeu lateribus caulis alternatim adnata, & ſeſſilia; ſuperioribus (ab uno ad tria) pure maſculis, minoribus, nullaque unquam bractea ſuffultis, demum deciduis. Inferioribus contra (a duobus ad quatuor aut quinque) pure fœmineis, majoribus, in axilla, aut ſupra axillam folii bracteiformis ſeſſilibus, infimo tamen plerumque breviter pedunculato. Sicque caulis hocce in Sparganio, in ſpicam velut abit rectiſſimam, floribus in capitula denſe aggregatis, longe interruptam. Bracteola ſimplex, nullum ſuccolans capitulum, medio fere conſtanter loco inter infimum maſculum, & ſupremum fœmineum invenitur. Flos quisque capitulorum marium calyce triphyllo, absque corolla, foliolis oblongis, linearibus, obtuſis: ſtaminibus tribus, triplo calyce longioribus, albis, polline antherarum flavo. Capitula fœminea globoſo-echinata: floſculi eorumdem calyce pariter, ut in maſculis, triphyllo; corolla nulla; germine oblongo, ovato-acuminato, inferne ſubtriquetro; calycem triplo, aut & quadruplo excedente; ſtylus eſt ipſum acumen germinis pyramidati, a medio ad apicem album, tandem nigreſcens. Stigma bifariam dehiſcens. Drupa calyce longior, ovato-acuminata, baſi ſubtriquetra, exſucca, nullaque carnoſa pulpa farcta; nuculam ſimplicem oblongo-ovatam continens.

CLXVIII.

CLXVIII.

GENISTA HISPANICA.

Genifta fpinis decompofitis, ramis floriferis inermibus, foliis linearibus, pilofis. *Linn. fp. plant. p.* 999. *num.* 13. *Gerard. flor. gallopr. p.* 483. *num.* 4. *Allion. flor. ped. tom.* 1. *p.* 322. *num.* 1185.

Geniftella montis ventofi fpinofa. *Joh. Bauh. I. Part.* 2. *p.* 400.

Genifta fylveftris. *Scopol. flor. carn.* 2. *tom.* 2. *p.* 53. *num.* 875.

Frequens in omni Carfcho fupra Tergeftum, indeque in littoralem usque Dalmatiam. Oraculo Linnæano, bis, ut inquit, repetito, cur non acquieverit Scopolius? fatis non video; præfertim fi, ut reapfe omnino eft, eadem Genifta hæc fit, cum fpinofa montis ventofi Geniftella, quam citato mox loco Johannes propofuit Bauhinus, & defcriptioni præterea Linnæanæ adamuffim conveniat. Sane diverfitatis notæ, quas ex ficco præftantiffimi Myglndi exemplari adducit, circa plus duntaxat, & minus mihi verfari videntur, quæ adeo in caractere fpecifico turbant nihil. Sed fi Scopolius montis ventofi Geniftellam a vera, ut ait, hifpanica, diverfam credidit, quod miratus fum; magis profecto mirari fubit, dum Gerardum, & cum eo Allionium dubitare video, anne a Germanica vere fpecificeque diverfa fit? His de caufis potiffimum hanc Linnæi hifpanicam ad naturam pingi feci, ut alii judicent denique, me tacente; num revera, quæ anguftiffimis, linearibusque eft foliis, cum ea tot in Provinciis vulgari Germanica, ubi hifpanica vifa fit numquam, & quæ folia duntaxat obtufe ovato-lanceolata habet, conjungi tamen in unam poffit fpeciem? Radix anferini circiter craffitudine calami, brachiata, multisque inftructa radiculis fparfis, lentefcit de-

 nique

nique, fublignefcitque perennis. De ea vere novo multi ad fpithamæ plus minus altitudinem eriguntur herbacei, gracilesque quotannis caules, deprimendi denique tum, cum jam delapfa fumma florum, aut leguminum verius fpica, inferiore fua parte deficcari, arefcere, & corroboratis in fpinas tenellis axillarum ramufculis in lignum velut abire cœperint, ut afpirante venturis annis vere altero, novas & ipfi rurfum virgas fui fimiles, five caules attollant, ramofiffimi demum ipfi. Novelli hi fingulorum annorum caules, graciles, firmuli, erecti, teretes, ftriati, virides, pilis canefcentibus, furfum decumbentibus obfiti, in fpicam terminalem abeunt jam longiorem, jam breviorem, plurium aut pauciorum florum; inde ad bafin usque alterna per intervalla laxe foliofi. Folia dimidium longa pollicem, lineam nonnifi lata unicam, angufta, linearia, integerrima, feffilia, erecto-patentia, fuperne nuda, fubtus pilis canefcentibus, furfum decumbentibus obfita; ab iis Geniftæ germanicæ longe diverfiffima. Horum ex axillis, quæ ramufculorum inftar enafcuntur, erecto itidem patentes fpinæ, decompofitæ, id eft: laxe fimpliciterque funt pinnatæ, molles, innocuæ, tenellæ, virides, jugis pinnarum communiter duobus, cum aut & absque impare; axe, pinnulisque ipfis, gracilibus, longiufculis tereti-fubulatis, ftriatis, pilis decumbentibus obfitis, apice in fpinulam five cufpidulam flaventem exiguam abeuntibus, dum per anni fpatium in rigidulas indurentur fpinas ligni colore fufcefcente. Florum fpica terminalis multi- aut pauciflora; floribus in axilla bracteolæ parvæ, lineari-fubulatæ, viridis, pilofæ feffilibus. Calyx tubulofo-turbinatus, quinquedentatus, fubbilabiatus, ex viridi dilute demum flavicans, pilis decumbentibus adfperfus; dentibus lanceolatis, binis fub vexillo fere brevioribus, profundius fejunctis; tribus fub carina fubæqualibus. Corolla dilute flava papilionacea; vexillum carina duplo brevius, obovatum, emarginatum, furfum fere totum reflexum, dorfo villis proftratis obfitum.

ſitum. *Alæ* oblongo-obovatæ, vexillo tantillo breviores incurvo conniventes, ungue calycis longitudine, denticuloque laterali albis. Carina oblique adſcendens, obtuſiſſima, compreſſa, apice inciſo-emarginata, vexillo duplo longior, extus villis proſtratis obſita. Stamina diadelphorum more, ſed omnia decem baſi connata, alba, antheris flavis, una dein cum ſtylo extra carinam exſerta, & verſus vexillum incurva. Germen gibbo-ovatum villoſiſſimum. Stylus longus albus filiformis. Stigma ſimplex, involutum. Legumen nigricans, villoſum, ſubovatum, turgidum uniloculare, bivalve, monoſpermum.

CLXIX.

GENISTA SERICEA.

Geniſta foliis lanceolatis, ſubtus ſericeo-villoſis, ramis teretibus, ſtriatis, erectis; racemis paucifloris ſecundis; bracteis calyce longioribus.

Pulcherrimam viſu ſtirpem, ſemper e rupium calcarearum fiſſuris enatam, admodum frequentem, initio circiter Junii læte florentem, inveniebam in montibus Obzinam inter & Tergeſtum. Quod vero non aperte etiam Floridam Linnæi Geniſtam dicam, aliud fateor me retinet nihil, quam Cluſii, Geniſtam tinctoriam hiſpanicam, duos altitudinis etiam aſſequi cubitos, aſſerentis autoritas. Indubium eſt, notas, quas Floridæ ſuæ attribuit Linnæus, Japidicæ huic apprime convenire ſtirpi; at qui tamen pygmæum Giganti conferre auſim? De eadem equidem, magnitudine duntaxat differente, loqui poſſumus planta; attamen forſan etiam de diverſiſſima? Hæc inter dubia, tranquillus aliis ſuam deſuper enunciandi mentem, occaſionem defero;

id

id ſolum monitis, fruſtra eos auxilii quæſituros aliquid apud Lobelium, Dodonæum, Lugdunenſes, Johannem Bauhinum, & Tabernæmontanum, ut qui Cluſium præciſe exſcripſerint, una omnes ejus figura uſi. Firmiter nudas inter rupes depacta ejusdem radix, perennat lignea jam tota; curta equidem (pro ſoli certe ratione) & craſſa, attamen tanto plura magisque ramoſa in rimas fiſſurasque undique demergens brachia, fuſceſcens extus, interne alba. Non ea (ut Cluſii videtur hiſpanica) cubitalem & ultra attollit caudicem enodem, ſuperne modo in ramos abeuntem; plurimos imo una effundit brevesque, & graciles caules, e decubitu aſſurgentes, & vel a baſi jam ipſa ramoſos. Ligneſcere hi ſubſequam per æſtatem, foliisque ſpoliari etiam ſolent denique fuſceſcentes; altero duntaxat regenerandi anno; cum ex emortuis velut truncellis, novellis reviviſcunt, ramuloſulisque cauliculis, teretibus, ſtriatis, viridibus, ſericeo decumbenteque obductis villo. Horum folia (demptis primordialibus infimis ſubrotundis) alterna per intervalla, ſeſſilia, anguſta, lanceolata, longiuſcula, integerrima, ſupra nuda, & amœne viridia, ſubtus villo proſtrato niveo ex ſerico nitente, & velut argentato obducta. Flores in racemis terminalibus pauci, unus, duo, tres, ſummum quatuor, ſubſecundi, erecti, breviter pedunculati, ex axilla bracteæ foliaceæ lanceolatæ pedunculum calycemque excedentis, pro plantulæ modo magni. Calyx tubuloſo-ſubbilabiatus, quinquedentatus, ex viridi tandem ſubruſeſcens, villo ſericeo-argentato obductus; dentibus lanceolatis ſuperioribus binis profunde ſub vexillo, profundius a reliquis ſejunctis; tribus inferioribus ſub carina longioribus, æqualibus, inter ſe approximatis. Corolla ſaturate flavo-aurantiaca, papilionacea, petalis fere ſubæqualibus. Vexillum apice emarginatum, dorſo (uti & carina) villo ſericeo-argentato obductum, retrorſum reflexum, a carina decedens. Alæ obovato-oblongæ, erecto-conniventes, ungui longiuſculo albo inſiſtentes, hamulo brevi ad la-

tus

tus alterum appendiculatæ. Carina erecta, obtufiffima, apice incifo-emarginata, compreffa, vixdum vexillo longior, deprimenda denique, extus, ut dictum, fericeo-villofa. Stamina decem connata inferne, apicibus demum extra carinam exferta, verfus vexillum furfum incurva, alba. Antheræ flavæ, oblongæ, acutæ. Germen oblongum, lineare, compreffum, villo proftrato fericeo argentato obductum. Stylus ftaminibus longior, albus, verfus vexillum, extra carinam, incurvus. Stigma obtufiufculum involutum. Legumen oblongum, fubcylindraceum, fufcum, villofum, uniloculare, bivalve, feminibus 4 - 5 - 6.

CLXX.

GENISTA HUMIFUSA.

Genifta foliis obtufe lanceolatis, per oras pilofo ciliatis; ramis in orbem proftratis, ftriatis, pubentibus; floribus erectis, pedunculatis, interrupto fafciculatis; leguminibus glabris.

Genifta foliis lanceolatis, ciliatis, ramis proftratis, ftriatis, pilofis. *Linn. fp. plant. p.* 998. *num.* 6.

Medio Maji Tergefti in apricis declivibus graminofis via verfus *Hundsberg* raram hanc inveneram Geniftam læte florentem, neque uspiam hactenus alibi; & quamvis Tournefortii deftituor operibus, e quibus de orientali minima humifufa mihi lumen affulgeat Genifta fubrotundis foliis, tamen haud vereor afferere, Tergeftinam hanc Geniftam, eamdem plane cum humifufa Linnæi effe, cum nihildum omnino inter utramque fpecificæ inveniam diverfitatis. Radice & hæc quoque, ut Geniftæ omnes, eft perenni, brachiata,

ramosa, in lignum demum abeunte. Ex ea multi quotannis caules semispithamales, teretiusculi, striati primum virides & pubescentes, tum fusci, decalvati, & sublignescentes, non erecti, sed in orbem decumbentes, prostratique diffunduntur. Hi per intervalla ramos emittunt pure foliosos, tanto breviores, quo a radice distant magis, & ipsos teretes, striatos, pube cadiva instratos, foliis laxe alterneque obsitos obtuse lanceolatis, sessilibus, planis, integerrimis, supra infraque viridibus, sed isthinc primum microscopice pubescentibus, demum utrinque nudis, per marginum contra oras semper piloso-ciliatis. Flores iisdem in prostratis caulibus versus eorumdem extrema, per tres, quatuorve, aut & quinque fasciculos, interruptim racemosi; fasciculo quovis tri- quadri - aut quinquefloro, ex nido velut foliolorum aliquot, oblongo-ovalium, sessilium. Flores singuli majusculi, papilionacei, saturate flavi, longiuscule pedunculati, suberecti; pedunculo terete, viridi, tum obscure rubente, villosulo. Calyx brevis, tubuloso-subbilabiatus, obtusus, nudus & glaber, quinquedenticulatus; denticulis humilibus, parvis, binis sub vexillo; tribus approximatis sub carina. Vexillum magnum latum, sursum reflexum, a carina discedens, apice modice inciso-emarginatum; undique glabrum. Alæ carina tantillo longiores, obovato-oblongæ, curvato-conniventes. Carina alis tantillo brevior, gibbo ascendens, obtuse acutiuscula, extus quoque nuda, glabra; demum a vexillo depressa. Stamina decem unita inferne, filamentorum apicibus, antherisque flavis tandem exsertis, ac versus vexillum arcuatis. Germen oblongum, lineare, nudum, glabrum, stylus staminibus longior; stigma involutum. Legumen cylindraceo-turgidum, nudum, uniloculare, bivalve, seminibus ad octo.

CLXXI.

CLXXI.

POLYPODIUM ALPINUM.

Polypodium frondibus alterne tripinnatis, pinnulis oblongis, vage incifis, lacinulis obtufis apice breviffime bifidis.

Filix faxatilis crifpa, forte Pteridion fœmina cordi? *Cluf.* in defcript. Mont. Bald. Ponæ. *p. CCCXLIV.*

Filicula alpin a crifpa C. Bauh. *Seguier. veron. fupplem. p.* 55. *num.* 2. *tab.* 1. *fig.* 3.

Polypodium pinnis pinnarum pinnatis, laxiffime divifis, lobulis obtufis dentatis. *Haller hift. ftirp. helv. tom.* 3. *p.* 15. *num.* 1709. *Allion. ped.* 2. *pag.* 287. *num.* 2409.

In fummitate alpium Lithopolitanarum fupra SS. Primum & Felicianum raram hanc Polypodii legi fpeciem, & quidem faxa inter, ad latera fpecus illius, aut foffæ ingentis, quam *Stiefel* paffim alpicolæ illi vocant, rariffime omni nive carentis. Tenerrimam ftirpem, & quæ præ teneritudine, illico, ut decerpta, & tantillum deficcata fuerit, crifpetur, jure jam Veteres Crifpam vocarunt. Linnæus fuas inter haud recepit; fuaferat duntaxat in fpec. plant. p. 1523. ut cum Osmunda Crifpa conferretur; a qua tamen longe quam diverfiffima eft, ut præter caracterem generis, etiam figura 2. tab. 3. Plukenetii. Phytogr. Adianti fcilicet albi floridi, fatis, & plus quam fatis, declarat. Scio, Plukenetii Adiantum illud alterum, & ipfum albidum & floridum, quod cicutariæ dicit folio, Phytogr. tab. 3. fig. 4. Virginianam effe ftirpem, & hinc verifimillime ab hac noftra diftinctam, Filicula tamen alpina crifpa Cafpari Bauhini, fi cum una ex duabus prædictis, cum hac pofteriore certe, ratione habitus, & faciei externæ potius, quam cum illa

 priore

priore, comparanda foret. De hoc utcunque ſit, Filicula profecto noſtra nonniſi Polypodii, in averſa frondium pagina, characterem gerit; eſtque & illi de more congenerum radicis loco tuber informe, transverſe oblongum, longa fibrillarum nigrarum coma denſe capillatum. Plures ex eo ſpiraliter evolvendæ, ſpithamæque tandem altitudinem aſſecuturæ, eriguntur frondes, circumſcriptione lanceolatæ, ſaturate ſupra virides, pallidiores tantiſper ſubtus, longius petiolatæ. Petiolus iſte, quem & ſtipitem, aut communem pinnarum dicas axem, canali ſuperne exciſus eſt, inferne teretiuſculus; baſin verſus obſcure ſanguineſcens, viret tum inde, extimum ad usque apicem, undique nudus & glaber, primam ſi modo excipias ætatem, qua infima ejusdem pars ſquamis furfuraceo-paleaceis, ſcarioſis, bruneſcentibus adſpergi ſolet, demum cadivis. Circumſcriptione frondes lanceolatas dixi, quales reapſe ſunt; attamen & ſimul tenerrimæ, tenerrimeque exciſæ; ut vix arte naturam ſatis expreſſeris, dum laxe, alterneque tripinnatas dixeris. Primariæ, quas princeps utrinque ſtipes ſuſpendit, pinnæ, laxis ab invicem diſtant intervallis; non ex adverſo oppoſitis unitæ jugis, ſed alternantibus altitudine, ab invicem verius ſegregatis. Quod de primariis nunc dictum pinnis, idem & de ſecundariis, idemque etiam de ultimis, ſive tertiis, verbo pinnularum pinnulis, intelligas velim. Exiguæ hæ, nec lineam longæ integram, æquabiliter undique ſunt oblongæ, vere lineares, in extimis integræ, vage in inferioribus per latera inciſæ; apicibus tamen ſemper & pinnularum, & lacinularum obtuſis, breviſſimeque bifidis. Jamque nihil, quod commemorem, amplius eſt, ſi paucula modo adjecero, quæ de vera ſtirpis fructificatione ſilentio minime prætereunda ſunt. Ea in averſa frondium pagina occurrit ſemper; eſtque non Osmundæ, ſed omnino Polypodii. Videas ſub axillis pinnularum ultimarum ſingulis non tam punctum, quam glomerulum verius hemiſphæricum ſeſſilem; hunc ſi microſcopio porro examines,

nes, peltam orbicularem membranaceam tenerrimam fubdiaphanam ex albo fubvirefcentem, ftipiti centrali capillaceo breviffimo infiftentem invenies, quæ umbraculi adinftar, plurimos in hemifphærium accumulatos fub fe occulit ex viridi tandem bruneos globellos, & ipfos quoque breviffime pedicellatos, qui delapfo denique, ut cadivum eft, peltiformi eo umbraculo, disrumpuntur maturi effufo feminali polline.

CLXXII.

TREMELLA JUNIPERINA.

Tremella feffilis, gelatinofo-pulpofa, fuborbiculata, plicato-crifpa, flavo-rufa.

Tremella feffilis membranacea auriformis fulva. *Linn. fp. plant. p.* 2625. *num.* 1. *Scopol. flor. carn.* 2. *tom.* 2. *p.* 402. *num.* 1421. *Leers. flor. herborn. p.* 267. *num.* 1013. *Gunner flor. norv. tom.* 2. *p.* 57. *num.* 569. *Gmelin. hift. fucor. p.* 226.

Agaricum gelatinofum, flavo rufum, fuperne tuberculofum. *Haller hift. ftirp. helv. tom.* 3. *p.* 136. *num.* 2260.

Semper in Junipero, & frequens primo vere, renafcens etiam æftate poft pluvias. Goritiæ jam initio Aprilis prope fornaces lateritias. Clagenfurti exeunte Aprili & Majo. Etiam in alpibus Eifenhut menfe Julio. Bractea gelatinofo-pulpofa, craffa, mollis, frigida, tremula, fubdiaphana, centrum verfus feffilis, cæterum libera, perfæpe rofacee in orbem, centrifugi cujusdam adinftar Lichenis, expanfa; etiam transverfe longitudinalis; fuperne convexiufcula, ac plicis, rugisque elevatis inæqualis; peripheria finuato-lobata, crifpa; lobis brevibus craffis, obtufis, rotundatis; coloris

undique flavo-rufi, & ex rufo demum brunefcentis. Recens nullis fupra fubtusque tuberculis exafperata; lævis imo. Deficcari dum incipit, fuperne tuberculato-papillofa fit; donec penitus exficcata, tenuem in membranam coriaceam, fufcam, fragilem contrahatur; per immerfionem in aquam, rurfus in priftinum gelatinofæ fubftantiæ ftatum revivificanda. Chartæ mundæ ita fuperimpofita, ut in eamdem reclinata, eam tamen minime tangat, tum in locum fole haud illuftratum repofita, ut quieto in aëre deficcetur, fubtiliffimo eamdem late infternit feminali polline flavo. Auctorum, præter Hallerum, nullus, exacte eamdem defcribit; fed cur Michelii Agaricum gelatinofum cefpitofum, infundibulum referens Nov. gen. p. 124. num. 4. ifthuc revocet? ignoro. Michelius certe fuum autumnali menfe Octobri, non ineunte vere; nec in Junipero, fed in Abietum caudicibus reperit. Non placet, quod Fucis Gmelinus adjungat; nec, quod Gunnerus lutefcenti-viridem dicat.

CLXXIII.

TREMELLA CLAVARIÆFORMIS.

Tremella gelatinofo-pulpofa, gregaria, fimplex, compreffo-fubulata, fubpyramidata, bicornutave, aurantiaca.

Elegantem tremellæ fpeciem, verfus Aprilis finem, altera a largis pluviis die truncum ramosque Juniperi communis undique obfidere inveni; qui exinde, Echini adinftar, meris omni ex parte aculeis obtufe fubulatis, bicornibusve armati velut erant, plane (*wie ein gefpickter Haas*) ut lepus lardo trajectus. Idem naturæ phænomenon iteratis deinceps fæpius vicibus fpe-

ſpectandum ſe mihi obtulit, ſemper in Junipero duntaxat communi; nec ſciam, in ſocietate prioris Tremellæ juniperinæ. Erat & illius quoque ſubſtantia gelatinoſo-pulpoſa, craſſa, frigida, tremula ſubdiaphana, coloris ſaturate aurantiaci. Figura oblonga, pollicaris, erecta, compreſſa, obtuſe lineari-ſubulata, & fere ex parallelepipeda, tetragono-pyramidata, apice obtuſiuſculo, ſimplice, aut & bifido-bicornive; lateribus quandoque obtuſe denticulatis, plerumque tamen integerrimis; exſiccatione in graciles contracta funiculos ſubcoriaceos, lentos, ſubrigentes, fragiles, opacos, ſaturatius ex aurantiaco rubentes; priſtinis illico iterum per immerſionem in aquam, reſtituendos: naturæ, formæ ſubpyramidato-cryſtallinæ, colori. Seminalis, quem & ipſa, ſub deſiccatione, elaſtice quaquaverſum diſpergit, pollen, ſubtiliſſimus, aurantiacus.

CLXXIV.

BYSSUS COBALTIGINEA. Tab. 12. fig. 1.

Byſſus capillacea, perennis, roſea; filamentis tenerrimis, arcte intertextis, ſericei inſtar panni.

Superato jam denique Radſtadienſi Taurero, cum & e faucibus quoque illis, quas vulgo *die Klauſe bey Werfen*, vocant, emerſiſſem; ipſam, qua via erat, per ſylvam, ſaxum me forte immane, ingens, & eo plane tinctum colore advertit, quem roſeam paſſim Cobalti ochram dicimus. Pluerit quamvis, accurri tamen, novitate perculſus ſpectaculi. Moles erat calcarei æquabilis (Wallerii) albi, impalpabilis, vaſtiſſima, inclinato in horizontem ſemidecumbens ſitu; ab injuriis utique aëris? in pulverulentam extus

tus femifatifcebat arenam homogeneam; quam, ne dilaberetur omnis, faxatilis Linnæi Byffus cinerafcens, cohibebat. Ejus ad ulnas certo aliquot in longum, nec minus fere in latum, rofeo velut panno, inftratam, qua extus nuda patebat, fuperficiem, inveni. Lichenis cujusdam leprofo-cruftacei exiftimavi fpeciem. At nulla uspiam peltiformia tubercula, fcutellæ nullæ, curiofe quamvis fcrutanti, fefe obtulerunt oculo! Nuda ergo de rupe, fruftula algæ iftius derafi aliquot, quo per iter inftructus fueram cultro, cartulas intra, reponenda interim, dum per otium domi examinarem uberius. Microfcopiis hic deficcatam primum exploravi plantulam, filamentaque plus quam capillaria, fimplicia, decumbentia, imo proftrata etiam, & mutuo, velut in pannum laxe continuum intertexta vidi, coloris amœne rofei, & rofeo præterea infperfa pulvere. Intra phialam dein aquæ plenam limpidiffimæ, macerandum repofui vegetabile idem. Color perftitit invariatus; filamenta contra etfi obfcurius aliquantum, difcernebantur tamen adhucdum fat manifefte; fed conferte magis in pannum denfata, qui mollufcens velut, & fungofæ boletarum carni affimilis, fubtili fe nonnihil elevari finebat cultello; laceratusque, in villulos diduci. Et hac demum de caufa potiffimum raram omnino plantulam, filamentofis potius Byffi fpeciebus, quam Lichenum generi adfociandam exiftimavi; fpecificumque cobaltigineæ nomen indidi, tum quod cobaltiginis effet colore, tum, quod illud rofeæ, jam alteri pulverulentarum Byfforum fpeciei a Clariffimo Schrebero (Spicil. lipf. p. 140. num. 1150.) datum fcirem.

CLXXV.

CLXXV.

LICHEN TAURICUS. Tab. 12. fig. 2.

Lichen fruticulofus, decumbens, fubcentrifugus, vage fubramofus, niveus; caule ramulisque lævibus, fiftulofis, fubulatis.

Habitat in elatis rupibus Taurerorum Nafsfeldenfis, & Radftadienfis, Bryis hypnisque inftratis humiles inter alpium falices retufam, rotundifoliam, herbaceam &c. nec alibi vifus uspiam. Credas, fi fugaci oculo, properanteque intellectu breves Lichenum fubulati, cornutique defcriptiones, caracteresve perpendas, alpeftrem hunc ab illis, quovis fere in Ericeto obviis, haudquaquam fpecie differre. Sed quos natura disjunxit adeo, fruftra, opinor, ars conjungere adlaborabit. Nil de diverfitate natalis dicam loci. Paffim hi, ut notum, in humillimis fylvarum quarumvis Ericetis, macilentisque aliis fteriliffimorum camporum arvis, aut certe femiputribus refectarum arborum increfcentes truncis reperiuntur; dum Tauricus ifte nonnifi apud ultimas altiffimarum alpium exulat rupes; numquam, ut illi, erectus; numquam in fcyphum abiens pyxidatum; fed neque pulvere viridi-cinerafcente, neque foliolis crifpo-lobatis adfperfus unquam; aut bafi innatus foliaceæ, imbricatis luxurianti fquamulis crifpato-lobatis, læte fupra viridibus, niveis fubtus. Hæ fere illorum macerrima argillofi foli amantium loca, notæ. At ille Taurerorum incola, atræ duntaxat alpium humo, duriffimis inftratæ faxis, mufcos, repentesque inter falices, absque foliacea bafi, innatus, cefpites fubularum teretium, bi- tripollicariumve, mollium, fiftulofarum, nivearum, nudarum, conferte aggregatarum, unoque velut e centro erumpentium, indeque quaquaverfum divergentium format; non certe

te erectarum, ſed in orbem decumbentium, & proſtratarum; ut plurimum ſimpliciſſimarum, aut certe nonniſi rariter, & vage ramuloſarum; quandoque etiam laxe hinc & inde breviſſime denticulatarum; ramulis denticulisque pariter ſimplicibus, fiſtuloſis, ſubulatis.

CLXXVI.

LICHEN MARMOREUS. Tab. 13. fig. 1.

Lichen farinaceo-cruſtaceus, pallide roſeus; ambitu rivisque ſerpentinis, & inſculptis calcareo ſcrobiculis, nigro-ſanguineis, pulverulentis.

Lichen cruſta tenuiſſima inſeparabili ſubcarnea; ſcutellis ſanguineis, ſubhirſutis. *Haller hiſt. ſtirp. helv. tom.* 3. *p.* 101. *num.* 2073.

Lichen cruſta impalpabili, auroræ colore, cotylis lapideis rubellis. *Scopol. flor. carn.* 2. *tom.* 2. *p.* 367. *num.* 1379.

Per omnem, qua late patet Japidiam minime rarus, calcareas ibi rupes, amplis ut plurimum areis inſternens. Reperi inter Hyperlabacum & Longaticum (vulgo Loitſch) tum inter Planinam & Prewald; iterum Obzinam & San Servolo. Denique in montibus Caporetto adſitis. Lepra farinaceo-pulverulenta cohærens, & in cruſtam continuam, inſeparabilem, minime craſſam, immo tenuem, & fere impalpabilem confluens, late diffuſa, arctiſſime nudis hærens rupibus; coloris roſei; cobaltiginis ſeu Ochræ cobalti roſeæ adinſtar; margine circumſcripta undique ſaturatius, & velut ex nigricante cruoris rubedine, rubro. Eam frequentes ſerpentinis, & fere vage ramoſis gyris pererrant rivi, ejusdem cum limitaneo ambitu coloris. Sed neque aliter colorata ſunt, larga quæ undiquaque manu diſſeminata cernuntur

tur

tur puncta, non ejusdem omnia magnitudinis. Nigris obſitam dicas tuberculis lepram, ſcutellisve; eamdem ſi quidem eminus intueare; at nullas tamen ſcutellas, tubercula nulla, lentesve invenias ullibi, ſi, non microſcopiis dico armato, ſed vel ſolum proximo eamdem perſcruteris oculo. Foraminula ſunt exigua, ut paſſim nudo in calcareo ſolent, qua neſcio demum de cauſa, rupi inſculpta ipſi longe certe, antequam eandem incruſtaverit Lichen. Pulveris (hirſutiem minus recte, villosve Hallerus dixit) ea, ut & mæandriformes rivi, extimusque marginis limes, pleniſſima ſunt, paulo quam ille lepræ ipſius. Groſſioris magis, cumulatiſſime aggregati, firmiter tamen hærentis, non roſei, ſed nigro, ut dixi, ſanguinei coloris. Lichenem hunc talem, roſeum dixeram alias; at cum dein plures alios roſeo quoque tinctos colore repererim, ab eo longe diverſiſſimos, confuſionis vitandæ gratia, mentem mutavi, Scopoliique retinui nomen, minime ſane malum, ut quod marmoratam cryptogamici iſtius vegetabilis faciem, quam idonee maxime exprimat. Foraminuloſas calcarei ipſius foveolas, Cotylas Scopolius lapideas, ſive ſeſſiles ſcutellas dixit, leproſam cruſtam cicatrizantes; id minus recte. Siquidem non ſupra, ſed infra lepram exiſtunt; iisque pertuſus eſt, etiam extra areas, quas cruſta occupat, Lapis. Sed quod mirabar, tantum ac Scopolius vere omni eſt merito, Virum, Zoophytologis, Tremblæi affeclis, inſultare potuiſſe, quaſi imaginatione deluſi, videre ſoleant, quæ non, aut certe non rite videant. Plurima præſtantiſſimi Scopolii ſunt de hiſtoria naturali merita; non tamen & de eadem demeriti ſunt Tremblæani.

CLXXVII.

LICHEN CORALLINUS. *Tab.* 13. *fig.* 2.

Lichen leprofo-cruftaceus, niveo-fubcinerafcens, efflorefcens in ftipites fimplices, compofitosque conferte aggregatos, teretes, farctos, erectos, fine convexos.

Lichen leprofus, ramofus, teres, fafciculatus, faftigiatus, confertiffimus, albus. *Linn. mantiff. I. p.* 231. *num.* 83.

Clagenfurti in fylvis retro & fupra montem Calvariæ in rupibus. Saxum ex quarzo pingui albo, & fteatite cærulefcente compofitum, extus ab aëris viciffitudinibus ex fufco nigricans, incruftat ad ulnæ, & amplius dimenfionem, ftratis ampliffimis crufta tartarea craffa, denfiffima, lineam unam alta, nivea, tandem ex albo-fubcinerafcens, efflorefcens in fuperficie in ftipitulos dimidiæ lineæ corallinos, ejusdem fubftantiæ, & coloris, partim fimpliciffimos, partim & ramulofos, folidos, id eft: farctos, teretes, nudos, læves, apice convexos, erectos, confertiffime, ftipatiffimeque aggregatos. Tuberculis, aut fcutellis præterea nullis. Corallini hi ftipituli, de fe liberi, nec inter fe cohærentes quam bafi, fi forte abradantur, aut qua demumcunque de caufa, a crufta matre avellantur, tum fumma ejusdem cruftæ fuperficies reticulata velut ex ăreis planis circularibus videtur.

CLXXVIII.

CLXXVIII.

LICHEN PERTUSUS. *Tab.* 13. *fig.* 3.

Lichen leprofo-cruftaceus, albus, verrucofus, tandem teffellato-rimofus; verrucis lævibus, poro introlabentibus uno, pluribusve, in fcutellos denique nigricantes dehifcentibus, margine coarctatis fubcrenato.

Lichen leprofus verrucis, fubteffellatis, lævigatis, pertufis, poro uno alterove cylindrico. *Linn. mantiff. I. p.* 231. *num.* 82. *Leers flor. herborn. p.* 253. *num.* 926. *Oeder. flor. dan. tab.* 766. *Allion. flor. ped. tom.* 2. *p.* 2001. *num.* 2537. *

Lichenoides verrucofum, & rugofum cinereum glabrum. *Dillen. hift. mufc. tab.* 18. *fig.* 9.

Lichen fcrupofus, cruftaceus, cinereus, granofus; fcutellis immerfis atris, margine crenulato. *Schreber fpicil. lipf. p.* 133. *num.* 1133.

Lichen crufta tenace alba, fcutellis feffilibus atris. *Haller hift. ftirp. helv. Tom.* 3. *p.* 98. *num.* 2051. *tab.* 47. *fig.* 6.

Lichen crufta verrucofa, areis polygoniis punctiferis. *Haller hift. ftirp. helv. tom.* 3. *p.* 98. *num.* 2053.

Lichen cruftaceus, faxatilis, farinaceus, ex albo fubcinereus, receptaculis florum exiguis, concavis, & nigricantibus, ac in fubftantia plantæ veluti infixis. *Michel. N. Ger. plant. p.* 97. *num.* 21. Hujus Varietas. *p.* 97. *num.* 22. Item altera Varietas. *p.* 97. *num.* 23.

Lichen cruftaceus, verrucofus, alpinus, arboribus adnafcens, cinereus, receptaculis florum rufefcentibus. *Michel. N. Gen. p.* 95. *ord.* 32. *tab.* 52. Et hujus Varietas. *p.* 95. *ord.* 33. *tom.* 52.

Nil frequentius, nec vulgare magis, Lichene hoc Clagenfurti, & Victoriæ in ſaxis nudis, montis Calvariæ, & retro eumdem in ſylvis, colliculoque *Schmalzbergl* &c. Variat autem, ſi quis alius, maxime, non tam natura, quam ætate. Hinc ea apud autores confuſio dicam? an diſſenſio? aut citationum diverſitas? vel & inutilis ex una in plures ſpecies multiplicatio? Ipſe ego, cum Hallero, alias, duabus e varietatibus, ſpecies feceram duas, cum inter Ocellatum decrepitæ, & pertuſum florentis ætatis, diſtinxiſſem adhucdum. Mihi, ut verum fatear, ſi nonnullas Lichenis ſubfuſci. Varietates, iſthuc plane non pertinentes, excipiam, in arboribus nunquam, ſemper & frequentiſſimus compoſitis in ſaxis occurrit. Abſit tamen ut eapropter ex Tripoda dicam aliquid; cum tanti, ac Linnæus, Hallerus, Michelius, Oederus, Leerſius eſt, Viri, id afferant, & citatæ etiam ex Michelio & Oedero, Halleroque fidem faciant figuræ, quas aliorſum ſane diſtrahere, nefas ſit. Facilior in hoc, numquam tamen perſuadebor etiam, ut iſthuc, cum Linnæo Michelii Lichenoides cruſtaceum &c. pag. 106. num. 3. tab. 56. fig. 2. referam; neque cum Hallero Michelii Lichenem cruſtaceum muſco innaſcentem &c. pag. 98. num. 41. aut Dillenii Lichenoides tartareum farinaceum umbone fuſco tab. 18. fig. 12. qui, Lichen tartareus Linnæi eſt; ſed nec denique cum Schrebero Dillenii Lichenoides cruſtaceum, & leproſum &c. tab. 18. fig. 15. B. qui, aut ſubfuſci, aut tartarei, vel & cinerei Linnæi, vix tamen pertuſi varietas eſt. Alveolatum dein Scopolii Lichenem flor. carn. 2. tom. 2. p. 367. num. 1380. anne & huc facere poſſit? non decidam. Eſt ergo pertuſi natura Lichenis: cruſta leproſo-tartarea, alba, ſuperficie inæqualiter noduloſo-verrucoſa, latiſſime diffuſa, ſaxis tenaciter inſtrata, primum humilior, arcte cohærens, & continua; tum, ex incremento? aut ſubſpongioſa ut eſt, ex intumeſcentia? altior, craſſiorque, atque intra intumeſcentes verrucas, rimoſe diſrupta in areas teſſel-

latas

latas rotundato-polygonas, ſordidius jam tum ex albo ſubcineraſcens; verrucis primum convexis, glabris, poro exiguo uno alterove contiguo, in cylindrulum nigricantem introlabente notatis; ſed ampliata demum interne cylindrulorum cavitate, in ſcutellas cavas hemiſphæricas nigras, magis aut minus amplas, profundius tamen ſemper ipſam in cruſtæ ſubſtantiam immerſas, dehiſcentibus; margine, non jam pororum, ſed ſcutellorum intumeſcente, atque exinde nonnihil coarctato, integro, aut ex contractione inæqualiter crenulato. Varietates ejus vidi, & poſſideo plurimas, ſed nonniſi ab ætate denique petitas. Candidus alias, tener, neque rimoſus, foveolis immerſis minoribus, & parcius ſparſis ſubnigricantibus, imaginem referebat inferæ alarum poſticarum paginæ Papilionis Argioli Linnæi; qualem fere dextima Halleri figura exhibet. Sed obſervavi demum, groſſiorem ſordidiusque albentem redditum, figuræ Dillenii jam melius correſpondiſſe.

CLXXIX.

LICHEN CINEREUS. *Tab.* 14. *fig.* 5. *lit.* *b.*

Lichen leproſus, verrucoſo-cruſtaceus, albo-cineraſcens, tuberculis ſubſcutelliformibus centro, nec peripheria ſeſſilibus atris; margine albo, demum crenulato.

Lichen leproſus, tuberculis nigris, albo marginatis. *Linn. mantiſſ. I. pag.* 132. *num.* 87. *Leers. flor. herborn. p.* 254. *num.* 931.?

Perquam copioſus, iisdem cum priore, in ſaxis locisque. Studioſe Pertuſo ſubjungo, ne cum eodem confundatur, ab eo diverſiſſimus. Nudas prædictis locis rupes cruſta leproſa tartarea, jam tenera magis, jam magis groſſiu-

groſſiuſcula; in verrucas demum convexas findenda, coloris ex ex albo cinerascentis (poſſideo etiam elegantiſſimam Varietatem coloris ex albo læte virentis) inſternit, non raro orbicularis. Huic undique (in orbiculari centrum verſus) magna in copia ſat & conferte, in- aut ſupra naſcuntur tubercula, primum exigua, magnitudine demum minorum lentium, convexa, atra, centro ſubtus ſeſſilia, peripheriam verſus a lepræ cruſta libera, peripheriæ margine annulari nonnihil elevato, ac demum crenulato, albo; qua de cauſa etiam ſcutellas velut mentiuntur, utut vera cæteroquin tubercula intra marginalem annulum, convexa. Cum dubio duntaxat Leerſium recepi. Nam Halleri citat Lichenem num. 2059. qui a noſtro diverſus eſt. Schrankius in flora Berchtesgadenſi exiſtimat, minus tamen recte, Varietatem præciſe, una cum Lich. calcareo, & Lich. fuſco-atro eſſe, Lichenis ſui, quem confluentem vocat, & qui forſan nonniſi L. Sanguinarius Linnæi eſt?

CLXXX.

LICHEN ALBO-CÆRULESCENS. *Tab.* 15. *fig.* 1.

Lichen leproſus, cruſtaceus, continuus, impalpabilis, albus; tuberculis tandem planatis, cinereo-cæruleſcentibus, margine annulari atro circumſcriptis.

Apud Autorum nullum, ne veſtigium ſpecioſiſſimi hujus reperio Lichenis; frequens tamen in ſaxis lapidibusque ſylvarum Zigulnenſium, præprimis in lapideo aggere ſylvam circumdantem, retro Caſtellum, vulgo Ziguln. Cruſta leproſa, continua, impalpabilis, glabra, haud craſſa, neque tamen præciſe ſuperficialis, ſaxo arctiſſime innata, latiſſime per idem

effuſa,

effufa, cum tempore folum microfcopice rimofa, primum lactea, tum alba, & ex albo denique incana; obfita frequentiffimis tuberculis lentiformibus, demum planos in orbiculos depreffis, coloris cæruleo-cinerafcentis (bleu mourant) ora marginis annulari femper atra.

CLXXXI.

LICHEN ATRO-ALBUS. *Tab.* 14. *fig.* 1.

Lichen leprofus, farinaceo-cruftofus, ater; tuberculis fubfphæroidicis, albido-cinerafcentibus.

Lichen leprofus niger, tuberculis albis. *Linn. fp. plant. p.* 1607. *num.* 8.

Admodum frequens nudis in rupibus faxorum compofitorum *auf dem Schmalzbergl* &c. Crufta lata faxum infternens, fat tenuis, arcte hærens, farinaceo-leprofa, atra; obfita undique tuberculis exiguis, fubfphæroidicis, copiofiffimis, albido cinerafcentibus. Optime de eo Linnæus: difficile dictu, cruftam qui color efficiat? Re enim vera, inermibus fi Lichenem hunc infpicias oculis, nil nifi cruftam fat tenuem e punctis, tuberculisve exiliffimis, cinereis atrisque, conferte addenfatis, & promifcue mixtis variegatam videas. At microfcopium cruftam demum leprofo-farinaceam aterrimam manifefte exhibet, obfitam ftipatiffime tuberculis exiguis convexis albo-cinerafcentibus.

CLXXXII.

LICHEN ATRO-VIRENS. *Tab.* 14. *fig.* 2.

Lichen leprofus, farinaceus, ater, tuberculis lentiformibus, confertis, viridibus. *Linn. fp. plant. p.* 1607. *num.* 7.

Iteratis vicibus in fylvis umbrofis, retro montem Calvariæ fuper faxo inveni ex quarzo & fteatite compofito. Crufta illi tenerrima, vere farinacea, pene fuperficialis, atra, frequentiffimis undique, confertisque feminata tuberculis feffilibus lentiformibus, exiguis, aquofe e flavo virentibus, nudis, lævibus, absque margine exftante, aut discolore; per exficcationem demum tantifper depreffis. A Lichene geographico longe quam alieniffimus; neque adeo ejusdem Varietas.

CLXXXIII.

LICHEN VIRIDI-ATER.

Lichen leprofus, cruftaceo-papillofus, pallide e flavo-virefcens; tuberculis tandem fubfcutellatis, atris.

In faxis pariter umbrofarum montis Calvariæ fylvarum; diftinctiffimus & ipfe a Lichene Geographico. Nec cum antecedente confundendus. Crufta ei leprofa, admodum humilis, papillofa, e meris fcilicet glebulis fphæroidicis, quam maxime exiguis, palidiffime flavo-virefcentibus, & conferte aggregatis, conftans. Sparfa per eam perquam copiofa undique funt tubercula lentiformia aterrima opaca; deficcatione tandem in fcutellas umbilicatas dehifcentia.

CLXXXIV.

LICHEN RIGIDUS. *Tab.* 13. *fig.* 5.

Lichen imbricatus, foliolis teretibus, compreſſiuſculis, ramuloſo-multifidis, atris, centrifugis; ſcutellis hemiſphærico-concavis, ſeſſilibus pedunculatisque, concoloribus. Vide Miſcellaneorum Auſtriacorum Jacquinii Volum. II. p. 86. num. XXXII.

Ab aliquot jam annis rariſſimi Lichenis completam, ut dicimus, figuram, Miſcellaneis debeo Auſtriacis. Ad manus ejusmodi tum non erat, cum alterum eorumdem ſub prælo ſudabat Volumen. Debitum jam exſolvo denique, lectores ad ea, quæ indicato mox loco dixi, relegans; quibus, quod porro addam, vix eſt, niſi, quod ſcutellæ hemiſphærico-concavæ omnino ſint, margine integerrimo, partim ſeſſiles, partim & breviter pedunculatæ, ramulis foliolorum fruticuloſorum in orbem decumbentium, & imbricatorum ſuperne nulla lege, innatis. Corolloideis ſcyphigeris, quibuscum commune habet nihil, minus recte, aggregavit Dillenius. Hallerus contra, etſi filamentoſis adſociaverit Uſneis, fruticuloſum cætera non diffitens; tamen & ob ſcutellas, & ob ceſpitoſum in circulum creſcendi morem, ad pulmonarios accedere diſerte inquit.

CLXXXV.

LICHEN RETICULATUS. *Tab.* 13. *fig.* 6.

Lichen filamentoſus, ramoſiſſimus, decumbens; filamentis tenerrimis, reticulatim coadunatis, atris, opacis.

Aſperrimas ſummarum alpium cautes, ut numquam absque vitæ per-reptes periculo, ſic nec unquam etiam niſi magno cum fænore aditurus es, ſpoliis utique rariſſimarum ditandus ſtirpium. Fidem excedat, poſſe duris, ſicciſſimisque e rupibus progerminari aliquid, & tamen inclementiſſimæ hæ ſaxorum maſſæ, levi duntaxat, atque ventis aliunde adlato male tectæ pulvere, quem roris firmet, fæcundetque humor, eas plerumque procreant neglectæ raritates, quas nulla, principum in hortis, educet artis cura. Horridas Grofskircheimii dum per mutas, ſilentesque Zirchnizii valles adirem, & hic quoque rariſſimus occurrit Lichen, lichenibus non minus raris immixtus aliis: Rigido, Fahlunenſi, Pubeſcenti, Lanato. Et huic quidem ultimo teneritudine cedens nihil, lanæ adinſtar & ipſe, in ſaxa, aliosque decumbit lichenes ramoſiſſimus, filamentis omnino capillaceis, lentis tamen, & dum quidem ſolis exuritur radiis, etiam rigidulis. Color illi, ut eorum, quorum in ſocietate vivit, ater, attamen ex rubro velut obſcuro, quem atro-ſubrubentem dicas. Nitoris Lichenis pubeſcentis, ut Lanatus, & ipſe expers. Verbo, Licheni lanato, quoad omnia ſimilis, ut eumdem etiam pronunties, niſi filamentis reticulatim coadunatis, & anaſtomoſantibus differet. Varietatem tamen illius dicet alius! & pace mea; ego tamen, qui diſtinguere, quam confundere malim, inter ramorum fila, ob eorumdem copiam multitudinemque, invicem implexa, & inter fila ex mutuo occurſu in reticulum connata, numquam non diſtinguam.

CLXXXVI.

LICHEN PUSTULATUS.

Lichen umbilicatus, folio coriaceo ſuborbiculato, libero, marginibus lacero-lobato; ſupra cano-cineraſcente, puſtulis inflatis, papilloſisque obſito;

ſito; faſcia marginali atra ex ſurculis coralloïdeo-racemoſis; ſubtus cinereo-fuſceſcente ex lacunis ſubreticulato.

Lichen puſtulatus, foliaceus, umbilicatus, reticulato-lacunoſus. *Linn. ſp. plant. p.* 1617. *num.* 53. *Oeder. flor. dan. faſc.* 10. *tab.* 597. *fig.* 2.

Lichenoides puſtulatum cinereum, & veluti ambuſtum. *Dillen. tab.* 30. *fig.* 131.

Lichenoides cruſtæ modo ſaxis adnaſcens, verrucoſus, cinereus, & veluti deuſtus. *Vaillant. bot. pariſ. tab.* 20. *fig.* 9.

Lichen fronde cinerea, inferne lacunata, arbuſculis ſuperne nigris. *Haller hiſt. ſtirp. helv. tom.* 3. *p.* 87. *num.* 1996.

Lichen pulmonarius ſaxatilis &c. *Michel. N. Pl. Gen. p.* 89. *tab.* 47.

Nudis adnaſcitur rupibus, jam ſolitarius, jam aggregatus & multiplex, nulli pulchritudine ſecundus. Folium illi paulo minus craſſum, quam Licheni miniato, per exſiccationem, durum, rigidum, fragile; de ſe coriaceum, ſuborbiculare, ſimplex, peripheriam verſus plus minus lacero-lobatum; undique liberum, umbilico duntaxat centrali partis inferæ ſaxis, aut certe breviſſimo inſiſtens pedunculo tophaceo, adnatum. Vidi piſi haud excedens magnitudinem, margine omni ſurſum verſus contracto. Ampliatur demum ad unum duosve pollices in orbem diſtentum, fiſſo in lobos ſubrotundos margine, magis minusve profundos. Omnis ejus ſupera ſuperficies coloris eſt albido- ſive incano-cineraſcentis, dempta duntaxat marginali, lataque faſcia, anthracina. Innumeris eadem hæc ſuperficies obſita eſt puſtulis inflatis, protuberantibus, convexis, magnitudine differentibus, promiſcue hemiſphæricis, aut oblongo-ovalibus, inſtar cutis anſerinæ papilloſis; papillis concoloribus, perquam exiguis, confertiſſimis, & ipſis convexis, nec concavis. Atram eam marginis faſciam, ſtipatiſſime addenſati efficiunt ſurculi coralloideo-fruticuloſi anthracini, adeo ut plurimum parvi, ut

ab aggregatis glomeribus tuberofis feffilibus tartareo-nodulofis vix, nifi per lentem, diftinguas. Sunt vero (ut videre eft in iis, qui folitarii, hinc inde, peripheriam verfus, occurrere folent) ftipituli exigui atri, apice, arbufculi inftar, racemofo-ramulofi. Hos Michelius, contra naturam certe, giganteos, uti & folium profundiffime undique difciffum, quale mihi nuspiam occurrit, exhibuit. Inferioris porro fuperficiei color, ex cinereo fufcefcit, five nigricat. Eftque omnis hæc, quanta quanta eft, Lichenis iftius pars, reticulato-lacunofa; immunis fcilicet & magnitudine, & figura differentibus, partim orbicularibus, partim ovalibus, in corium tamen adeo femper profunde impreffis, ut ex altera emineant fuperficie, confita fcrobibus. Coriaceum hoc, fi forte diffringas, folium, medullarem ejus, inter utramque fuperficiem, interceptam carnem nivei coloris effe invenies.

CLXXXVII.

LICHEN POLYPHYLLUS. *Tab.* 16. *fig.* 1. *lit. a-i.*

Lichen umbilicatus, coriaceo-foliaceus, multiplicatus, multifido-lobatus, lobis rotundatis, crifpis, fubcrenatis, utrinque lævis, fupra ex viridi tandem cæruleo-cinerafcens, punctis eminentibus atris, fubtus aquofe brunefcens.

Lichen foliaceus, polyphyllus, umbilicatus, utrinque lævis, crenatus. *Linn. fp. plant. p.* 1618. *num.* 56. *Gunner. flor. norv. tom.* 2. *p.* 93. *num.* 767. *Schrank. flor. bercht. p.* 314. *num.* 483.?

Lichenoides tenue pullum, foliis utrinque glabris. *Dillen. mufc. tab.* 30. *fig.* 129.

Li-

Lichen lapideus crifpus, utrinque coloris fchiftei. *Haller hift. ftirp. helv. tom.* 3. *p.* 88. *num.* 2001.

Quam alibi rarus, tam hic undique abundantiffimus, nudis in rupibus montis Calvariæ; collis *Schmalzbergel* & retro caftellum Zigulnenfe &c. Silent, quas defuper confului, pleræque Floræ; quibus porro intactus haud remanfit, vix, quæ fufficiant, ut a congeneribus diftinguatur, notas dedere. Plures idcirco, per omnes fere ejusdem ætates, pingi feci ad naturam icones, ut defiderari deinceps poffit nihil, quin illico dignofcatur. Figuris certe Dillenii nil, nifi lux & umbra, ut dicimus, deeft; fed vel ex eo jam, imbricati centrifugi potius, quam umbilicati gerunt faciem. Folium ei coriaceum, minus, quam in Lichene Miniato durum & craffum; prima in ætate, dilute fupra virefcens, maris fere virore. Exalbefcit mox viror ille, magis magisque glaucefcens, dum e glauco denique cærulefcenti-cinereus fiat, pallida fqualens fuligine. Nulli eo in folio fupra fubtusve villi, nudum undique, glabrumque, punctulis modo exiguiffimis (eminentibus tamen) nigris parcius, aut copiofius fuperne obfitum, quæ vix interdum oculo, femper microfcopio detegas. Expanfio illi, rofæ adinftar, rotundata, difco medio tantifper depreffo; undique cætera liberum; umbilico duntaxat paginæ inferioris faxis adglutinatum verius, quam proprie radicatum. Quoniam autem admodum luxuriat, expanfione admodum late patente, eo fit, ut in frequentes vel per difcum jam affurgat plicas, varie finuofo-lobatas; lobis, loborumque laciniis rotundatis, crenatis, finuofo-crifpatis. Subtus idem folium dilutius aut faturatius fufcefcit, bruneum tandem, folentque profundiores ejus plicæ, faxum proxime contingentes, in callofum tuberculum excrefcere, quod faxis longiore appreffum tempore, complanatur, & eo, quo umbilicus ipfe modo, iisdem adglutinatur. De Halleri fynonymo fub-

ſubdubito, maxime cum & ipſe de Dilleniana planta, quæ eadem & mea eſt, ſubdubitet. Ut autem verum fatear, videtur mihi hic duplicem Hallerus errorem erraſſe, dum verum Linnæi Lichenem polyphyllum, num. 1999. tab. 47. fig. 2. pro Lichene Miniato propoſuit, & num. 2001. neſcio quem? pro Polyphyllo Linnæi. Apud Schrankium minus placet, quod foliola, imbricum more, mutuo ſibi ſuperimpoſita dicat; cum multilobatus potius ſit, quam vere polyphyllus.

CLXXXVIII.

LICHEN OCHROLEUCUS. *Tab.* 13. *fig.* 4. *lit. a.*

Lichen foliaceus, centrifugus, flavo-vireſcens, foliolis lobato-multifidis; tuberculis centralibus ochraceo-luteolis, tandem marginato-ſubſcutellatis.

Lichen pulmonarius, ſaxatilis, farinaceus, glauco-vireſcens, anguſtioribus ſegmentis, receptaculis florum griſeis. *Michel. N. G. plant. p.* 94. *num.* 6. *tab.* 51. *ord.* 30. *fig.* 4. *Segnier. veron. tom.* 1. *p.* 63. *num.* 22.; tum *ſuppl. p.* 49.

Lichen muralis, imbricatus, flavo-vireſcens, ſcutellis concoloribus, demum luteſcentibus, margine pallido. *Schreber. ſpicil. lipſ. p.* 130. *num.* 1126.

Non alius hic (centrifugum Linnæi Lichenem ſi demas) majore in copia ubivis viſitur, quam idem Lichen iſte, quem ab ochraceo-luteolis tuberculis, ochroleucum dixi. Saxum Victoriæ, & qua late Clagenfurti mons Calvariæ patet, vix exiſtit ullum, eodem quod careat. Pure rupeſtrem crederem, niſi, quod iſthic nuſpiam obtinet, in tectis, parietibus, maceriis, aſſeribus, trabibusque putridis paſſim obvium aſſererent Michelius,

lius, Seguierius, Schreberus! contra quos excipere nec velim, nec ausim. Quamvis autem & Michelius, & qui eumdem repetit Seguierius, farinaceum dicant, tamen nihil in eo unquam sive farinæ, sive lepræ, aut crustæ vidi tartareæ. Prima jam ab origine foliaceus est, ut præprimis in x, x, x, videri potest; antea enim quam florentia in conspectum veniant tubercula, in fœcundas ? demum collapsura scutellas, tenerrima semper vidi foliolorum pinnato-frondescentium initia, ab uno velut centro in orbem quaquaversum se diffundere. Nescio, an non & ideo, centrifugi potius, quam imbricati mereantur dici, quotquot hac indole sunt Lichenes? in quibus, si quod reapse evenit, candide velimus fateri, nulla, aut certe rarissima est foliorum sibi mutuo superincumbentium imbricatio, constans contra, frondium ab uno in orbem divergentium centro dispersio. Sunt itaque Licheni ochroleuco foliola tenerrima, subtilissimaque, superne ex diluto virore, pallide demum flavo-virescentia, glabra, nec absque nitore omni, subtus fusca, seu ex bruneo velut nigricantia, nullis radicata villulis, arctissime tamen rupibus adglutinata, ut integra inde cultello haud abradas. Frondes dicas subpinnato-lobatas, lobis multifidis, lacinulis obtusis rotundatis, quæ ab uno in orbem centro quaquaversum diffugiant. Aream earumdem centralem mediam efflorescentia cum tempore occupant tubercula convexa lentiformia & sessilia, plurima, conferte accumulata, triste argillaceo- aut ochraceo-luteola, fungosa, in quibus marginem decolorem videas nullum. Senio, aut desiccatione, non parum eadem hæc alterantur tubercula; extimus primum exalbescit in orbem margo, annuli adinstar albidi; collabitur dein tantisper media disci convexitas, applanataque, & margine quoque inæqualiter contracto, non equidem vere concavam, sed plano-velut depressam refert scutellam luteolam, margine angulato-crenato albido cinctam. Hic id solum breviter, semel pro semper monuisse volo, confusionis, quæ apud non-

 nullos

nullos invenitur autores, vitandæ gratia: Numquam me voce *Scutella* uti, quam pro exprimendo hemifphæriolo concavo. Tuberculum contra dicere, aut lentiformen convexitatem, ubi de hemifphæriolo convexo fermo eft. Sunt enim, qui & hoc quoque in tuberculorum cafu, voce *Scutella* abutuntur, tamquam plurali, diminutivi *Scutellum*: qua de caufa fummam perfæpe in iis intelligendis habui difficultatem. Alterum eft, ad quod probe itidem attendiffe juvat: Lichenes dantur tuberculati alii, alii contra Scutellati. Pro tuberculatis eos habeo, qui tales nati, tales etiam perfeverant femper, aut c rte non nifi per exficcationem, introlapfum difci, & decolorationem marginis, fubfcutellati videntur; eo fere modo, quo plures pulvinati agarici, ex humoris abundantia, infundibuliformes denique fiunt. Proprie fcutellatos contra, dico, qui quamvis in tuber primum elevati, poro tamen verticali hiant, magis magisque ampliando, dum concavæ demum fcutellæ fiant. Scio & hos quoque cum tempore per humoris abundantiam in fcuta elevari convexa, fed id temporis, non naturæ, eft.

CLXXXIX.

LICHEN OLIVACEUS.

Lichen foliaceus centrifugus, flavo-fufcefcens; foliolis lobato-multifidis, nitidis; fcutellis centro feffilibus, concoloribus, integris, crenatisve.

Lichen imbricatus, foliolis, lobatis, nitidis, lividis. *Linn. fp. pl. p.* 1610. *num.* 21. *Schreber. fpic. lipf. p.* 139. *num.* 1128. tum *num.* 1127. fub nomine Lich. Pulli. *Weiff. crypt. p.* 58. *Leers. fl. herb. p.* 256. *num.* 943. *Scopol. fl. carn.* 2. *tab.* 2. *p.* 389. *num.* 1399. *Allion. fl. ped. tab.* 2. *p.* 318. *num.* 2551. Et fub nomine Pulli *p.* 317. *num.* 2550.

Li-

Lichenoides olivaceum ſcutellis amplioribus verrucoſis. *Dillen. muſc. tab.* 24. *fig.* 78. Et

Lichenoides olivaceum ſcutellis lævibus. *Dillen. muſc. tab.* 24. *fig.* 77.

Lichen pulmonarius ſaxatilis ſubtus nigricans, deſuper olivæ conditæ colore, receptaculis florum concoloribus. *Michel. N. G. pl. p.* 89. *tab.* 51. *ord.* 19.

Lichen cruſtæ modo arboribus adnaſcens olivaceus. *Vaillant. bot. pariſ. tab.* 20. *fig.* 8.

Lichen fronde ſemipinnata, rotunde lobata, olivacea, pulla, ſcutellis crenatis. *Haller. hiſt. ſtirp. helv. tom.* 3. *p.* 91. *num.* 2014.

Vulgatiſſimus in arboribus pomiferis, ſylvaticisque, tum & in ſaxis ſylvarum montis calvariæ & retro caſtellum Zigulnenſe in quibus ampliſſimus cum ſcutellis plurimis & maximis. Varietates, quibus Lichen hic ex ætatis, locique natalis diverſitate, obnoxius eſt, non nullam apud autores induxerunt confuſionem. Folium ejusdem non admodum craſſum, fere & tenue, ſubtus nigrum eſt, ſaxis, arboribusque absque ullis radiculis aut villis arcte adglutinatum ſupra tenera in ætate ex diluto olivæ virore flavens, læve, nitens; dein ex obſoleta flavedine fuſceſcens, id eſt bruneſcens, obſcurius nitens, exiguisque verrucis undique tuberculoſum & ſcabrum, aut iis deficientibus ſuo cum lævore & nitore perſtans. Roſacee in orbem ſeſe expandere ſolet, ad majorem in ſaxis, minorem contra in arboribus amplitudinem. Integriuſculum interdum (in arboribus, & prima ætate) nec niſi peripheriam verſus, in lobos ſubpinnato-rotundos diviſum; alias jam a centro ipſo in frondes centrifugas oblongas, ſubpinnatifido-lobatas, lobis rotundatis, extrorſum majoribus, diſſectum. Scutellæ (dum adſunt) copioſæ, præprimis verſus diſcum medium, folio plane concolores,

centrali duntaxat umbilico inferiore insidentes, cæterum liberæ, primum parvæ, concavæ, margine integerrimo, introrsum contracto; demum ampliatæ, magnæ, applanatæ, orbiculares, ambitu integerrimo, aut & denique crenulato. Dillenius loco citato omnes exhibuit varietates, floriferam, sterilem, verrucosam. Color, ut innui, variat; tamen nunquam absque omni, saltem versus extremum ambitum, flavedine obscura. Hallerus T. 3. p. 91. N. 2013. Lichenem omphalodem describit Linnæi, eo non citato, & perperam plane ad eumdem, Michelii pulmonarium supra citatum. Dilleniique olivacei varietatem, pro synonymis adducit, qui uterque ad Linnæi olivaceum pertinent. Schreberius duplice olivacei Dillenii varietate, & Halleri autoritate inductus, novam sub Pulli nomine condidit speciem, quem & Allionius secutus. Weissius demum, Scopolium indubie secutus, ad olivaceum Linnæi, ex Hallero pro vero ejusdem synonymo N. 2014. adducit non pertinentem isthunc Halleri N. 2013. qui profecto, ut mox videbimus, Lichen Linnæi omphalodes est.

CXC.

LICHEN OMPHALODES. *Tab.* 15. *fig.* 2. *lit. a. b.*

Lichen foliaceus centrifugus, saturate absque nitore viridis, desiccatione fuscus; foliolis subpinnatifido-ramosis, subtus per oras crinitis; scutellis atro-rubentibus, margine elevato integerrimo albido cinctis.

Lichen imbricatus, foliolis multifidis, glabris, obtusis, incanis, punctis vagis eminentibus. *Linn. sp. plant. p.* 1609. *num.* 20. *Leers. flor. herborn. p.* 256. *num.* 942.

Licheno ides saxatile tinctorium, foliis pilosis purpureis. *Dillen. tab.* 24. *fig.* 80.

Li-

Lichenoides nigricans omphalodes. *Vaillant. bot. parif. tab.* 20. *fig.* 10.
Lichen fronde femipinnata, rotunde lobata, olivacea, fcutellis lævibus. *Haller. ftirp. helv. tom.* 3. *p.* 91. *num.* 2013.
Lichen pulmonarius minimus, arboribus innafcens, ad margines radicatus, fupra cinereo-fufcus, inferne anthracinus, receptaculis florum fufcis. *Michel. N. G. plant. p.* 93. *tab.* 51. *ord.* 29.

Tam in pomiferis, quam fylveftribus arboribus Salice, Fago, Carpino, Fraxino, Quercu; item affulis tectorum, & afferibus fepium femiputrefcentibus vulgatiffimus; ut mireris, in Floris recentiorum non recenferi. Rarior circa Clagenfurtum in faxis, bis enim iis innatum duntaxat inveni. Multa Lichen ifte cum Lichene olivaceo Linnæi habet communia; ab eo quamquam diverfiffimus: fibi ipfi etiam diffimillimus prout vel madet, aut humidus eft lit. *a.*, vel contra deficcatus, fudo cœlo, in arboribus vifitur lit. *b.*; forfan & hæc ratio, quod paffim neglectus, aut cum olivaceo perperam confufus fuerit; cum diligentiam tamen Veterum non fefellerit. Deficcatum fi intuearis, tum fcilicet, cum morbidi languent Lichenes, parum ab Olivaceo fenefcente, diverfum credas. Colore tum eft fufco, id eft, dilutius aut faturatius brunefcente, cum nefcio qua? incani halitus mixtura, præprimis ad extimos loborum margines; glaber etiam, fed nitoris tamen femper expers, nec ullam in flavedinem uspiam emoriens. Scutellæ tum etiam folio concolores; margine tamen femper introrfum revoluto, tumido, integerrimo, lævi, jam concolore, jam & plerumque albido incano. Intra aquam jam tempore repone aliquo macerandum, aut certe pluvio cœlo, ex humore madentem, afpice; non fufcus amplius, faturato imo recentis olivæ fupra viret colore, nitoris expers; fcutellis hemifphæricis, fubpedunculatis velut, fupra atro-rubentibus, vel & obfcure fanguineis, fubtus margi-

gineque exſtante, tumidiuſculo, ſurſum revoluto, integerrimo, lævi, incano-albeſcentibus. Folium illi cætera ſat tenue; roſacee in orbem diffuſum, quandoque & ipſum integriuſculum, ambitum duntaxat verſus, multifido-lobatum; communiter tamen profunde diſſectum in foliola frondeſcentia, centrifuga, ſubpinnatifido-ramoſa, lobataque, lobulis obtuſis, rotundatis, ſubtus anthracinis, & per marginum oras copioſe & breviter crinitis, crinibus (aut ſi vis radiculis marginalibus) ſimplicibus, atris. Subſtantia medullari folii alba. Synonymum ex Michelio adductum, huc mihi pertinere videtur. Nec figura abludit citata; etſi radiculas marginum non exprimat; quas tamen ſubintelligo, cum ad margines in deſcriptione dicat radicatum. Linnæus in Flora ſuecica & lapponica (non tamen in Speciebus & Syſtemate naturæ) ad Omphalodem ex Michelio adduxit ſynonymum p. 90. tab. 49. ord. 22. fig. 2. Sed quantum video, figura hæc cum priore, a me citata, eadem eſt, dempta magnitudine, & deſcriptio etiam optima; ut mirari ſubeat, cur bis? & diverſo loco? eumdem adduxerit Lichenem Michelius? Forſan, dum ſuum in Italia ad Populos creſcentem, deſcripſit, p. 93. tab. 51. ord. 29. oblitus eſt, ſe eumdem, ex dono Sherardi, & Vaillantii obtentum, jam adduxiſſe p. 90. tab. 49. ord. 22. fig. 2. In hac illius deſcriptione, uti & in Dillenii, Rajique, id ſolum diſplicet, quod folia ſupra purpurea dicat. Melius cum Vaillantio de deſiccatis dicturus, nigricantia ſive fuſca.

CXCI.

CXCI.

LICHEN PULCHELLUS *Tab.* 16. *fig.* 2.

Lichen foliaceus, centrifugus, albo-fubcinerafcens, foliolis fubpinnato-lobatis, fubtus per oras crinitis; glomerulis centralibus pulverulentis cinereo-cærulefcentibus obfitus; fcutellis cinereis, albo marginatis.

An Lichen pulmonarius, faxatilis, farinaceus, foliis pulpofis albis, ad extremitatem magis complanatis, receptaculis florum cinereis? *Michel. N. G. plant. p.* 94. *ord.* 30. *tab.* 51. *fig.* 3. Sed cirrhulorum marginalium non meminit!

Maxima in copia faxis innafcitur undique *am Schmalzbergl*, in monte Calvariæ, & in fylvis inter Kefslin, & Ziguln. In arboribus numquam. Folium, ut in hac centrifugorum familia, fat tenue, etfi pulpofum videri poffit, quod frondes fuperne longitudinaliter convexiufculæ fint, rofacee de more in orbem diffufum; profundiffime interdum partitum in folia frondefcentia e centro ambitum verfus diffugientia; quandoque ut in Michelii Tab. 51. ord. 30. fig. 6. angufta, arcte ftipata, linearia, longitudinaliter femiteretia, femper tamen fubpinnato-multifida, & lobata, ambitum verfus latefcentia, lobulis obtufis rotundatis integris. Color illi fupra albus, aut & ex albo-fubcinerafcens, fubtus femper niveus, nec fufcus aut niger unquam. Oræ marginales foliolorum loborumque inferne cirrhulis five radiculis fimplicibus exiguis ftipatis atris obfitæ, & radicatæ. Scutellæ, quæ hac in fpecie rariffime, nec copiofæ occurrunt, feffiles hemifphærico-concavæ, cinereæ, margine elevato albo integerrimo cinctæ. Frequentius, medius circum centrum difcus, copiofiffimis obfitus effe folet granulis five tuberculis

he-

hemiſphærico-convexis pulverulentis ſaturate cinereo-cæruleſcentibus, absque, aut non niſi perpaucis cum ſcutellis intermixtis. Frequentiſſime denique, præprimis ultima in ætate, & ſcutellæ, & hemiſphærici pulverum acervuli deficiunt.

Apud Autores diſtincte adumbratum haud reperio. Ex Linnæana Omphalodis deſcriptione, hunc, præ illo altero, omphalodem credidiſſem eſſe. At Linnæus profecto non alium utique Lichenem, hoc omphalodis nomine donaverit, quam, quem jam ante Vaillantius, nigricantem Omphalodem compellavit, qui a meo hocce quam diverſiſſimus, in eo præciſe cum eodem convenit, quod uterque cirrhulis aut crinibus repat, ſive & radicetur marginalibus.

CXCII.

SALIX FUSCA.

Salix foliis integerrimis, ovato-lanceolatis, ſubſeſſilibus, nitidis, ſubtus primum villoſis; amentis oblongo-ovatis, atro-rubentibus, albo-villoſis, pedunculatis.

Salix foliis integerrimis, ovatis, ſubtus villoſis, nitidis. *Linn. ſp. pl. p.* 1447. *num.* 26. *Jacquin. flor. auſtr. vol. V. p.* 4. *tab.* 409.

Salix pumila, folio utrinque glabro. *Joh. Bauh. I. part.* 2. *p.* 217.

Salix foliis ovato-lanceolatis, glabris, obſcure ſerratis, venoſis. *Haller. hiſt. ſtirp. helv. tom.* 2. *p.* 308. *num.* 1646. Sed non præterea, etiam Myrtilloides Linnæi.

Salix

Salix alpina. *Scopol. flor. carn.* 2. *tom.* 2. *p.* 255. *num.* 1208. *tab.* 61. Sed non propterea lanata L., neque Halleri Salix *num.* 1650., quæ S. rotundifolia Linnæi eſt.

Non facile hæc alio copioſior loco, quam in Monte Regio Rablenſi, ubi inter numeroſos illos Lapidis Calaminaris ſuperiores & inferiores cuniculos paſſim undique initio Maji floret, una cum Cytiſo purpureo; Lilio Chalcedonico multifloro; Diantho ſylveſtri &c. Eam, loco citato, præſtantiſſimus quidem deſcripſit Jacquinius, figuraque etiam, qua meliorem adhuc non habueramus, illuſtravit; cum tamen Carinthiacis ea minus reſpondeat exacte exemplaribus & partes præterea fructificationis nonnullas ne attingat quidem, ignoſcet Vir amiciſſimus, illi ſi & meam quoque figuram, partim in confirmationem, partim etiam in ſupplementum adjunxero; præprimis, cum & alias quoque Salicum ſpecies Carinthiacas, ſi Numen faverit, cum erudito communicare orbe conſtituerim interpolatas per vices. Radix ei perennis, digitum auricularem craſſa & amplius, longe ſub terra repens, ramoſaque copioſis per intervalla fibris radiculiſque obſita, cæterum lenta, lignoſa, extus fuſca, alba intus. Caules ex ea plures, & ipſi perennes, ligneſcentesque, per terram proſtrati, fibrilliſque perſæpe iterum radicati, primum obſcure rubri, tum ex fuſco-ſubcineraſcentes, nudi, glabri, noduloſi. Folia dilutius primum, tum ſaturate viridia, & firma; pro parvitate arbuſculæ lata; utut numquam admodum magna; ſuntque ovato-lanceolata, breviſſime petiolata & fere ſubſeſſilia, ſuis in ramulis alterna, margine integerrima, ſupra ſubtusque nitidula, ſed inferne præterea, prima in ætate, ex pilis, tandem cadivis, villoſa. Reticulum ſubtus venarum in junioribus vix agnoſcas, niſi luci obverſa intuearis, eſtque illuſtre ſeu ſubtranſparens; ſed adoleſcentibus demum cum folio venis, haud gra-

vate id etiam decalvatis penitus difcernas in foliis; eminent enim tum tantillum venulæ, mutuo fe intercuffantes, dilutiffima rubedinis fuffufæ tinctura. Gemmæ tam amentorum, quam foliorum ovatæ, faturate fufco-rubentes, glabræ, univalves, apice bifariam dehifcentes, & cadivæ. Stipes foliorum communis, primum viridis & villofus, tum glaber & ex rubro magis, magisque fufcefcens. Amenta diclina. Utriusque fexus pedunculata; pedunculo ex nidulo foliolorum aliquot; terete, atrorubente, villofiffimo; breviore in mafculis; in fœminis non nihil elongato, & foliolis perpaucis, laxiffime alternantibus obfito. Sunt præterea tam mafcula, quam fœminea, oblongo ovata, atro-purpurafcentia, pilisque albis villofiffima. Squamæ fcilicet calycinæ in utrisque ovato-lanceolatæ, concavæ, dorfo atro-purpureæ, & pilofæ. Nectarium quoque utrisque tubulofo-cylindraceum, gracile, apicem verfus perparum latefcens, truncatum, ex albo fubpurpurafcens. Stamina mafculis duo: filamentis aquofe rubellis, diaphanis, calyce triplo longioribus. Antheris primum rubris, tum ex polline aurato-flavis. Germen fœminis feffile ex ovata-bafi, elongato-roftratum, totum atro-purpureum, albo-villofulum; ftylus cum germinis roftro confluens, apice bifidus; ftigmata duo, bifida, obtufiufcula, dilutius rubra, demum nigra. Capfulæ (germen immutatum) ex ovata & ampullata bafi elongato-roftratæ, uniloculares, bivalves. Valvulis ab apice revoluto-dehifcentibus, ac quo maturefcunt magis, magis etiam ex rufo flavefcentibus, fimulque calvefcentibus. Semina pappo copiofo, pilofo, niveo, & fericeo involuta. Gmelini Salicem pumilam folio ovali *flor. fibir. tom.* 1. *p.* 160. *num.* 14. *tab.* 35. *fig.* 2. libens reciperem, nifi folia admodum effent magna, obtufaque, & de dentibus bafeos loqueretur. Sed & difplicet, quod in fynonymia conjungat cum Joh. Bauhini Salice pumila utrinque glabra, quæ Linnæi fufca eft, Salicem Halleri foliis lævibus ovatis, fpica rariffima

ma ſeu pauciflora; quæ abſque omni dubio Salix retuſa Linnæi eſt; plurimum a Fuſca, diverſa.

CXCIII.

FUMARIA ACAULIS.

Fumaria ſcapis nudis foliorum longitudine; foliis pinnatis, pinnis trilobis.

Tergeſti dum nuper perquirendis vacarem plantis, quas pars ea Carniæ quondam Auſtralis profert elegantiſſimas; attulit præclariſſimus Vordoni, Sebenicenſis quondam Phyſicus, in paucis dilectus, conatuumque meorum fautor egregius, & hanc quoque cum inſequente plures inter alias ſtirpem, in eo Adriatici maris Littorali lectam. Annua ejus radix, ſat gracilis, fibrillis nixa ſparſis, & albida; copioſiſſima uno de capite profert folia, tenera, tres circiter alta pollices, longo, gracilique fulta petiolo; apicem præciſe verſus pinnata, jugis pinnarum tribus, cum impare. Pinnulæ (ſive foliola) ſi infimum earum jugum, triphyllum verius, quam iterato pinnatum, demas, ſimpliciſſimæ, oblongo-obovatæ, planæ, breviter petiolatæ, apicem verſus profundius, aut brevius trilobæ, lobulis obtuſis, rotundatis, integerrimis. Solent tamen foliola ſupremi pinnarum jugi eſſe interdum integerrima, nullis inciſa lobis. Color tam pinnarum, quam petiolorum, & axis earumdem communis, ſcaporumque, verbo, plantæ totius, e viridi glauceſcens. Villus nuſpiam ullus, ſed nec pubes; omnia glabra, læviſſimaque. Petiolus ſive axis pinnarum communis, ſuperne planus, ſubtus teretiuſculus, ſubtiliſſimeque ſtriatus, baſin verſus membranaceo-vagi-

nans, & purpurafcens. Scapi eadem cum foliis e radice complures, tenerrimi, teretes, tandem foliorum longitudine, & ipfi quoque erecti, aphylli, racemo florali terminati. Flores quovis in racemo a quinque ad octo, decemve, finguli pedicello capillari longiufculo. & erecto infidentes, ex axilla bracteæ fubfpathaceæ lanceolatæ, e viridi-albefcente. Calycis loco perianthium ex foliolis binis oppofitis, planis, ovato-acuminatis, bafin verfus fubdentatis, latera corollæ vallantibus, primum virentibus, tum albido-luteolis, cadivis denique. Corolla dilute flavens, oblonga, linearis, angufta, tubulofa, ringens, bilabiata, fu bpapilionaceo-perfonata, poftice in calcar breve nectariferum tubulofo-incurvum, & obtufum producta, infiftens pedicello fuo intra bina nectaria, primum erecta, tum oblique erecto-patens. Labium fuperius, adinftar vexilli, in femicylindrum convolutum, antice latefcens, ovatum, faturatius flavens, erecto-patens, fubfornicatum, integrum; poftice, ut innui, in calcar productum. Labium inferius, adinftar carinæ, brevius fuperiore longitudine calcaris; cohærens modo fuperiori, antice latefcens, ovatum, concavum, integrum, & ipfum hians, & faturatius flavens, poftice anguftatum, carinatum, absque calcari nectariferum. Faux inter labia hiantia palato protuberante, fphæroidico-tetragono, faturate flavo, tamquam alis conniventibus, claufa. Alulæ nempe binæ funt hemifphæriorum cavorum forma; labio fuperiori ad faucem cohærentes; margine alato plano circumfcriptæ; perpendiculariter conniventes, & faucem claudentes mutua appreffione; dorfo medio carinula exftante, membranaceo-itidem alata, & margini transverfa, percurfæ. Stamina bina. diadelpha, tubo corollæ æqualia, & parallela, inclufa. Filamentis albis, lanceolato-fubulatis, bafi latiufculis, plano-compreffis; fingulis apice triantheris, antheris faturate flavis, oblongis, bafi convergentibus. Germen oblongum, lineare, compreffum, nudum. Stylus brevis, acuminatus. Stigma

or-

orbiculato-compreſſum, flavum. Siliqua linearis, unilocularis, bivalvis, polyſperma.

CXCIV.

HYPECOUM LITTORALE.

Hypecoum ſiliquis articulatis, compreſſis, arcuatis; petalis integris; exterioribus longioribus, lineari-ſpatulatis.

Habitat in ſabuloſis aridis, ejusdem Littoralis. Radix annua, ſimplex, filiformis, teretiuſcula, gracilis, fili vixdum emporetici craſſitudine, bipollicaris, albida, fibrillis capillaribus rariter adſperſa. Folia ex ea perquam multa, ſcapique florigeri itidem plures, ex decubitu velut erecti, foliis duplo altiores radicalibus. Ea folia, foliorum Umbelliferæ cujusdam æmula, etſi bipinnata credi poſſint, nequaquam tamen vere ejusmodi ſunt; meliore jure alterne laxeque bipinnata dixeris. Stipula ſcilicet ſubmembranacea, ſtriata, virens, oblongo ovalis, ſublanceolata, in axem continuo abit bi-& tripollicarem, ſemiteretiuſculum, ſtriatum, tertiam lineæ partem craſſum, ſaturate virentem, pube tamen incana proſtrata, & demum cadiva, adſperſum. Huic communi velut petiolo, ad pollicis circiter a baſi diſtantiam, pinnæ utrinque appenduntur & ipſæ rurſum laxe, alterneque pinnatæ, foliolis anguſtis, oblongis, lanceolatis, ſub aut vere breviter petiolatis, pinnatifide inciſis ſeu & ſerrato-dentatis, ſaturate viridibus, pube procumbente incana adſperſis. Hæc inter radicis folia, erecto-patentia, ſcapi florigeri tres, quatuorve ex decubitu eriguntur graciles ad pollicum quinque altitudinem; tertiam non niſi lineæ partem craſſi; teretes, ſtriati, graminei viroris, pube tamen proſtrata, demum cadiva adſperſi caneſcente; om-

hino aphylli. Flores terminales, umbellati; umbellis pauperrimis; plerumque proliferis. Terminatur videlicet ſcapus floribus, raro ſimplicibus & unifloris; plerumque tribus, quatuorve eodem ex puncto egredientibus, longiuſcule pedicellatis, pedicello uno alterove, ut plurimum iterum ſubumbellifero, ſeu tamquam ex umbella bifloro. Involucrum umbellarum, ut in Anemonibus fieri aſſolet, foliaceum, foliolis tribus quatuorve velut baſi connatis, cæterum pinnatis, pinnulis unius, aut duorum jugorum cum impare, ſimplicibus, lineari-lanceolatis, integris, anguſtiſſimis. Numquam vero involucrum ejusmodi, majus aut minus, abeſt, ubi demum cunque flores, etſi unus, alterve tantum, exoriuntur; ac præterea flos quisque, paulo infra calycem, proprio ſuo, etſi admodum exiguo, foliaceorum denticulorum aliquot, inſtruitur involucello. Flores erecti; quisque brevius aut longius pedicellatus. Calyx diphyllus; foliolis oblongo-ovalibus, ſive & ovato-lanceolatis, ex virore ſubflavicatibus, ſubſtriatis, apice breviſſime ſubtrifidis, deciduis. Corolla tetrapetala, erecto-patens; petalis lineari-ſpatulatis integerrimis, binis exterioribus oppoſitis, longioribus, apice ſubcochleariformibus, concavis, dorſo proſtrato-pubeſcentibus, flavis: binis interioribus, calycis duntaxat longitudine, & ipſis oppoſitis, ſed lanceolatis, ſtriatis, flavis. Stamina quatuor erecta, calycis longitudine; filamentis albis; antheris oblongis, compreſſis, flavis. Germen cylindraceum, nudum; ſtyli duo, breves, luteoli, reflexi. Stigmata ſimplicia. Siliqua longa, tereti-compreſſa, arcuata, articulato-polythalamia, loculis tetragonis, diaphragmate transverſo interruptis, monoſpermis; ſeminibus globoſo-compreſſis. Ab Hypecoo itaque procumbente Linnæi, ſtructura potiſſimum petalorum, diverſum.

CXCV.

CXCV.

SPERGULA LARICINA.

Spergula foliis oppofitis, fubulatis, vifcido-villofis, ciliatisque; axillaribus fafciculatis.

Spergula foliis oppofitis fubulatis ciliatis fafciculatis. *Linn. fp. plant. p.* 631. *num.* 4. *Gmelin. flor. fibir. tom.* 4. *p.* 155. *num.* 61. fub nomine Alfine.

Raram plantam iteratis vicibus inveni copiofiffimam fub Arce Eberftein, prope domum Pellionis ad rivulum? an torrentem? Wietingerbach, dictum etiam Grofsbach, ad pedem alpis Saualpe; toto Julio. Eodem item tempore, & ferius quoque prope & fub Ponte Ifolæ ad Leontium. Eft vero tota faturate gramineo-viridis, vifcida, & villulis exftantibus, demum cadivis, undique adfperfa. Radix fufiformis, gracilis, alba, fafciculis oppofitis brevium radicularum fibrillofarum obfita, ut adeo, fi quæ alia, hæc certe maxime planta, probet, radicem fub terra effe fpeciem plantæ fupra terram. Ejus e capite integer caulium plurimorum fafcis, aut & cefpes emmittitur, bafi procumbentium, inde ad fpithamæ, & amplius altitudinem erectorum, apicem verfus per tres, quatuorve aut quinque dichotomias ramoforum, pedunculo dichotomiarum fimplice longo unifloro, primum erecto, tum anthefi peracta deflexo, & pendulo. Caules ipfi cætera teretes vifcidi & villofi, longiufculis, & pluribus inferne articulis geniculati, geniculis articulorum nodofis. Folia ad genicula articulorum tantum, non verticillata, fed oppofita. Horum ex axillis fafciculi præterea foliorum a decem ad quindecim utrinque, longitudine inæqualium,

lium, tereti-ſubulatorum, ſtria ſubtus longitudinali exaratorum, nitentium, viſcido-villoſorum, ciliatorumque, ut ut villuli hi exſtantes magna demum parte ſe perdant. Flores, ut innui, ex iteratis ſuperne dichotomiis, longiuſcule pedunculati, pedunculis defloratis cernuis. Calyx pentaphyllus, foliolis ovato-acutis, concavis, dorſo viſcido-villoſulis, patentibus, perſiſtentibus. Corolla nivea, pentapetala; petalis ovatis, integerrimis, patentibus, calyce tantillo majoribus, deciduis. Stamina decem, alternis brevioribus filamentis ſubulatis, albis, corolla brevioribus. Antheræ flavæ. Germen globoſum. Styli quinque, ſtigmatibus ſimplicibus. Capſula ovata, unilocularis, quinquevalvis, polyſperma.

CXCVI.

AGRIMONIA AGRIMONOIDES.

Agrimonia foliis caulinis ternatis, floribus ſuboctandris; fructibus glabris.
Agrimonia foliis caulinis ternatis, fructibus glabris. *Linn. ſp. pl. p.* 643. *num.* 3. *Scopol. flor. carn.* 2. *tom.* 1. *p.* 331. *num.* 568.
Agrimonoides. *Columnn. ecphraſ. p.* 145. *tab.* 144.
Agrimonoides ſemine glabro. *Barrelier. ic.* 612.

Creſcit abunde, exeunte Majo florens, in ſylvoſo monte Singerberg prope Ebenau, *auf der Watzkersdorfer Seite*, loco umbroſo, humente, ad declives foſſas ſubſtagnantis aquæ; tum ſecus viam in altioribus; etiam in Carnioliæ ſylvis ſat frequens, flore inodoro, ſed foliis Geranium Robertianum redolentibus. Radix horizontalis perennis, ſat longa, aut etiam pro ſoli ratione recta, brachiata ſemper, radiculisque fibrillata, extus dilute rubella, alba intus, lentum denique in lignum abiens. Ejus e capite ra-

rius

rius unicus modo, plerumque plures egrediuntur caules, baſi primum decumbentes, ſed erecti denique, dimidiam circiter alti ſpithamam; magnam inter copiam radicalium foliorum, quaquaverſum per terram ſtratorum, duplicato-lyrato-pinnatorum; jugis pinnarum duobus, tribus, quatuorve cum impare. Pinnæ rotundato-ovatæ, ſeſſiles, ſerratæ, utrinque villoſæ, exteriores ſucceſſive majores, extimæ tres maximæ, nec interſtinctæ pinnulis acceſſoriis minoribus, uti reliqua juga; eorumdem communis petiolus, ſive axis, baſin verſus ſanguineo-rubens, canali ſupra exciſus, molli undique hirſutus villo. Caulis teres, villoſus, primum baſi, tum fere totus e viridi plus minus rubens, alternis ex axillis ramoſus, gracilis, debilis, foliis parce, nec fere alibi, quam ſub ramorum florumve exortu occurrentibus, onuſtus, iisque brevi villoſoque ex petiolo ternatis; radicalium cætera ſimilibus. Stipulæ petiolorum baſin vallantes, ovato-acutæ, integræ, villoſæ. Flores in caule, ramisque terminales, duo, tres, quatuorve, non uti in *Agr. Eupatoria*, ſpicati, corymbulum fere verius formantes, ſinguli pedunculati; pedunculis gracillimis, villoſis, una alterave bracteola, ſitu ſub flore alterno, ovato-cæterum acuta, integra, villoſa & ſeſſili inſtructis, apice unifloris. Calyx duplex, quos inter germen medium ſeſſile; hic pericarpii inſtar germen recipiens, ille idem coronans. Inferior eorum major, tubuloſo-dentatus dentibus a ſeptem ad decem profunde & inæqualiter inciſus, extus ſtriatus, villoſusque, de reliquo erectus, liber, germine altior, tandem patentiſſimus, includens primum tubuloſa ſua in baſi germen oblongo-ovatum, ſericeo-pubeſcens, dum decalvetur denique, coronatum apice calyculo minore ſupero, quinquepartito, lacinulis corolla brevioribus, ovato-acutis, æqualibus, glabris, patentibus, antheſique finita ſurſum denuo conniventibus, & perſiſtentibus. Corolla ſaturate flava, magnitudine florum *Agr. Eupatoriæ*, niſi & major; eaque pentapetala petalis rotundato-

obovatis, apice emarginatis, basi in exiguum velut unguiculum decurrentibus, calyculo proprio majoribus, patentissimis, cadivis. Stamina sex, septem, aut octo, nec plura, corollis paulo breviora; filamentis flavis; antheris didymis, saturatius flavis. Styli duo ex germinis umbilico, staminum altitudine, albi. Stigmata subcapitata, albida. Fructus libere in inferiore calyce sessilis, ex ampullacea basi oblongo-ovatus, collo strangulato, vere lagenarius, glaber, calyculo superiore permanente, & connivente coronatus, bipartibilis. Semina oblongo-ovata, nuda.

CXCVII.

VINCA MAJOR.

Vinca caulibus erectis; foliis petiolatis, obtuse subcordato-ovatis, tomentosis, margine piloso-ciliatis; segmentis calycinis elongatis, angustis, per oras ciliatis.

Vinca caulibus erectis, foliis ovatis, floribus pedunculatis. *Linn. sp. pl. p.* 304. *num.* 2.

Clematis daphnoides major. *Dodon. pempt. p.* 406.

Pervinca caulibus erectis, foliis ovato-lanceolatis, ciliatis, petiolis unifloris. *Haller. hist. stirp. helv. tom.* 1. *p.* 246. *num.* 573.

Pervinca major. *Scopol. flor. carn.* 2. *tom.* 1. *p.* 170. *num.* 274. *Allion. fl. ped. tom.* 1. *p.* 101. *num.* 370.

Frequens Goritiæ; floretque exeunte Martio, & Aprili; Via Viennensi (*alle strade nuove*) ad sinistram illico extra Urbem sub sepibus in Dumetis, haud procul ab ingenti arbore, Pruno Laurocerafo L. Tum & consimi-

ſimilibus locis prope Salcanum. Radix viticulis repens fibroſis, caulem unum, (aut plures) educit, non proſtratum aut ſerpentem, ſed erectum, ſpithamalem, teretiuſculum, nudum, glabrum foliis per intervalla oppoſitis obſitum. Ea folia longiuſculo inſident petiolo baſi & per oras ciliato-piloſo; ſuntque obtuſe, & velut ex ſubcordata baſi, oblongo-ovata, integerrima, mollia, ſaturate & obſcure viridia, absque nitore, ex pube exigua decumbente velut tomentoſula, etſi & hac exuantur denique, attamen ciliis piloſis ſtipatiſſimis marginalibus, & coſtæ dorſalis mediæ, numquam ſpolianda. Flores ex alterna petioli axilla ſolitarii, ſimplices, longe pedunculati; pedunculo terete, glabro, petiolum altitudine bis terque excedente. Calyx profundiſſime quinquepartitus, erectus; ſegmentis anguſtis, lineari-lanceolatis, dorſo longitudinaliter carinatis, longitudine tubi corollæ, oris marginum, & carina dorſi, ciliato-villoſis. Corolla monopetala, hypocrateriformis, coloris ſaturate violacei, magna: tubo cylindraceo-turbinato, lineis quinque ſaturatioribus, ex angulis faucis ſubrotundo-pentagonæ, percurſo, & interne albido-villoſo. Faux coronata membranula humili exſtante ſubrotundo-pentagona. Limbus patentiſſimus, quinquepartitus ſegmentis oblongo-obovatis, oblique truncatis, repandis. Stamina quinque, breviſſima, interno tubi parieti ſub fauce, in parte ejusdem media, albo-villoſa, adnata, ſaturate flava, introrſum flexa, rurſum retroflexa, baſi albo-villoſa. Antheræ ovatæ, compreſſæ, dilute flavicantes, margine utroque polliniferæ. Germina reipſa duo contigua, mutuo ſe contingentia, ſive folles totidem ovati, nudi, in unum Stylum cylindraceum, ſtaminum longitudine, abeuntia. Stigmata itidem duo, uno alteri inſidente; inferius, ſtylum terminans, orbiculatum, planum, ſuperius capitatum concavum, albo-villoſum. Nectaria? aut elaſtra? verbo: corpora duo ſubſphæroidico-ovata oppoſita, adſita extus baſi uniuscujusque germinis,

& coercentia velut capſulas folliculares, elongatas, uniloculares, polyſpermas, longitudinaliter dehiſcentes.

Fruſtra Gerardus Fl. gallopr. p. 326. cum Vinca minore L. conjungit, tot notis ſpecificis conſtantibus, diſtinctam.

CXCVIII.

LYCOPODIUM ALPINUM.

Lycopodium foliis quadrifariam imbricatis, acutis; ſurculis erectis, teretibus, multiplicato-dichotomis; ſpicis terminalibus, teretibus, ipſis cum ſurculis, continuis.

Lycopodium foliis quadrifariam imbricatis, acutis; ſurculis erectis, dichotomis; ſpicis ſeſſilibus, teretibus. *Linn. ſp. pl. p.* 1567. *num.* 15. *Gunner. flor. norv. tom.* 1. *p.* 89. *num.* 272. *Allion. flor. ped. tom.* 2. *p.* 291. *num.* 2425. *Weiſſ. crypt. p.* 275. *Oeder. flor. dan. tab.* 79.

Lycopodium ſabinæ facie. *Dillen. muſc. tab.* 58. *fig.* 2.

Lycopodium ſpicis ſeſſilibus, foliis lanceolatis, adpreſſis, utrinque ternatis. *Haller. hiſt. ſtirp. helv. tom.* 3. *p.* 21. *num.* 1719.

Habitat in alpibus Reichenavienſibus ſupra ſanctum Laurentium, aliisque. Caulis ſarmenti adinſtar proſtratus, longe rependo protenſus, lentisque per intervalla radiculis fibroſis demiſſis radicatus; ſurculos, per intervalla itidem viciniora aut laxius ſparſa, erigit, ad duos tresve pollices, multiplicato-dichotomos, brevium adinſtar faſciculorum ramoſiſſimorum. Ii ſurculi perinde, ac caulis ipſe, teretes, exſucci, lenti, glabri,

niten-

nitentesque, coloris ſunt viridis, in flavedinem quamdam cum tempore emorientis; quadrifariam imbricati ſquamulis, ſive foliis lanceolato-aciformibus adpreſſis; facie Juniperi ſabinæ. Ramuli dichotomiaru m non ejusdem omnes longitudinis, ſive verius altitudinis; in brevioribus, ſquamulæ foliaceæ ſtipate magis addenſatæ; laxius, quadrifaria tamen ſemper ſerie, in longioribus, cauleque ipſo, ſunt ordinatæ. Spicæ floriferæ terminales, ſimpliciſſimæ, extimis ſurculorum dichotomiis (non equidem omnibus, pluribus tamen ſemper) continuæ, adeoque ſeſſiles, nulloque peculiari pedunculo, a reliquo ramulo diſtincto inſidentes; breves, obeſæ, ſurculis duplo craſſiores, forma clavæ oblongo-ovatæ; ſquamis & hæ foliaceis, erecto-patentibus imbricatæ ſunt, at duplo iis ſurculorum, majoribus, ex ovata baſi, longiuſcule acminatis, &, ni fallar, ſenaria ſerie. Quod Weiſſius cum Hallero, margine ciliatas adnotarunt; minime obſervavi; integerrimas mihi dum actu florerent, microſcopium exhibuit; ſed neque ciliatas, denticulatasve pinxere Linnæus, Dillenius, Oederus. Earum in axilla, obtuſe cordiformis, & flava, conſidet anthera dicam? an capſula? bivalvis, pollinis flavi inflammabilis pleniſſima.

CXCIX.

BUXBAUMIA APHYLLA.

Buxbaumia ſcapo aphyllo, clavato-mucronato.

Buxbaumia aphylla. *Linn. ſp. pl. p.* 1570. *num.* 1. *Leers. flor. herb. p.* 245. *num.* 887. *Gunner. flor. nerv. tom.* 2. *p.* 58. *num.* 571. *Allion. flor. ped. tom.* 2. *p.* 292. *num.* 2432. *Oeder. flor. dan. tab.* 44.

Anthocerus capillaceus aphyllus, capitulo craffo, bivalvi. *Dillen. mufc. tab.* 68. *fig.* 5.

Buxbaumia caulefcens aphylla. *Haller. hift. ftirp. helv. tom.* 3. *p.* 25. *num.* 1728.

Frequens in fylvis prope Clagenfurtum, in monte Calvariæ, prope Kefsin &c. pl erumque fub pino fylveftri, folo umbrofo, humido, atro, mufcos, aciculasque abietum inter; ftipitibus aggregatis, clavis omnibus, totius ftrati, unam conftanter, eamdemque plagam refpicientibus. Mirum prorfus vegetabile! cefpitofe locis dictis proveniens. Scapus femipollicaris, aut & octo lineas altus, normaliter erectus, teres, nudus, fiftulofus, diametri vix tertiæ lineæ partis; primum virens; fed mox obfcure ruber, & coriaceus, lentus, denique durus; radicis loco, bulbillo oblongo-ovato, duro, lanugine filofa capillacea fubreticulata, obvoluto, infiftens; apice mucronato-clavatus eft; terminatus fcilicet anthera ovata, erecta, operculo obtufiufcule conico, obtecta; viridi, tranfparente. Fugaciffimam calyptram, ut ut diligentiffime quæfierim, videre mihi contigit nondum; nifi quidem ea fit: corpufculum coriaceum obfcure rubrum, exftinctorii forma, conicum, inane intus, ora marginis bafeos breviffime ciliata? quod in terra, a reliquis avulfum partibus, inveni una modo vice. Sufpicionem, ne operculum ipfum id credam, auget, quod operculum pertinaciffime femper inferiori antheræ valvulæ adhærere, nec ab eadem unquam avelli, hactenus viderim; fed hæc, Schmidelii, Mülleri, Fabriciique deftitutus operibus, ex quibus major mihi lux affulgeat, porro haud perfequar. Interim, quæ primum ovata, erecta, & una cum operculo viridis, fubdiaphanaque fuerat anthera, fcapo jam rubro exiftente; inclinari ad fcapum demum incipit obtufo feu fcalæno fub angulo, formam oblongo-elliptoidicam, fupra,

pra, magisque ſubtus adhuc, convexam, aſſumendo; operculi contra conulus & ipſe tum parumper, ſed in contrariam ſuperioremque antheræ inclinatur partem ſaturate ruber factus. Serius adhuc peripherialis antheræ margo, ſed tamen & ipſe rubeſcit tandem totus; poſtrema, quæ obſcure rubro tingatur colore, anthera ipſa eſt, ſive verius inferior duntaxat ejusdem valvula; cum, quæ ſuperne polliniferum obtegit ſaccum, numquam non vireat. Hæc de diverſo antheræ, in diverſa ætate, colore. Ad ſtructuram ejusdem quod attinet, ea oblongo-ovalis, ſeu elliptoidica, utrinque convexa eſt, unilocularis, bivalvis, valvulis ſubæqualibus; ſuperiore tantillo minore, membranacea, decidua; inferiore magis coriacea, ultra ſuperiorem tantillo exſtante, in ſcapo, una cum operculo, permanente. Binas has intra valvulas, ſeminibus fœtus occulitur ſaccus, valvulis pene æqualis, membranaceus, & ipſe quoque elliptoidicus, virens, extus filamentis, plusquam capillaribus, aquoſe e viridi albentibus, & ex interiore operculi annulo ciliato defluentibus, involutus; qui maturo ſeminali polline disrumpitur, excidit, & deperit. Operculum obtuſe conicum, inferne ſub apice annulo elevato & ciliato inſtructum, ſtula in ſaccum antheræ deſcendente, & ſubintrante.

CC.

PHASCUM MUTICUM.

Phaſcum acaule, bulbiforme, foliis ovatis, muticis, concavo-conniventibus, antheram occulentibus. *Schreber. de phaſco. p.* 8. *num.* 4. *tab.* 1. *fig.* 11. & 12. Item *ſpicil. lipſ. p.* 72. *num.* 779.

Sphag-

Sphagnum acaule bulbiforme minus. *Dillen. musc. tab.* 32. *fig.* 12. Linnæus, Weissius, Leersius, Allionius pro insequentis Cuspidati varietate habent.

Ad agrorum margines in terra frequens primo vere. Bulbilli acaules, stipatissime aggregati, ovati, obtusi, unam, aut & semialteram lineam alti, erecti, intra terram fibrillis radicati exiguis albidis, constantes foliolis ovatis, muticis, sursum imbricatis, concavo-conniventibus, subdiaphanis, tenerrime (si contra lucem aspiciantur) reticulatis, antheram, sive capsulam sphæroidicam, unilocularem, univalvem, polliniferam, imperviam, osculi, operculique expertem, brevissime pedunculatam, apice cuspidula exigua terminatam, primum viridem, tum rufam, postremo fuscam, eorum in fundo nidulantem, occulentibus. Calyptra membranacea, hyalina, primum conica, tum a basi sursum versus, uno latere fissa, cuspidi capsulæ, brevicula sua acu, aliquo hærens tempore, dum cadiva, denique evanescat.

CCI.

PHASCUM CUSPIDATUM.

Phascum caule simplice erecto, foliis lanceolatis, acuminatis; inferioribus erecto-patentibus, summis conniventibus, antheram occulentibus.

Phascum acaulon, anthera sessili, foliis ovato-acutis, conniventibus. *Linn. sp. plant. p.* 1570. *num.* 1. *Weiss. crypt. p.* 266. *Leers. flor. herb. p.* 228. *num.* 807. *Allion. flor. ped. tom.* 2. *p.* 292. *num.* 2430. *Oeder. flor. dan. tab.* 249. *fig.* 3.

Pha-

Phafcum cufpidatum caulefcens, foliis ovatis cufpidatis patulis, fummis erectis conniventibus. *Schreber. de phaf. p.* 8. *num.* 3. *tab.* 1. *fig.* 1. 2. Item *fpicil. lipf. p.* 72. *num.* 780.

Sphagnum acaule bulbiforme, majus. *Dillen. mufc. tab.* 32. *fig.* 11.

Mufcus trichodes acaulos minor latifolius. *Vaillant. bot. paris tab.* 27. *fig.* 2.

Sphagnum acaulon, foliis ovato-lanceolatis, pilo ariftatis. *Haller. hift. ftirp. helv. tom.* 3. *p.* 24. *num.* 1726. huc pertinet: nam Haller fæpius folia in acumen terminata, pilo dicere folet ariftata.

Minime rarum fub Ziguln, & infra montem Calvariæ in aggeribus, argillacea terra obductis. Cefpites cauliculorum fimplicium. Cauliculi duas, tresve lineas alti, intra terram parte aliqua defoffi, ut vere acaules credas; foliis obfiti feffilibus, furfum imbricatis, lanceolatis, in acumen, nec verum pilum, productis, dilute viridibus, contra lucem velut reticulatis, fubtus longitudinaliter carinatis; inferioribus apertæ inftar rofæ erecto-patentibus, fuperne concavis; fummis aliquantum longioribus, in bulbum oblongo-ovatum conniventibus, antheram, five capfulam terminalem, in eorum fundo nidulantem occulentibus. Anthera fubfeffilis breviffime pedicellata, fubglobofa, ovatave cum exiguo acumine, ex viridi tandem fufca, unilocularis, univalvis, absque ofculi operculive veftigio. Calyptra conica, membranacea, acu brevi terminata, demum ab imo furfum fiffa, & decidens.

CCII.

PHASCUM PILIFERUM.

Phaſcum caule ſimplice erecto, foliis lanceolatis, longe piliferis, ſurſum imbricatis, erecto-patentibus.

Phaſcum cauleſcens foliis oblongis apice piliferis erectis. *Schreber. de phaſ. p.* 8. *num.* 2. *tab.* 1. *fig.* 6. 7. 8. 9. 10.

Clagenfurti perquam copioſum illico poſt nivis deliquium Martio, & Aprili in colliculis montis Calvariæ, circa Keſslin, alibique in terra argilloſa, una cum Riccia glauca &c. Humillimos & hoc quoque format ceſpitulos, ſat late perſæpe patentes, holoſerici adinſtar gramineo-virides; cauliculis adeo interdum copioſe addenſatis, ut in convexos protuberent pulvillos. Cauliculi hi ſimplices, duarum triumve linearum, intra terram fere penitus conſepulti, apicibus duntaxat exſtantes, ut ſeſſiles & acaules diceres roſulas erecto-patentes. Radiculis hærent fibrilloſis, capillaribus, compoſitis, undique diſcurrentibus, albidis; ſuntque erecti, filiformes, teretes, ex viridi tandem non nihil rubentes, foliis undique obſiti lanceolatis, integerrimis, viridibus, ſubdiaphanis, dorſo longitudinaliter carinatis, ſeſſilibus, erectis, ſurſum imbricatis, atque apice longum in pilum dilute vireſcentem abeuntibus. Terminantur Anthera ſubgloboſa, breviſſime in vertice cuſpidata, cæterum integerrima, impervia, absque veſtigio aperturæ oſcularis, nedum operculi ullius; vere uniloculari, univalvi, nuda, primum viridi, fuſca demum & nitente; breviſſime pedunculata, ſeu ſubſeſſili, libere ſpatioſeque nidulante ipſo in fundo ſupremorum cauliculi foliorum, in roſulam tandem exſplicatam patentium. Calyp-

tra

tra exigua, hyalina, antheram primum totam involvens, in acum longiuſculam ſubtruncatam abiens, tum matureſcente anthera ſive capſula, longitudinaliter dehiſcens; cuſpidi antheræ numquam deciduæ, diu inhærens, dum denique decidat, & evaneſcat.

CCIII.

PHASCUM SUBULATUM.

Phaſcum caule ſimplice erecto, inferne nudiuſculo, foliis ſuperne ſubulato-ſetaceis patulis obſito; anthera terminali nuda.

Phaſcum acaule, anthera ſeſſili, foliis ſubulato-ſetaceis, patulis. *Linn. ſp. plant. p.* 1570. *num.* 2. *Leers. flor. herb. p.* 228. *num.* 808. *Oeder. flor. dan. tab.* 249. *fig.* 1. 2. *Weiſſ. crypt. p.* 268. *Allion. flor. ped. tom.* 2. *a.* 292. *num.* 2431.

Phaſcum euleſcens, foliis lanceolato-linearibus, patulis. *Schreber. phaſ. p.* 8. *num.* 1. Item *ſpicil. lipſ. p.* 71. *num.* 777.

Sphagnum acaulon trichodes. *Dilleu. muſc. tab.* 32. *fig.* 10. *Haller. hiſt. ſtirp. helv. tom.* 3. *p.* 25. *num.* 1727.

Muſcus trichodes minor acaulis, capillaceis foliis. *Vaillant. bot. pariſ. tab.* 29. *fig.* 4.

In viarum cavarum lateribus argilloſis nusquam non, per omnes ſylvas montoſas Clagenfurto vicinas; tum in aggeribus muralibus limo inſtratis, Victoriæ, prope Keſslin, ſub monte Calvariæ, in *Schmalzbergl*, etiam ad margines declives agrorum, menſe Aprili ubivis. Hoc reliqua inter, maximum, ſegetes format ampliſſimas cauliculorum quinque, ſex, ſeptemve

linearum, ſimplicium ut plurimum, tamen & non numquam ramoſorum etiam; ſunt ii erecti, baſi nudiuſculi, cæterum undique foliis obſiti perquam denſe, ſubulato-ſetaceis, læte virentibus, erecto-patentiſſimis. Anthera ſubgloboſa, viridis, nuda, breviſſime pedicellata, & cuſpidula in vertice donata perquam exigua, ſpatioſiſſime in cauliculorum apice nidulatur inter exſtantia undique, patulaque folia, nuſpiam occultata; hæretque apici cuſpidulæ ejusdem, aliquo Calyptra membranacea ſubtiliſſima albido-hyalina tempore, dum tandem evaneſcat denique. Capſula, eadem quæ & anthera, nil niſi colore, & maturis interne mutata ſeminibus, eſtque ſaturate flavoruſa, vel & brunea, nitens; ut congenerum, unilocularis, univalvis, impervia, oſculo, operculoque, deſtituta. Initio Junii, cum maturæ jam capſulæ a cauliculis, integræ ut ſunt, excuſſæ ſuis, per terram quaquaverſum ſparſæ cernuntur, credas ſolum id omne ſemine Panici italici (cui capſulæ hæ demta magnitudine ſimillimæ) ſtudioſe conſitum fuiſſe. Plurimas earumdem microſcopio iterum examinavi iterumque, numquam, qua ſeminalem effundere poſſint pollinem, detegere potui aperturam: ut adeo putredine duntaxat corrumpi neceſſe ſit earumdem corticem, ut prolem ſemina propagare valeant.

CCIV.

BRYUM PHASCOIDES.

Bryum acaule, anthera oblongo-ovata, inter folia ovato-lanceolata, & ſetigera, ſubſeſſili.

Sphagnum ſeſſile, foliis radicalibus obtuſis, centralibus ciliatis. *Haller hiſt. ſtirp. helv. tom.* 3. *p.* 24. *num.* 1725. *tab.* 46. *fig.* 3. Item in *opuſc. p.* 273. *num.* 57. *tab.* 2.

Sphag-

Sphagnum acaulon maximum, foliis in centro ciliaribus. *Dillen. musc. tab.* 32. *fig.* 13.

Phasci subulati varietas! *Oeder. flor. dan. tab.* 249. *fig. suprema.*

Non habet elegantissimam plantulam Linnæus. Primus ejusdem inventor Hallerus, in opusculis suis, cum eleganti icone vulgavit, sub Sphagni acaulis maximi, foliis in centro ciliaribus, nomine; neque tamen calyptræ, osculive meminerat. Dillenio subinde transmisit, qui inventoris retinuit nomen. Sub generali deinceps Musci Müllerus; Schmidelius contra sub Buxbaumiæ; novissime denique sub Phasci Oederus nomine, proposuerunt. Ego jam annis labentis sæculi secundo & tertio supra septuagesimum, frequentem omnino & in Victoriensibus sylvis sub Julii finem, Augustoque læte florentem, & Clagenfurti iterum, in sylvis solo argilloso, retro montem Calvariæ post nivis deliquium, inveneram, attamen una cum Calyptra, osculique marginati ciliis. Quid facerem? cui, præ reliquis, adsociarem generi? Phasci omnino externam videbam faciem; at minime naturam. Capsula certe osculo hians! pectinato-ciliata! operculo caduco instructa! nonne satis a Phasci removent genere, cui Capsula osculi expers? Proprio seminum sacco, cum Buxbaumia convenit; at facie, structuraque tota, hiante osculo &c. plurimum item disconvenit! A Fontinalibus, nativitatis removet locus &c. perinde ac cilia aperturæ oscularis, ab imberbibus Sphagnis; ut adeo, nisi peculiare, novumque conderem genus, quod mea unius nolim autoritate, meliore nesciam reponere loco, quam Brya inter, Apocarpo proximum. Cauliculi simplices, solitarii, aut aggregati, erecti, trium quatuorve linearum altitudine, terræ ita demersi, ut plantulam acaulon dicas, foliis undique cincti, radiculis capillari-fibrillosis albidis hærentes. Folia duplicis generis; exteriora, eaque simul inferiora,

duplo interioribus breviora, læte viridia, lineari - canaliculata, angusta, fine obtuso, in rosulam apertam patentia. Interiora sessilia, ovato - lanceolata, apice longe setigera, dorso carinata, aquose virentia, semidiaphana, erecta, demum erecto - patentia. Anthera terminalis, profundissime nido foliorum circumstantium & obvallantium immersa, brevissimo super pedicello subsessilis, magna, oblongo - ovata, nuda, primum viridis, tum dilute rufa, opaca, osculo circulari; coronata margine annulari elevato crassiore, intra quem pecten membranaceus albidus in conum truncatum lacero-ciliatum attollitur, facco pollinifero, & ipso ovato, antheræ incluso. Operculum elongato - conicum, acuminatum, subincurvum, viride. Calyptra rufa, diaphana, conica, basi integerrima, apice in setam incurvam terminata, dimidium præcise operculum ambiens, demum una cum operculo decidens. Foliorum exteriorum in rosulam patentium, nonnulla bifida trifidave simplicibus mixta.

CCV.

BRYUM SPHAGNOIDES.

Bryum antheris subsessilibus, ovatis, terminalibus, lateralibusque, osculo imberbibus, calyptra fugaci minima.
Sphagnum nodosum hirsutum & incanum. *Dillen. musc. tab.* 32. *fig.* 5.
Muscus saxatilis tortuosus & nodosus. *Vaillant. bot. paris. tab.* 27. *fig.* 18.
Hypnum caulibus teretibus ramosis, foliis ovato - lanceolatis, pilo aristatis; operculo conico. *Haller. hist. stirp. helv. tom.* 3. *p.* 40. *num.* 1792.

Et

Et hæc quoque ex iis eſt plantula, quæ, uti mox dicta, plurimum botanicos diſcrutiare valeat; dubios, cui aptiſſime adgregent generi? aut pro novo proponant? hoc tamen non obſtante, Linnæus, & cum eo Gunnerus, Scopolius, Leerſius, nec non & Weiſſius, mera pro Varietate Bryi Apocarpi, reclamantibus ipſa cum natura, Dillenio, Hallero, Vaillantioque, propoſuerunt. Mihi, ut verum fatear, dubitatum de eo erat numquam, anne ab Apocarpo differret, quocum conjungi numquam poſſe videbam. Anxius unice hærebam, & vel modo adhucdum ſum, ad quod potiſſimum genus relegem? cum nova, inconſultis aliis Eruditis, condere genera, propria non auſim autoritate; Sphagnum cum Dillenio ſemper dicturus, ſi calyptra (quam ſemper habet) careret. Hac forſan de cauſa, Hypnum eſſe voluit Hallerus? cujus caractere nihilominus in Linnæi ſyſtemate perinde, ac Bryi deſtituitur. Et tamen dicendum eſt aliquid; Bryum eſto igitur; quocum habitu ſaltem; externaque facie ſimilitudinem, quam cum Hypnis, majorem habet, Plurimum id per omnes, qua ultra terram exſtant, rupes viſitur tam Victorienſibus in ſylvis, quam in iis, quæ Clagenfurto non longe diſtant ſupra infraque montem Calvariæ; ad Keſslin, Ziguln, *Schmalzbergl.* In arboribus etiam ipſis ſylveſtribus, minore tamen in copia. Caules illi altiores, magisque ramoſi, quam vulgo Bryo Apocarpo L, ramis etiam magis plerumque, quam in iſto diffuſis. Nodoſos cum Dillenio jure dixit Vaillantius, & funium quoque more (dum ſicci ſunt) teretes intortosque, qui in Apocarpo recti, æquabilesque nunquam non ſunt, nodulis lateralibus interſtincti nullis. Sed enim neque capſulas in Apocarpo, præter terminales, videas ad caulium, ramorumque latera ſeſſiles umquam, quæ intra laterales conſepultæ gemmas, nodulos illos in Bryo efficiunt ſphagnoide. Foliis ii caules undique, & ſtipate obſiti ſunt non atro-virentibus, dilute imo, & læte viridibus, ovato-lanceolatis, concavis, api-

ce

ce pilo elongato & niveo terminatis, in humore furfum imbricatis, & erecto-patentibus; per ficcitatem in caulem decumbentibus, eumque & ramos involventibus, ut teretem intortamque iis concilient faciem aquofe virentibus, niveaque tum undique adfperfis lanugine, ex qua eminus jam agnofcas illico; cum cefpites contra Apocarpi nigrefcant. Dixi antheras in Apocarpo terminales præcife effe, & quidem faturate rubentes, cylindraceas, ora ofculi ciliis paleaceis coronata; fubfphæroidicæ contra eæ funt, exiguo infiftantes pedicello (nifi fetulam dicere malis) quæ non ad apicem modo caulium ramorumque, fed ad latera quoque in Bryo fphagnoide undique nodoferum inftar gemmarum confpiciuntur. Rubras eas vidi numquam, fed e viridibus, quales primum erant, faturate demum per maturitatem paleaceas; apertura ofculi ftrangulata tantifper, integerrima, circulari, lævi, nec ullis coronata ciliis; fed operculo tecta fubhemifphærico, brevi cum cufpidula in vertice; cui exigua, nec tamen diu, tenerrimaque hæret calyptra membranacea, hyalino-fubflavefcens. Confepultæ veluti funt antheræ hæ tales, inter exftantia undique & erecto-patentia gemmarum folia, non tamen proprie, tamquam in nido, feffiles; fuæ quævis, ut innui, infiftit fetæ admodum breviculæ, nec bafi bulbiferæ, nec perichætio, a gemmarum foliis diftincto, involutæ.

CCVI.

BRYUM RECURVUM.

Bryum antheris erectis, lateralibus, furculo brevioribus; foliis fetaceis fecundis falcato-recurvis.

Bryum foliis mollibus fubulatis, fetis breviffimis alaribus, capfulis ovatis. *Haller. hift. ftirp. helv. tom.* 3. *p.* 43. *num.* 1802. *tab.* 46. *fig.* 8. Item *opufc.*

opusc. p. 269. *num.* 55. *tab.* 1. sub nomine Bryi capillacei crebris per caulem capitulis.

Singularem muscum, copiosum super eversis semiputrescentibus arboribus, tum saxis sylvarum umbrosissimis inveni in adscensu in alpes Spitalenses retro Hintereggen versus *böse Nase.* Cespites maximi surculorum bipollicarium ramosorum læte ex flavo virentium, foliis undique & dense vestitorum; ea trium quatuorve sunt linearum, setacea, basi duntaxat perparum latescente ad amplexandum velut surculum, unam in partem omnia, una cum surculorum, ejusque ramorum apice recurva, & falcata. Antheræ semper laterales, plures in quovis surculo, axillares, interdum duæ tresve aut quatuor admodum contiguæ, ut in verticillum ordinatas crederes; numquam autem terminales; sunt eæ ovatæ, virides, pedicellatæ; pedunculo brevi, linearum duarum triumve, numquam ad altitudinem surculi pertingente, minus eamdem excedente; basi bulbillo oblongo, duro, atro - rubente, nudo, absque perichætio, instructo. Operculum obtuse hemisphærico - conicum; apertura osculi ciliis rubris coronata. Calyptra parva dilute rufescens, basi planiuscula, dimidiata, membranacea, in acum brevem acicularem apice abiens & decidua, antequam ad mediam capsulæ maturitatem perveniat. Capsula erecta, oblongo - ovata, truncata, rufescens striata, delapso operculo, ore hians orbiculato ciliato. Addit propria ex observatione Hallerus, pollinem seminalem intra saccum proprium, a capsula distinctum, contineri; nec tamen propterea Buxbaumæ species. Ex descriptione patet, plurimum Bryum hoc, a proximo B. pomiformi L. differre; cum eodem nihilominus Scopolius conjunxit. Mihi alias Bryum alpinum audiebat: at quoniam ex altera Mantissæ Linnæi parte jam video, idem alpini secificum nomen Bryo Dillenii tab. 50. fig. 64. datum fuisse,

ad evitandam, quæ exinde oriri poſſet, confuſionem, Recurvum malui dicere, ob folia in alteram partem recurva & omnino falcata.

CCVII.

BRYUM CONTORTUM.

Bryum anthera erecta, cylindracea, oblique intorta; caule ramoſo; calyptra exſtinctorii forma, laxa, aurea, longe ariſtata.
Bryum calyptra exſtinctorii forma majus & ramoſum. *Dillen. muſc. tab.* 45. *fig.* 9.
Bryum caule foliofo, calyptra cylindrica, ciliata, longe ariſtata. *Haller. hiſt. ſtirp. helvet. tom.* 3. *p.* 48. *num.* 1828. *tab.* 45. *fig.* 3.

Satis frequens in muris, rarius tamen florens. Labaci olim in muro cingente Tempellum pagi Ziska, iterum in muro cingente Caſtellum Kaltenbrunn. Tum Clagenfurti ubivis in muro urbem cingente ſeu mæniis; & florens in fine Octobris in muro circum tres cruces Montis Calvariæ &c. Elegantiſſime, maximeque ad naturam accomode id Hallerus tab. 45. fig. 3. ſculpi fecit; jure a Bryo exſtinctorio ſeparandum, cum Dillenio; etſi Linnæus, Gunnerus, Leerſius &c. majorem duntaxat ejusdem Varietatem eſſe exiſtiment. Ceſpites format majuſculos, ſaturate, & fere ex nigro virides. Caules etiam plusquam pollicares, teretes, purpurei, ramoſi, erecti; foliis undique ſparſis imbricati, erecto - patentibus, ſeſſilibus, lanceolatis, ſaturate viridibus, ſubtus nervo exſtante purpureo, longitudinem dorſi per-

cur-

currente, insignitis. Nervus hic ultra folii apicem exſtat, in inferioribus ſemitabeſcentibus & rufis foliis. Setæ antheriferæ terminales, ſimplices, non numquam & laterales, aut ex dichotomia caulis; primum ſurculis fere breviores, ſed iis tandem etiam longiores, ſemi alterius pollicis longitudine, erectæ, baſi bulbo oblongo, duro, nigricante, nudo, nec perichætio, inſtructæ, tandem rubræ. Capſula cylindracea, longitudinaliter oblique intorta, virens, ex viridi rufeſcens, denique fuſca. Oſculum ciliatum. Operculum ſaturatius rufum, acu longa, ariſtæ inſtar, inſtructum. Calyptra capſulis longior, latiorque, cylindraceo-companiformis, vere Exſtinctorii forma, nuda, flavo-aurata, lævis, nitens, ſerici inſtar firma, baſi æqualiter truncata, obſolete ciliata, apice in acum longiuſculam, triſte ſubvirentem, ac tandem fuſco-rufeſcentem terminata.

CCVIII.

FONTINALIS CAPILLACEA.

Fontinalis foliis lineari-ſetaceis; antheris ex gemmis lateralibus, cylindraceis; operculis elongato-ſubulatis.

Fontinalis foliis lineari-ſetaceis. *Linn. fl or. ſuec.* 2. *p.* 379. *num.* 962. *Gorter. flor. belg. p.* 301. *num.* 836. *Scopol. flor. carn.* 2. *tom.* 2. *p.* 307. *num.* 1287.

Fontinalis capillacea, calycibus ſtyli inſtar cuſpidatis. *Dillen. muſc. tab.* 33. *fig.* 5.

 Ope-

Operit ſaxa late omnia, ſuper quæ prorumpens ex immani ad Haasbergam ſpecu Unzius diffunditur; tum & frequentiſſima in confragoſis rupeſtribus Cataractarum fluvii Labaci ad caſtellum Kaltenbrunn; ubi & radicibus truncisque Salicum, ab iisdem humectis, increſcit, quibus ripa coercetur, ex utraque ſuperſtructi pontis parte. Incredibile vero eſt, quantum laboris, moleſtiarumque, ſubaquoſæ iſtius ſtirpis mihi faceſſiverit inquiſitio. Capillaceam Dillenii (quamvis figura non maxime probaretur) primum eſſe credebam, reſpondebantque, quæ ad latus adjecerat, ſingillatim folia; at Linnæus haud receperat. Americana præterea dicebatur ſtirps. Gorterus, ut multi ſolent, nuda præter verba, ex aliis repetita, docebat nihil. Scopolius ſulcatis, tortilibusque ſetis fere confundebat etiam. Placebat, ut non poſſet magis, deſcriptio Fontinalis Halleri num. 1796. Sed ſquamoſam Dillenii, Linnæique afferebat eſſe; quacum conjungere meam, nec ſolia, nec perichætia, minime vero omnium, operculorum cuſpis elongata, acutiſſimaque, ſinebant. Miſeram tum ad amiciſſimum Hedwigium, qui per litteras de Sphagno Dillenii heteromallo polycephalo, ſive Arboreo Linnæi ſuſpicionem ſuſcitaverat! attamen non repit mea, ſed liberis per undas, fluitantibusque fluctuat caulibus! Inutilem denique pertæſus laborem, quando quod peculiariter caracteriſticis ſpeciei adverſaretur notis, nihil admodum haberem, Capillaceum Linnæi, Dilleniique, absque metu dicere, anſus ſum. Liberis ergo, ut innui, fluitantibusque per undas fluctuat caulibus Fontinalis hæc capillacea, eo omnino modo, ut id in ſquamoſa ſua Dillenius tabula 33. fig. 3. exhibuit. Conſervarum adinſtar, nudis baſi ſua hærentes ſaxis, undarum liberi ſequuntur arbitrium ſurculi breves, ab uno ad quatuor, quinqueve pollices longi, ramoſiſſimi, ex viridi tandem atro-purpuraſcentes, ac denique nigri, ſetæ nonniſi equinæ craſſitudine, ceſpitoſe non raro naſcentes, foliis nulla certa lege, undique

po-

potius conferte fparfis obfiti furfum fubimbricatis, intra aquam erecto etiam patentibus, fubdiaphanisque, etfi e faturato plane virore nigricantibus, imo nigris demum. Sunt ea folia, ut fua Dillenius ad latus, fub *a.*, & *b.*, exhibuit, feffilia, furculos velut amplectentia, vix tertiam lineæ partem lata, tres, quatuorve longa lineas, lineari-lanceolata, inque fetam plerumque abeuntia capillarem, omnino lineari-fetacea, dorfo nervulo exftante carinata, intra aquam fuperne naviculari-canaliculata, & recta, extra eamdem deficcata, fere planiufcula, oblique longitudinaliter intorta, apicem verfus incurva & crifpa. Antheræ per caules ramosque interdum creberrimæ, fæpe etiam eo plane modo fecundæ, ut in Sphagno heteromallo Dillenii tab. 32. fig. 6., femper laterales; non equidem in foliorum axillis feffiles; fed e gemmis, ut ita dicam lateralibus, duas, nifi & amplius quandoque, lineas longis, foliis furfum imbricatis, obfitis; intra quorum terminalem velut nindum adinftar perichætii, breviffimæ infiftunt fetæ, apicibus capillaceis foliolorum undique obvallatæ. Earum, viridium adhuc, figura, ovato-oblonga eft, mox tamen in cylindaceam abit; operculo tegitur elongato, conico-fubulato, faturate rubro, acutiffimo, bafi margine annulari craffiore, magisque rubro circumfcripto. Calyptra & ipfa rubra plus minus; bafi dimidiata, truncata, lacero-ciliata, acu terminata longa, fubulata, demum fufcefcente. Capfulæ cylindraceæ, rufæ, læves, ofculo ciliis rubris coronato. Halleri Fontinalem num. 1796. ut jam dixi, libens ifthuc referrem, nifi ipfe, eamdem cum fquamofa Linnæi diceret.

CCIX.

LICHEN FLAVO - VIRESCENS. *Tab.* 13. *fig.* 4. *lit. b.*

Lichen leprofo - cruftaceus, tener, ex flavo - virefcens; tuberculis lentiformibus, trifte luteis.

Non rarus nudis in rupibus montis Calvariæ, *Schmalzbergl* &c. crufta leprofa, glebulofa, tenera, etiam cum tempore groffior, aquofe ex flavo virefcens, numquam figurata, ut ea Lichenis candelaris L., late per faxa diffufa, firmiffime iisdem hærens; tuberculis feffilibus, convexe lentiformibus, non marginatis, interdum confertiffime aggregatis, trifte luteis, obfita. Deficcatione, ut in hac gente folet, expallefcit decoloraturque interdum, non femper, extimus tuberculorum ambitus, ut albido - marginata credas, & forfan etiam fcutellatis accenfendum exiftimes Lichenibus. An huc Schreberi, ex Zoega, fulvus, referendus?

CCX.

LICHEN FUSCO - ATER. *Tab.* 14. rupeftris *fig.* 3. arboreus *fig.* 4.

Lichen leprofo - cruftaceus, farinaceus, obfcure grifeus; tuberculis lentiformibus, immarginatis, atris.


Lichen leprofus fufcus, tuberculis atris. *Linn. fp. plant. p.* 1607. *num.* 5. *Leers. flor. herb. p.* 253. *num.* 929. *Schreber. fpic. lipf. p.* 136. *num.* 1138. *Weiff. crypt. p.* 39.

De

De induftria vulgaris iftius in rupibus, minus tamen frequentis in arboribus, memini Lichenis; nondum enim, quibus adhucdum involutus videtur tenebris, difcuffæ funt omnes. Floras, qui eundem recenfent, confului plurimas; exiguo tamen fateor emolumento; doctior factus nihil. Ipfe infeliciter Linnæus, ficubi, ifthic profecto laconicus maxime. Eo, opinor, res delabitur denique, ut, quæ vocis *fufcus* fignificatio fit? fciamus. Proprio in fenfu colorem denotat ex rubro nigroque mixtum, quem paffim extra Latium, bruneum dicimus, magis aut minus faturatum; atque optandum etiam foret, ut ne umquam aliter acciperetur, five acceptus jam fuiffet fæpius. Video tamen; in hiftoria præprimis naturali, colorem fufcum, jam pro nigro, aut nigricante faltem, vel & pro obfcure grifeo &c. & quod minus adhuc ferendum, pro quovis paffim obfcuriore, absque difcrimine, folere accipi. Quanta hinc confufio! quanta in intelligendis autoribus, aut in rite ordinandis eorumdem fynonymis difficultas! dum demum ne certi quidem fumus, anne omnes, qui eadem de re loqui videntur, eamdem omnino præ oculis — — aut & in mente folum, habuerint? A Linnæo in defcriptione Lichenis iftius, colorem fufcum pro atro-rubente, five bruneo acceptum fuiffe, ego quidem mihi perfuadere non poffum; minus adhuc, pro nigro; ut Weiffius, & indubie Meerfius quoque fupponere videntur. Crediderim verius ad fordide & obfcure grifeum refpexiffe; atque hoc quidem in fenfu a me hactenus acceptus eft femper, quoties in defcriptione Lichenis fufco-atri Linnæi adhibitum legi. Eft Licheni huic Lepra tenera farinacea, in cruftam duriufculam confluens, arctiffime faxis hærens, coloris fordide, & obfcure grifei, in dilutiffimam velut umbræ (*Schatten*) nigredinem emorientis, latiffime per faxa, rarius arbores, undique diffufa; obfita undique frequentiffimis diverfæ magnitudinis tuberculis convexis, lentiformibus, margine difcolore nullo circumfcriptis. Adjeci

vul-

vulgare, ut in ſaxis reperitur, ſpecimen, & minus frequens arboreum aliud. Atque ſic omnino optime exiſtimo diſtingui poſſe Lichenem hunc fuſco-atrum a proxime agnatis congeneribus ſanguinario, petræo, calcario, & & carbonario, quibus omnibus tuberbula immarginata atra ſunt in cruſta leproſa diverſorum colorum.



I N-

INDEX

PLANTARUM HIC DESCRIPTARUM.



V.

V.

JOANNIS ANDRÆÆ SCHERER.
MED. DOCTORIS

ANIMADVERSIONES QUÆDAM CIRCA EUDIOMETRIAM.

Vix alia aerologiæ pars ferioribus hifce annis utilitate fua inclaruit magis, quam exoptatiffima Eudiometriæ doctrina. Neminem enim latet, qui gravia illa confiderat, quæ de falubritate aeris, veterum tempore tantis obvoluta tenebris, deque conftitutione, compofitione ac influxu atmofphæræ in corpus humanum, tum de phyfiologia refpirationis agunt, quantis hæc nuperis luftris & phyficam & medicam difciplinam ditaverit, & illuftraverit. Sed prout omnis magni momenti inventio folet, fic nec hæc vituperatione omni caruit; dum vel aerem nitrofum, medium, quo atmofphærici aeris bonitas exploratur non fatis efficacem, vel inftrumentum, eudiometrum dictum, vel ipfam examinandi methodum non tutam fatis judicant. Non enarrabo prolixiore fermone difputata & controverfa. Unicum eorum argumen-

tum leviſſime tantum tangere licet, cui nonnulli Phyſici usque adeo indulſere, ut omnem puritatis aeris explorationem pronunciaverint vagam atque ſuſpectam. Ajunt enim, mixturam aeris nitroſi & examinandi fixo carere imminutionis puncto, ideo, quod volumen utriusque aeris in tubo eudiometrico contenti in dies, imo de hora in horam, decreſcat ſenſibiliter. Verum experimenta, tum a Cl. Ingen-Houſzio, tum a me inſtituta & publici juris facta demonſtrarunt manifeſte, iſtam imminutionem locum non habere, ſi modo uterque aer, agitando tubum in momento contactus mutui, intime miſtus eſt. Plura taceo nimis levidenſia, quam iis refutandis immorari operæ pretium ſit.

Sed majorem attentionem, indaginem majorem merentur obſervata, nunc fuſius pertractanda, quibus hodierni nonnulli Phyſici contenti Eudiodiometrum tanquam Herculis clava jamjam percutere volebant. Hæc ad bina redeunt, quorum ſcilicet alterum certam aeris factitii ſpeciem, nitroſi aeris ope abſorbendam, alterum ipſiſſimam hanc ſpeciem animalibus lethalem ſpectat. Talia a Cl. Achardo facta inſinuantur (in libro, cui titulus Magazin *für das neueſte aus der Phyſik* Tom. III. part. I. pag. 166.) his paucis: Aer ex detonatione anaticarum partium nitri & limaturæ ferri, in retortis tubo perlongo & aperto inſtructis quarum orificia ipſo momento deflagrationis finitæ paſta obturabantur argillacea, obtentus, conſtat aeris fixi una parte, & tribus partibus alterius aeris flammam exſtinguentis, animalibusque lethalis. In Eudiometro dum cum æquali menſura nitroſi aeris miſcebatur, traminutio totius erat ad $\frac{3}{10}$ (in documentum, Eudiometron aeris qualitatem animalibus noxiam tuto non indicare). Nec aeris inflammabilis nec nitroſi fuit indolis.

At

At vero quibusnam animalibus fuit aer iſte factitius lethalis? Quo temporis intervallo moriebantur, reſpectu habito ad aliud ejusdem ſpeciei animal, æquali volumini aeris communis incluſum? Fuitne aer iſte ab inquinanti fixo & vaporibus nitroſo-acidis depuratus? Tandem quo inſtrumento, quave methodo inſtituebatur bonitatis aeris examen? Hæc omnia deſiderantur.

Experimenta hæc, jam animus erat, repetere. Verum, quum proceſſus nec in cucurbita vitrea, longiſſimo collo inſtructa, nec in retorta, illa in balneo arenæ, hæc in igne aperto, expectationi meæ neutiquam fecerit ſatis, utrumque enim vas fiſſum eſt vi ignis, haud incongruum me facturum exiſtimabam, eum alia a præſcripta non multum abludente methodo inſtituere. En! tentamina.

EXPERIMENTUM I.

Detonare feci drachmam circiter dimidiam pulveris ſubtiliſſimi ex æqualibus nitri & limaturæ ferri portionibus facti, ſub inverſa campana vitrea 64 pollices cubicos capiente, ſuper fruſtulo carbonis candentis. Momento detonationis finitæ ſemovi carbonem; campanam patinæ tantillum aquæ continente imponens. Iſtius aeris certam quantitatem cum aqua calcis recens parata agitavi, donec nulla abſorptionis ſigna apparerent. Obtinui $\frac{18}{100}$ partes aeris fixi. Reſidua portio ab omni inquinamento aeris fixi depurata, & in Eudiometro Cl. Fontana nitroſi aeris ope ex cupro & nitri acido parati explorata, ſequens exhibuit reſultatum. Una examinandi unaque nitroſi aeris menſura occuparunt finita agitatione in tubo eudiometrico $200 - 136 = 64$. Flammam ipſi immiſſam citiſſime extinguit.

Vifurus effectum iftius aeris in vitam animalem, inclufi aviculam (felegi Spinum Lin.) in campanam vitream 32 pollices cubicos aeris factitii ab omni aere fixo depurati capientem. Animal mox anhelat, anxie refpirat, & elapfis vix quatuordecim fecundis afphycticum cadit. Extractum & aura dephlogifticata refocillatum, tardiffime convaluit.

Hic notabo, in omnibus fequentibus experimentis me aeres factitios five examinandos, five ad refpirationem animalium infervituros, depuraffe femper ab inquinante aere fixo, adhibuiffeque aquam calcis recens paratam, talemque aerem nitrofum, tandem etiam aviculas ejusdem fpeciei & magnitudinis.

Repetii idem experimentum. Quantitas aeris fixi erat $\frac{5}{100}$; qualitas 200—128=72. Flammam exftinguit.

EXPERIMENTUM II.

Detonare feci carbonis & nitri pulverem, æquali portione miftum eadem methodo, eadem quantitate. Aer campanæ, detonationi expofitus, gaudebat $\frac{7\frac{1}{2}}{100}$ aeris fixi. Qualitas ejus erat 200—134=56. Alendæ flammæ infervit; ipfe vero inflammabilitatis proprietate deftitutus. Animal aeri huic inclufum fpatio triginta fecundorum periit.

Idem tentamen eodem modo iterans, deprehendi quantitatem aeris fixi $\frac{7\frac{1}{2}}{100}$; qualitatem 200—145=55 graduum. Flammam alit; animal fuffocat.

EXPERIMENTUM III.

Ut experirer qualitatem aeris, in quo nitrum cum minima poſſibili quantitate carbonis deflagravit, detonare feci drachmam circiter dimidiam nitri pulveriſati ſub campana, fruſtulum carbonis candentis, fili ferrei ope, ſupra nitrum hinc inde ducens. Deflagrata maxima nitri parte, & extracto ſubito carbone aquam affudi patinæ, cui inſidebat campana, albiſſima nunc nebula, quam clyſſum nitri vocant, plena. Dum aerem examinarem, comperi $\frac{5\frac{1}{2}}{100}$ aeris fixi, & qualitatem 200—120=130. Flammam non extinguit. Animal minuto dimidio vix ad finem vergente convulſum perit.

Idem iterum experimentum, phænomeni peculiaris gratia, bis repetii. Alterum $\frac{5\frac{1}{2}}{100}$ aeris fixi; 200—122=78; alterum $\frac{5}{100}$ acidi aerei & gradum qualitatis 200—125=75 monſtravit. Uterque aer flammam ardere ſivit, uterque animalibus lethalis.

EXPERIMENTUM IV.

Incluſi animal in campana vitrea, capiente 82 pollices cubicos aeris communis, cujus bonitas erat 92 graduum. Elapſis quatuordecim horæ minutis inquietiſſimum fuit, orthopnoicum, ſuffocationi proximum. Aer hic, jam $\frac{4}{100}$ fixi aeris gravidus, erat qualitatis 200—137=63.

EX-

EXPRIMENTUM V.

Ipſemet 64 pollices cubicos aeris communis 92 graduum duobus hauſtibus inſpiravi inſtrumento in hunc ſcopum invento & a Cl. Ingen-Houszio deſcripto. Quantitas aeris fixi $\frac{2}{100}$; qualitas $200-137=63$. Animal elapſo dimidio minuto morti proximum viſum eſt. Flammam non extinguit.

EXPERIMENTUM VI.

Tandem inſpiravi aerem communem unico dumtaxat hauſtu, quantitate & methodo ut prius. Inde ejus bonitas naturalis 92 graduum reducta eſt ad $200-125=75$. Animal ipſi immiſſum poſt novem minuta ægerrime animam ducere cæpit. Flammam alit.

Quod diverſitatem reſultatorum in reiteratis experimentis attinet, quæ aeris fixi quantitatem, tum quæ qualitatem ipſius aeris, detonantibus corporibus expoſiti ſpectant, hanc non alteri cauſæ, quam majori minorive deflagratæ maſſæ indeque evolutorum fluidorum aeriformium quantitati tribui poſſe, per ſe fluit. Nihilominus tamen omnis aer, ubi nitrum addito corpore phlogiſtico majore quantitate detonavit, animalibus noxius & lethalis viſus eſt, quantumvis diverſi fuerit gradus. Hujus rei exemplum præbet aer in I. experimento obtentus, qualitatis dumtaxat 78 graduum, ſicque 12 tantum gradibus inferior bonitate aere communi, adeo noxium in animal exercens effectum, ut hoc vix dimidio elapſo minuto morti proximum eſſet.

Enar-

Enarratis hactenus experimentis liceat jam quasdam ſubjungere animadverſiones; viſuri num phænomena iſtarum aeris ſpecierum legibus eudiometricis adeo contraria ſint, ut primo intuitu videntur; an non potius ad fulciendam, firmandamque eudiometriæ doctrinam concurrere valeant. Juvat autem breviſſimis primas tangere hujus doctrinæ lineas, eo fine præmittendas, ut ea, quæ jam in explicandis experimentorum phænomenis enarranda reſtant, tanto paucioribus a me expediri, tantoque facilius intelligi poſſint. En principales Eudiometriæ canones.

I. Phlogiſton reſpirabilem aerem vitiat, eumque reſpirationi ſuſtentandæ ineptum reddit.

II. Aer communis proprietate gaudet ſeſe conjungendi cum phlogiſto; certam duntaxat quantitatem recipere valens.

III. Medium examinandi quantitatem iſtius principii inflammabilis in certo aeris reſpirabilis volumine inter alia princeps eſt aura ſic dicta nitroſa. Iſtius enim proprietas ſingularis conſiſtit in abſorptione vel imminutione aeris reſpirabilis, quantitati phlogiſti huic inhærenti proportionata. Ut igitur aura nitroſa eo imminuat magis aerem reſpirabilem, quo minus hic inflammabilis in ſe fovet principii, & vice verſa; hocce vero ſaturatum imminuat aerem nullatenus. Inde canon eſt: puritatem, ſalubritatemve aeris eſſe proportionatam abſorptioni voluminis utriusque æquali portione miſti aeris videlicet examinandi & nitroſi. Atque hæc ſunt, circa quæ omnis Eudiometria & diagnoſis conſtitutionis aeris verſantur.

Jam ergo de ipſo aere agamus, & quidem de illo factitio in experimento I. & II. obtento, reſpirationi ſuſtentandæ inepto, & ab aere nitroſo abſorbendo. Partes iſtius aeris conſtitutivæ, etſi non ſponte aut tam facili encheresi adhibita ſecedant, non adeo difficulter tamen indagari poſſunt, habito reſpectu ad corpora deflagrata. Eſt igitur fluidum hoc ex non unius generis aeriformi ſubſtantia compoſitum, dephlogiſticata ſcilicet, inflammabili, fixa & portione aeris communis. Dephlogiſticatam præbet nitrum, utpote vi ignis fuſum magnam iſtius quantitatem largiens. Inflammabilem ſuppeditant carbo, ferrumque. Fixum aerem, de cujus indole Phyſici hodiedum certant, ex dephlogiſticatá ſubſtantia, ſaturata phlogiſto, productum ſtatuimus cum Cl. Kirwan. Quod denique aerem communem attinet, hic portio illius eſt, qui intra campanam reſtitavit. Proportio horum elementorum variat pro diverſa quantitate materierum deflagrantium, & fluidorum aeriformium inde expulſorum, hinc vix ad calculum certum reducenda.

His præmiſſis aeres in Experimento I. & II. producti nil ſingularis, quod amplius nos morari debeat, præ ſe ferunt, utpote ex binis ſubſtantiis compoſiti, altera dephlogiſticata nitroſi aeris ope abſorbenda, altera inflammabili; vitæ animali peſſima mephiti. Hæc enim poſtrema valet auram omnium ſaluberrimam, dephlogiſticatam ſcilicet, iteratæ reſpirationi ineptam vitæque animali noxiam reddere, etſi parca doſi inhæreat. Id egregie confirmatur obſervatione Cl. Ingen - Houſz (Experiences ſur les végétaux. Nouvelle edition, à Paris 1787. p. 303.) qui, certam aeris inflammabilis ex ferro & acido vitrioli obtenti quantitatem cum incluſis plantis exponendo radiis ſolaribus, invenit aerem iſtum, etſi nunc atmoſphærico puriorem, & a nitroſo abſorbendum, adeo noxium in pullum exercuiſſe effectum, ut elapſo

pſo minuto primo morti proximum fuerit. Aer hic adeo modificatus conſtanter tamen inflammabilis imo exploſivus obſervatus eſt.

Sed alia quæſtio eſt, unde primaria cauſa hujus qualitatis, reſpirationis mechaniſmo adeo fatalis, derivanda ſit; hoc opus, hic labor. Tantis enim premitur ejus indago difficultatibus, ut et heic non niſi probabilia ſequi, neque ultra id, quam quod veriſimile occurrit, progredi liceat. Ego vero maxime ſic puto, eam in peculiari quodam ſtimulo eſſe quærendam. Quidnam autem hic ſit, quidnam in reſpirationis negotium agat, difficillimum dictu eſt. Præſtat igitur hac in re ignorantiam ſuam fateri, quam hypotheſibus aliorum animos demulcere. An aeres iſti conſtringendo ſpaſtice pulmonum bronchias ipſasque cellulas aereas? anne totum reſpirationi dicatum viſcus paraliticum reddendo enecant?

Jam ergo in altera aeris ſpecie exp. III. detonatione nitri cum pauco phlogiſto obtenta conſideranda occupabor. Eſt hicce aer alendæ flammæ aptus, a nitroſo aere abſorbendus; lethalis tamen animalibus. Multum aeris dephlogiſticati ipſi ineſſe, a priori ſuſpicari poteram. Aſt, ſi proprietatem flammam alendi excipis, vix ullas in tentamine monſtrat dephlogiſticati notas. Imo eſt puritate aeri communi inferior in ratione media ut 77 ad 92. Non hic jam inquiram, unde hæc modificatio petenda; etſi non inficias eam, aliquid phlogiſti ſub detonatione aeri accedere potuiſſe ex carbone. Proprietatibus his inexſpectatis perculſo in mentem venit, an non fortaſſis hæc in experimentum tracta avium ſpecies aeris atmoſphærico paulo impurioris impatientior ſit, ſiquidem altiores regiones amans puriore aura veſcitur, quam quæ prope terræ ſuperficiem eſt. Quare ſtatueram experiri, aerem communem inſpirando ad illum circiter gradum phlogiſticare, quo aer

factitius gaudebat; cui tandem includebam animal. Respiravit autem in hocce aere, qualitatis 75 graduum & alendæ flammæ apto per integra novem minuta, priusquam ægrotare cæpit. Patet etiam ex experimento IV. & V. aerem animalibus his tum primo noxium esse, quando qualitas ejus phlogistica 63 gradum excedit. Quum jam istius aeris factitii vis adeo lethalis in solo phlogisto haud quærenda sit; debet igitur aliud quidpiam esse, quod eum vitæ animali pernitiosum reddit.

Quæ cum talia sint, quæritur, quidnam respirationis negotium vitiet? Hoc in eadem causa, si quid recte video, positum esse videtur, quemadmodum superiore loco dixi. Respondet huic sententiæ aptitudo aeris, tantum intra pulmones exhalantis phlogisti in se recipiendi, quantum ad respirationem reiteratam necesse est; imo vero & respondent aeres, alterius quam phlogisticæ indolis, quippe vaporibus acidis, causticis, aut plantarum effluviis inquinati, etsi elevandis pulmonibus apti, & nitrosi aeris ope absorbendi, hominibus & animalibus lethales.

Hisce omnibus collectis, quando denique consideramus, esse aerem dephlogisticatum unicam substantiam a nitroso absorbendam, facile patet hæcce fluida aeriformia, de quibus hic sermo est, debere pati imminutionem ab aere nitroso, legibus eudiometricis conformem, quoniam portione puri aeris sive dephlogisticati gaudent omnia; esse porro ipsis suas partes, quarum actione effectum illum noxium in respirationis functionem exercent, a sola phlogistica indole neutiquam derivandum. Ut igitur experimenta allata legum eudiometricarum stabilitatem roburque illud, quod jam jam in hac aerologiæ parte obtinet, egregie corroborent. Imo accedit etiam pondus

dus obſervatione, qua aerem nitroſum qualitatem noxiam iſtarum aeris ſpecierum, reſpectu habito ad reſpirationem, recte indicaſſe videre licet.

Verum quum tentamina eudiometrica, diverſas dumtaxat phlogiſti quantitates, quibus aer inquinari poteſt, ſpectent, patet ſponte, omnia heterogenea, diverſæ maxime indolis, corpora, quæque reſpirationis negotium perinde turbant ac vitiant, in nullam trahi poſſe conſiderationem. Refero huc, v. g. non unius generis effluvia odorantia, vapores arſenicales, acidos, cauſticos, pulveres aliaque ſexcenta, quæ in diverſis locis & laboratoriis tum chymicis, tum technicis plerumque aeri innatant. Inde intelligitur etiam canon eudiometricus: omnem aerem, ſi modo a nitroſo parvam aut nullam prorſus patitur imminutionem, ſemper eſſe peſſimæ indolis, hominibus pariter ac animalibus lethalem; quin inde aerem inſigniter abſorbendum pro ſalubri aut innoxio ſemper habeas.

Quoniam autem fontes, principium inflammabile in atmoſphæram exhalantes, reſpectu aliorum inquinamentorum propemodum ſint infiniti, & per totum qua late patet naturæ regnum diſtributi, hinc elucet utilitas Eudometriæ, qua recte ipſiſſimum detegere & ſumma accuratione determinare valemus principium illud, quod nunquam non atmoſphæræ inhæret, ſenſibus non patet, & paulo largiori quantitate præſens ſæpe ſæpius lethiferum eſt. Hinc adeo celebrata & magni habita Eudiometria. Exempla rariſſima, ſi qua proſtant, ubi aeris cujusdam factitii in rerum natura nullibi ſponte occurrentis phænomena noſtris aerologiæ principiis non reſponderent, tantum, me judice, valent adverſus hanc doctrinam, quantum variolis inoculatis defunctus infans adverſus inſitionem variolarum, imo quantum

ædificium electricis conductoribus armatum, fulmine tamen ictum, adversus istud magni Franklini præsidium. Manet ergo Eudiometriæ suus honos. Quamvis enim, in quo lateat omnis aeris qualitas noxia præcise non detegat, multa tamen experiundo aeris nos ambientis bonitatem, discimus, in Medicina ipsa & Physica usum habitura.

VI.

VI.

NICOLAI JOSEPHI JACQUIN

SIDEROXYLUM.

Ego in Syderoxylis celeberrimum Linnæum non bene capio. Primum Sideroxyli nomen datum fuit ab Hermanno & Plukenetio arboribus diverfi generis pluribus, cum Africanis, tum Americanis, quæ ipfis etiam ab incolis ob fummam ligni duritiem *arbores ferreæ* vocabantur. Atque id quoque vel hodie in utraque India obtinet; & noviter iterum ex India orientali plures ignotæ diverfæque arbores fub illo titulo natali in hortum Cæfareum Schönbrunnenfem advectæ fuerunt. Dillenius deinde nomen hoc, ceu botanicum, in Horto fuo elthamenfi proprium effe voluit arbori, a prioribus diftinctæ. Linnæus Dillenium fecutus fuit, atque fic *Sideroxylum* ejusdem *inerme* exfurrexit, genuina vel ipfo afferente in Horto Cliffortiano Dilleniana planta. Hæc itaque arbor characterem generis præbere debuiffet, & effentialem ponere in *corolla quinquefida cum interjectis ad divifuras petali totidem fquamulis* inque *bacca tetrafperma.* Et talem Linnæus determinavit in Generibus fuis anno 1742. & iterum anno 1752. editis; quin imo in Syftematis fui editione 1748. folas *fquamas* illas pro charactere adfignavit. Dein autem

tem diverſimode deflexit. Sic in Syſtematis editione decima 1759. corollam dicit *decemfidam* & baccam *pentaſpermam*; in generum editione ſexta 1764. corollam denuo *quinqueſidam cum totitem alternantibus denticulis* & *drupam cum nuce*; in Syſtematis editionibus ſubſequis iterum corollam *decemfidam* & *baccam pentaſpermam*; dum tamen in Mantiſſæ ſuæ prima parte, Syſtemati editionis tertiæ & decimæ adnexa, adeoque in uno eodemque opere, *Sideroxyli decandri* & *tenacis* dicat corollam *quinqueſidam cum nectarii ſquamis quinque.* Nullum forte Linnæus vivum vidit Sideroxylum, & hæc vacillationis cauſa extitit.

At etiam in Speciebus Linnæanis ſynonyma quædam dubia offendo. Sic in Syſtematis editione decima tertia & decima quarta pro ſynonymo *Sideroxyli mitis* ſui citat eandem Commelini plantam, quam in jam ante edita Mantiſſæ prima parte multo veroſimilius ad *Sideroxylum melanophleon* amandaverat. Ad *Sideroxyllum mite* reducit nunc plantam Dillenii contra ſenſum prioris ſui Horti Cliffortiani; & ad *Syderoxylum inerme* plantam Milleri, fortaſſis quia hic plantam ſuam *inermem* vocavit, quam tamen neutiquam confudit cum inermi Dilleniana. Dillenii planta jam a principio ſtabiliti generis fuit *Sideroxylum* Linnæi *inerme*; maneat ergo in perpetuum. Milleri planta ſit *Sideroxylum mite* Linnæi, diu poſt Dillenianam cognita deſcriptaque. Nec moveamur determinationibus Linnæi ſpecificis, quæ mutandæ ſemper ſunt, utpote utroque in caſu fallentes. Nam quale erit Sideroxylum mite *floribus ſeſſilibus*, dum utraque planta eosdem pedunculatos habeat? Et quale Syderoxylum inerme *foliis perennantibus obovatis, pedunculis teretibus*, quando utrique plantæ pedunculi teretes ſunt, foliaque perennantia; & hæc obovata in Dilleana potius ſtirpe ſunt quam in Milleriana foliis donata lanceolatis.

Side-

Sideroxyla *mite* (planta Milleri) & *melanophleon* ſquamis corollæ deſtituuntur; *inerme* (planta Dillenii), *fœtidiſſimum*, *Maſtichodendrum*, *tenax*, *lycioides*, *decandrum*, & *ſpinoſum* iisdem gaudent ex fide autoptarum. De *cymoſo* nihil publice conſtat. Sive nunc ſquamulas illas partem corollæ dixeris decemfidæ, ſive nectarium, aut denticulos, aut pure ſquamulas, patet, has modo præſentes, modo abſentes, ad definiendum unum genus nihil valere poſſe. Perianthium in aliis omnino pentaphyllus eſt, in aliis dumtaxat ſemiquinquefidus. In Sideroxylo *inermi* fructus dicitur a Dillenio *bacca tetraſperma*; in *melanophleo* & *lycioide bacca* eſt *monoſperma*; in *decandro bacca tri*-vel *quinquelocularis*; in *ſpinoſo* ex Horto malabarico *bacca polyſperma*; in *fœtidiſſimo*, *tenaci* & *Maſtichodendro* eſt *drupa monoſperma*. Ut non intelligam, quo debeat pacto, ſi quidem ad unum idemque genus omnes hæ ſtirpes pertineant, character genericus concinnari, ut ſolis Sideroxylis conveniat, & a Chryſophyllis, Jacquiniis, aliisque affinibus rite & certo diſtinguatur. Donec omnium fructificatio plene cognita ſit, fruſtra tentabimus. Ut iſthuc tandem perveniamus, deſcriptis jam a me Sideroxylis melanophleo & fœtidiſſimo quatuor ſpecies addam, unam apud Linnæum deſideratam.

I.

SIDEROXYLUM MITE. *Linn. ſyſt. pag.* 232.
Sideroxylum mas inerme. *Mill. ic. pag.* 199. *tab.* 299.

Arbor elegans ex Promontorio bonæ Spei floret ſub dio apud nos Junio & Julio, hyemem ſempervirens in tepidario tranſigens, in patria aſſerente Millero molis vaſtæ, apud nos adhucdum ſexpedalis, ramoſa, ligno

albido duroque, cortice fuſco, nullo huc usque fructu gravida, uti nec apud Millerum in Anglia, unde hic marem putavit, forte talis ob defectum in piſtillo aliquem. Folia ſunt lanceolata, acuminata, integerrima, ſparſa, coriacea, facie ſaturate virentia lucidaque, dorſo dilutius & glabra, petiolis brevibus purpureisque innixa, majora longa uncias quatuor unamque lata. Pedunculi axillares, aggregati, teretes, breves, alii ſimplices & uniflori, alii ramoſuli & multiflori. Flores valde parum odorati, corolla nivea, filamentis albis, antheris flavis, piſtillo viridi.

CAL. Perianthium quinquepartitum, parvum, patens; foliolis ſubrotundis, obtuſis, concavis.

COR. monopetala, rotata, quinquepartita; laciniis oblongis, obtuſis, concavis, patentiſſimis. Nectarii ſquamæ nullæ.

STAM. Filamenta quinque, ſubulata, incurvato-erecta, fere longitudine corollæ. Antheræ ſubrotundæ.

PIST. Germen ſubrotundum, ſuperum. Stylus nullus. Stigma ſimplex, obtuſum.

PER. . . .

SEM. . . .

II.

SIDEROXYLUM INERME. *Linn. ſyſt. pag.* 234. *Berg. cap. pag.* 47.
Sideroxyli primum, dein Coriæ Indorum nomine data arbor. *Dill. elth. pag.* 357. *tab.* 265. *fig.* 344.

Etiam

Etiam hæc arbor ex Promontorio bonæ Spei eſt. Apud nos ſempervirens totaque glabra hyemem agit in tepidario, ſub dio florens Julio & Auguſto, quinquepedalis, cortice cineraſcente, ramulis junioribus teretibus ac virentibus. Folia habet in ramis junioribus & ad ſummitates ſeniorum ſparſa, breviter petiolata, oblonga cum baſi anguſtata ſive ex oblongo obverſe ovata, obtuſiſſima, nonnunquam emarginata, craſſa, nitida, rigidula, triuncialia, utrinque glabra. Pedunculi uniflori, teretes, breviſſimi, hic illic aggregati, etiam ſolitarii, ſparſi in axillis foliorum infimorum, tum longe infra illa in ramis aphyllis. Flores inodori, calyce virente, petalis filamentisque albidis, antheris flavis; cum una quinta parte omnium partium ſæpe deficiente.

CAL. Perianthium quinquepartitum, parvum; foliolis ovatis, obtuſis, concavis, patentibus.

COR. monopetala, rotata, quinquepartita; laciniis oblongis, obtuſis, concavis, patentiſſimis.

Nectarii ſquamæ quinque, lanceolatæ, acuminatæ, patentiſſimæ, ſæpe inciſæ, cum laciniis corollæ alternantes, ejusdemque fere longitudinis.

STAM. Filamenta quinque, ſubulata, patentia, longitudine nectarii. Antheræ ſubcordatæ.

PIST. Germen ovatum, ſuperum. Stylus filiformis, erectus, longitudine fere ſtaminum. Stigma obtuſum.

PER. . . .

SEM. . . .

III.

SIDEROXYLUM TENAX. *Linn. syst. pag.* 232. *mant. p.* 48.

Chrysophyllum carolinense. *Jacq. obs. vol.* 3. *pag.* 3. *tab.* 54.

Speciosam hanc arborem ante viginti annos ex structura floris in specimine sicco carolinensi, a Gronovio mecum commnnicato, ad Chrysophylla reduxeram, cujus cognita nunc fructus anatome aliud docet. Exemplar Gronovianum sylvestre spinis plane carebat, uti etiam caret arbuscula culta in horto nostro botanico, quibus abundanter armantur arbusculæ horti Schönbrunnensis, quæ sub dio florent Septembri & Octobri, hyeme in tepidaria transferendæ. Nunc ergo vivam stirpem describam. Cortex glaber, fuscus, cum suffuso colore cinereo. Spinæ ex gemmis sparsæ, subulatæ, validæ, badiæ, patentes, fere semunciales; aut nullæ. Folia ex iisdem gemmis plura, etiam solitaria, breviter petiolata, lanceolata, obtusa, basi acuta, integerrima, biuncialia, facie læte virentia glabraque, subtus sericea & cinnamomeo-argentea. Pedunculi uniflori, aggregati ex eadem gemma plures, teretes, villosi, semunciales. Flores leviter odorati, parvi; calyce villoso & fusco; corolla, filamentis styloque albis; antheris cinereis; germine viridi & villoso.

CAL. Perianthium hexa-vel pentaphyllum, persistens; foliolis oblongis, concavis, obtusis, conniventibus.

COR. monopetala. Tubus calyce brevior. Limbus quinquefidus, vel sexfidus, patentissimus, calyce duplo longior; laciniis oblongis, obtusis, lateribus conniventibus.

Necta-

Nectarii squamæ tot, quod laciniæ petali, cum his alternantes, iisdem paulo breviores, lanceolatæ, acutæ, sæpe denticulatæ, trifidæ; laciniis exterioribus patulis, intermedia longiore erectaque.

STAM. Filamenta tot, quot laciniæ petali, his incumbentia, iisdem paulo longiora, subulata. Antheræ oblongæ, incumbentes.

PIST. Germen ovatum, superum. Stylus filiformis, erectus, longitudine staminum. Stigma obtusum.

PER. Drupa ovalis.

SEM. Nux ovata, nitida, basi foraminibus duobus, septo arcuato distinctis, pervia, unilocularis.

IV.

SIDEROXYLUM MASTICHODENDRON. *Tab.* 17. *fi.* 5.

Cornus foliis laurinis, fructu majore luteo. *Catesb. car.* 2. *pag.* 75. *tab.* 75.

Apud Catesby in solo naturali dicitur arbor quinquaginta pedes alta, cujus truncus crassitiem duorum triumve pedum habet, vestitus cortice viridescenti-albo glabroque; lignum æstimatur ad structuram materiariam; fructus flavus comeditur, saporis dulcis & mellei; qui tamen præprimis in nutrimentum cedit avibus aliisque animalibus. Crescere, ait, in Abbacco aliisque insulis Bahamensibus, & incolis vocari *Mastic-Tree*, cujus tamen nominis rationem non reddit. In caldariis nostris læte vegetat, sempervirens, quin eadem etiam folia ultra duos annos conservans, quarto ætatis anno jam quinquepedalis, truncoque sescuncialis diametri; sed corticem habet huc usque ferrugineum. Rami juniores sunt virides & infra folia stipu-

lis minutis deciduisque inftructi. Folia funt inordinate alterna, lanceolata, acuta, integerrima, nitida, firmula, patentiffima, petiolo unciali vel & biunciali donata, a quatuor ad fex uncias fine petiolo longa, juniora utrinque lucida. Pedunculi uniflori fimpliciffimi & vix femunciales aggregatim plures, tum & folitarii, ramulos infra folia copiofe obfident. In figura litera *a* repræfentat florem in naturali magnitudine antice confpectum. *b* eandem in dorfo. *c* eundem nedum expanfum. *d* florem auctum. *e* auctam petali laciniam cum fquama nectarii utrinque adhærente cumque ftamine. *f* drupam. g nucem. *h* eandem transverfa fectam. *i* nucleum pellicula propria nudatum. Flores toti flavi charactere gaudent fequenti.

CAL. Perianthium pentaphyllum, perfiftens, parvum, inferum: foliolis fubrotundis, obtufis, concavis, patulis.

COR. Petalum rotatum. Tubus ipfo calyce brevior. Limbus quinquefidus; laciniis ovatis, obtufis, concavis, patentiffimis.

Nectarii fquamæ quinque, cum laciniis petali alternantes, iisdem duplo breviores, fubulatæ, acutæ, integerrimæ, patentiffimæ.

STAM. Filamenta quinque, fubulata, patentiffima, cum nectarii fquamis alternantia, earundemque longitudine. Antheræ oblongæ, incumbentes.

PIST. Germen ovatum, definens in Stylum fubulatum, erectum & longitudine ftaminum. Stigma obtufum, fimplex.

PER. Drupa ovalis, ftyli parte mucronata, cæterum obtufa.

SEM. Nux ovalis, obtufa, bafi cicatrice notata, nitida, unilocularis. Nucleus ejusdem figuræ, tenuiffima membrana veftitus.

VII

VII.

NICOLAI HOST

MED. DOCTORIS

CIMEX TEUCRII.

Occurrit mihi ante quatuor annos in aſperrimis prope Bertholdsdorf collibus in Teucrio ſupino cimex inter notos facile minimus. Sola clauſtri, in quo larva, pupa & imago vivunt, & nutriuntur, formatio excitavit cognitionis deſiderium. Pervolvi, quantum per otia licuit, celeberrimos in entomologia ſcriptores; nec apud quemquam inveni. Hinc aliorum obſervationibus deſtitutus, quanta potui exactitudine, omnia ab initio ad finem obſervavi, obſervata notavi; quæ hic cum entomologis communico. Cum tanta inter Teucrium ſupinum & animalculum hoc connexio, ut ex cognitione unius ad cognitionem alterius via pateat, a nomine generico plantæ novam cimicis ſpeciem denominavi, in alia enim planta nondum videre contigit. Larvam, pupam & imaginem, microſcopio ſummopere auctas, figu-

figura exprimi curavi. His præſtructis, deſcriptionem armatis oculis aggrediar; deſcriptioni obſervata ſubmittam.

Cimex muticus, oblongus, minimus, fuſco-cinereus; antennarum articulis anterioribus duobus, nigro-cinereis, glabris; poſterioribus nigris, piloſis; poſtremo elevato, incraſſato, apice attenuato.

Caput cinereum, frontè emarginatum. Oculi extantes, nigri. Antennæ corpore breviores, in quiete porrectæ, verſus baſim convergentes, verſus apicem divergentes; in motu mobiliſſimæ, auricularum leporis timidi motitationem imitantes; quadriarticulatæ, articulis duobus anticis brevioribus, nigro-cinereis, glabris; poſticis duobus longioribus, nigris, piloſis; ultimo elevato, incraſſato, apice attenuato. Roſtrum fuſcum, ſulco, pectori inſculpto, adpreſſum.

Thorax corpore brevior, muticus, cucullatus, baſi annulatus; transverſe ſubcarinatus, carina in partes duas ſubæquales diviſus: antica marginata, margine punctis nigris albisque alternantibus: longitudinaliter lineis tribus parallelis elevatis, duabus lateralibus brevioribus, intermedia longiſſima a baſi ad apicem decurrente exaratus: interſtitiis rugoſis. Pectus fuſcum, canaliculatum; canaliculo roſtro longiore, margine incraſſato.

Alæ quatuor, cruciato-complicatæ. Superiores abdomine longiores, marginatæ, margine punctis nigris albisque alternantibus, qui cum margine partis anticæ thoracis coincidens, totum corpus marginatum repreſentat: anticæ coriaceæ, criſpæ, fuſço-cinereæ: poſtice membranaceæ, albican-

cantes, filis fufcis reticulatæ. Alæ inferiores hyalinæ, fub fuperioribus complicatæ.

Dorfum concavo-planum, fufcum. Abdomen convexum, fufco-cinereum, fegmentis fex ferrugineis, in apice partes genitales gerens.

Artus fex, abdomini concolores; femora incraffata; tibiæ compref-fæ; pedes unguiculati.

Cimex hic magnitudine, lineam parifinam vix attingit, & pediculum humanum adultum vix fuperat. Inter feminam & marem tantum craffitiei vix perceptibilis differentia eft.

Larva nudo oculo vix vifibilis, hexapoda, agiliffima, teres, rubra, roftrata; oculis nigris; antennarum alarumque rudimentis & pedibus albis, fegmentis undecim.

Pupa, larva major, fufca, alarum rudimentis majoribus: reliquis omnibus, ut in imagine, fed figura, magnitudine, colore, imperfectioribus.

Fœtorem in nullo metamorphofeos ftadio percepi.

Tabulæ decimæ octavæ figura prima fub *a* fiftit ramulum Teucrii cum corolla in clauftrum mutata; fub *b* & *c* imaginem dorfo & facie vifam & auctam ad microfcopium; fub *d* fic auctam pupam; fub *e* imaginem in naturali magnitudine; fub *f* talem larvam; & fub *g* hanc quoque auctam.

Larva ruptis ovi tunicis, quotannis verſus finem Julii vel initium Auguſti, aliquando citius, aliquando tardius; (citius, ſi æſtatem citius exceperit autumnalis humiditas & hyemale frigus; tardius ſi contra) aſcendit Teucrii ſupini corymbum, & ut ſibi idoneum inveniat victum, & habitationem, intrat recens expanſam corollam, rodit germen, & filamenta. Corolla, percepta roſtri vi, miram ſubit mutationem. Tubus elongatur, laciniæ labii ſuperioris obſoleſcunt. Lacinia labii inferioris intermedia inflectitur, marginique labii ſuperioris arcte adprimitur: laciniæ laterales adprimuntur ad laciniam intermediam: ſic admirando naturæ prodigio fit hoſtibus, pluviæ, radiis ſolis, impervium clauſtrum. Larva, conſumptis germine & filamentis, arrodit latera clauſtri, hæc arrodit ut pupa, arrodit ut imago: hoc quo magis arroditur, eo magis ſubſtantia & volumine creſcit; ita ut intra octo decemve dies coriaceam induat naturam, nucisque avellanæ minoris acquirat magnitudinem; quo fit ut calyx dehiſcat, & qui cæteroquin perſiſtens, decidat. In hoc ſtatu remanet corolla, nec amplius creſcit facile. Quo tempore corolla, ſubit & animalculum ſuas mutationes: roſtrum, quod ab initio recta porrectum, inflectitur, pectorique adprimitur: corpus teres fit dorſo planiuſculum: color ruber incipit mutari, puncto in apice caudæ, medio dorſi, capite, fuſco: antennæ, artus, alarum rudimenta alba, evolvuntur, fiuntque fuſca: tandem dorſum fit concavo-planiuſculum, & totum corpus fuſcum. Incipiunt evolvi antennarum artuumque articuli, omnesque corporis partes partibus imaginis perfectione accedunt: ſic larva attingit incrementi punctum, in quo deponit larvæ, & acquirit pupæ nomen. Pupa poſitis exuviis fit imago: imago remanet per duos, tresve dies perfecte clauſa; donec labium inferius, non viribus inſecti, hæ enim huic operi inſufficientiſſimæ, ſed viribus naturæ, recedat, ſicque exitus, & aditus porta pateat. Nunc jam ſuo exit mas, & inviſit alio in clau-

ſtro

ſtro feminam, & viciſſim; in clauſtro celebrant nuptias, & vivunt, donec Venere frangantur vires: his fractis, deſcendit uterque ad radicem, ubi mas depoſito cinereo polline, femina depoſitis ovis & polline, brevi imponunt vitæ finem. Quantum poſſibile fuit, dies vitæ computavi, invenique cimicem in larva, pupa, & imagine, non ultra menſem vitam protrahere: vidique toto hoc tempore, ſibi a natura victui & habitationi præfixam, plantam non deſerere. Cur vero provida natura pro habitatione tam arcte clauſum ſelegit clauſtrum? Opinor, primo ut rapina viventes hoſtes eludantur; vidi enim ſæpius formicam rufam, ſuperficiem externam degenerantis corollæ fruſtra rodentem; ſecundo ut præſervetur a pluviæ injuriis, incidente enim pluvia labium inferius, quod jam receſſit, denuo magis adprimitur: ideo tantum in aſperrimis collibus, ſaxoſo ſolo, quærendus; tandem, ut ne ſucculenta larva & pupa percipiant nimiam radiorum ſolarium vim, utraque enim; ſi ſplendente ſole cautiſſime corollam aperire tentaveris, quaſi inſaniens aufugit. Forſan & alii naturæ fines, ſed impoſſibile in tantillo inſecto omnia accuratiſſime ſingillatim penetrare.

VIII.

NICOLAI JOSEPHI JACQUIN

OBSERVATIONES BOTANICÆ,

continuatæ poſt vol. Coll. 1. pag. 168.

CCI.

HELONIAS PUMILA.

Creſcit in Carolina. Ex radice craſſa & perenni folia enaſcuntur plurima, longe lanceolata, acuta, integerrima, ſeſſilia, glabra, duas tresve uncias longa, parum conniventia cum nervo dorſali medio carinato. Plura ſimilia per caulem ſparſa ſunt, altiora ſucceſſive breviora. Caulis annuus, ſimpliciſſimus, ſemipedalis, erectus, acute ſtriatus. Spica terminalis, ſeſſilis, ovata, compacta, erecta, ſemiuncialis digitumque minimum craſſa. Bracteæ ad ſingulos flores ſolitariæ, obtuſæ, virides, flore paulo breviores. Calyx nullus. Petala ſex, ſupera, oblonga, obtuſa, erecta, alba, ſupra conniventia. Filamenta ſex, alterna breviora. Antheræ flavæ. Et alia generis. Floret Auguſto, fructum nedum tulit.

CCII.

AGAVE VIRGINICA. *Linn. ſyſt. pag.* 338. *Gron. virg. pag.* 53.

Ex radice perenni, fuſiformi, in noſtris individuis præmorſa, uncialis diametri, carnoſa, foris fuſceſcente, intus alba, ſubdulci, in ambitu fibris fuſiformibus calamumque craſſis jubata, quotannis primo vere folia prodeunt plura, craſſa, coriacea, a tribus ad octo uncias longa, avenia, ab una ad duas uncias lata, idque ſine reſpectu longitudinis, ad oras cartilagineo-dentatoſpinoſa, ſed ſic minutim, ut denticuli nudum oculum fere fugiant, cartilagineo-mucronata, pallide virentia, in quibusdam individuis variegata maculis rotundatis atroſanguineis. Scapus quinquepedalis, erectus, viridis, rore glauco obductus, teres, ornatus foliis ſive ſpathis acuminatis, inferioribus amplexantibus & concavis, ſuperioribus ſeſſilibus, ad flores breviſſimis. Racemus ſimplex ex floribus circiter quadraginta, ſesquipedalis, terminalis. Flores ſubſeſſiles, parum incurvi, virides, ſexunciales, ſuaveolentes, ſucco dulci in fundo pleni. Antheræ fuſceſcunt, explofo autem polline albent. Filamenta & ſtylus vireſcunt cum adſperſis punctis ferrugineis. Stigma albet. Floret ſub dio apud nos Auguſto & Septembri, hyeme ſervanda in tepidario. Fructum nedum tulit. Subjungo characterem floris.

CAL. nullus.

COR. monopetala, ſupera, ſexfida. Tubus teres, ſexſulcatus. Laciniæ longe lanceolatæ, obtuſulæ, concavæ, erectiuſculæ, alternæ profundius ſectæ.

STAM. Filamenta ſex, ex ſuperiori parte tubi corollæ, ſubulata, erecta, corollam ad unam tertiam partem ſuperantia. Antheræ lineares, verſatiles.

PIST. Germen inferum, oblongum, obſolete trigonum. Stylus filiformis, craſſus, obſolete triſulcatus, ſtaminibus paulo brevior. Stigma trifidum, capitatum, patens.

CCIII.

HEDYSARUM PICTUM.

Speciosiſſima planta, in Guineæ arenoſis creſcens, in caldario noſtro florens a Septembri ad Novembrim, ſed pauciſſima perficiens ſemina, ab ampliſſimo Iſſerto detecta, una cum numeroſis aliis ſtirpibus guineenſibus, quarum plures in hoc Collectaneorum volumine a me deſcriptæ ſiſtuntur, omnes eidem egregio viro debitæ. Huic Hedyſaro radix eſt perennis, fœtida, albida, fuſiformis, digitum craſſa, aliisque fibris craſſis abunde ſtipata. Caulis unicus, erectus teres, ſesquipedalis, fere digitum minimum craſſus, medulla alba farctus, totus folioſus, pilis minutiſſimis albidis denſe hiſpidus, plerumque ſimpliciſſimus, ſuffruticoſus, in caldariis nempe noſtris baſi tantum perſiſtens, proximoque anno ramos ex deperditorum foliorum alis ſeu totidem novos caules emittens. Folia alterna, petiolata, horizontalia, pinnata ex pinnis utrinque tribus vel quatuor cum terminante impari. Coſta teres, ſupra ſulcata, hiſpida, plus minus ſemipedalis. Pinnæ ſubæquales, a quinque ad octo uncias longæ, lineari-lanceolatæ, obtuſulæ, integerrimæ, ſupra glabræ & atrovirides cum diſco longitudinaliter diverſimode viridi-albo colore picto, ſubtus venis reticulatæ & ſcabræ,

craſſe

craſſe & breviſſime petiolatæ, oppoſitæ, ſtipula ſubulata rubraque fultæ. Stipula utrinque ad coſtas ovato-acuminata, erecta, ſuperne purpuraſcens. Spica terminalis, erecta, teres, fuſiformis, quatuor vel quinque uncias longa, totaque compoſita ex bracteis denſe imbricatis, ovato-cuſpidatis, hirſutis, ciliatis, integerrimis, concavis, erectis, inferne virentibus, ſuperne rubris. Atque talis primus ſpicæ eſt ſtatus. Dein ocyus ſpica admodum elongatur, bracteæ cadunt modo ex uno tantum latere ad ſolem obverſum, modo in ambitu toto, idque per magnam ſpicæ longitudinem, tuncque in conſpectum prodeunt flores, adhucdum clauſi, ſed poſt unam alteramve horam expandendi; & ſic tota ſpicæ facies mutata ſpectatur, verſaque in racemum cylindricum. Pergit ſic elongari ſpica ad pedalem longitudinem, bracteis ſummis ſucceſſive delabentibus. Nunc flores rubri ſunt, proximo die & vel ſæpe jam eodem poſt meridiem cærulei, caduntque apud nos plerique brevi, perſiſtentibus pedicellis. Tandem ad baſin ſpicæ principis una alterave alia ſpica ſemipedalis enaſcitur; atque ſic ſucceſſive ſolitariæ ex omnium foliorum alis, ſed breviores, apud nos ob hyemem ingruentem vix ad floreſcentiam perventuræ. Pedunculus communis & pedicelli denſe obſidenter pilis capitatis ſapore acidiſſimis. Ille teres eſt, calamumque craſſitie ſæpe æquat. Hi geminati, graciles, patuli, & tres quatuorve lineas longi. Calycis hirſuti & ciliati tubus campanulatus; limbus quinquefidus, ſubrubellus, patens, laciniis lanceolatis & acuminatis, quarum ſuperiores duæ breviores. Vexillum ſubrotundum, integerrimum, patens. Alæ oblongæ, obtuſæ, vexillo oppoſitæ. Carina figura & ſitu alarum. Stamina diadelpha, tandem ex carina egreſſa medium ocupant florem. Legumen articulatim huc illuc flexuoſum; articulis circiter quinis, rotundatis, compreſſis, rugoſis, mutuo incumbentibus. Semina reniformia. Calyx in fructu patentiſſimus eſt.

CCIV.

CCIV.

ALBUCA ALTISSIMA. *Act. suec. nov. edit. germ. vol.* 5. *pag.* 293.

Hujus sæculi anno septuagesimo semina hujus speciosæ plantæ sub titulo Albucæ novæ a beato Spielmanno acceperam, ex quibus enatæ plantæ jam altero ætatis anno florem fructumque produxerunt, optime vegetantes sub dio, sed hyeme tegendæ, fenestra elevata & fimo equino. Bulbus depressus, albidus. Folia radicalia plura, late ensiformia, scilicet inferne tres uncias lata, longiora fere bipedalia, sed sic canaliculato-convoluta, ut subulata evadant; cæterum acuta, integerrima, glabra, lineata, crassa, succulenta, interiora scapum involventia, exteriora multo breviora & patula. Scapus unus alterve, erectus, quatuor vel quinque pedes ad summum usque florem altus, digitum minimum crassus, teres, firmus, glaber, intus submedullosus, supra folia longissime racemosus. Bracteæ ad pedunculos solitariæ, unciales, lineari-lanceolatæ, acuminatæ, concavæ, virentes cum oris albidis. Pedunculi uniflori, bracteis duplo ad minus longiores, in flore recurvati, in fructu patuli. Flores inodori, nutantes. Petala albida cum fascia longitudinali media viridi. Interiora tria alterna obtusissima cum apice incrassato reniformi antrorsum inflexo, erecta. Tria exteriora obtusa & patentia. Filamenta sex, alba, erecta. Horum tria fertilia ponuntur ante petala interiora, quibus avulsis aut vi expansis, tanquam elatere quodam acta, ilico extrorsum reflectuntur, tunc patentissima; cæterum petalis paulo breviora, compressa, basi articulata articulo inferiori squamæformi & latiori. Alia tria filamenta crassiora, subtriangularia, sterilia, semper erecta. Antheræ in fertilibus filamentis oblongæ, magnæ, sulco longitudinali notatæ, incumbentes, sulphureæ, appendicula veluti cum filamentis connexa.

xa. In ſterilibus effœtæ, ſulphureæ, multo minores, utrinque in mucronem album deſinentes. Germen breviter pedicellatum; triquetrum, ad baſin & apicem trimucronatum, ad lentem per lineas longitudinales adſcendentes & deſcendentes muricatum. Stylus craſſus, inverſe pyramidalis, apice tricornis, undique glanduloſe ciliato-tuberculatus, longitudine germinis. Stigma pyramidale ex centro elongato ſtyli. Capſula glabra, membranacea, oblonga, trilocularis, trivalvis, ſtraminei coloris, erecta. Semina plura, angulata, atra, nitida. Floret Majo & Junio. Semina matureſcunt ſub finem Junii & Julii.

CCV.

OPHRYS CORDATA. *Linn. ſyſt. pag.* 813. *flor. lapp. pag.* 247. *num.* 316. *flor. ſuec. pag.* 315. *num.* 809. *Act. upſ.* 1740. *pag.* 29. *Gmel. ſib.* 1. *pag.* 25. *num.* 23. *Act. helv.* 2. *pag.* 70. *tab.* 6.

Ophrys minima. *Bauh. pin.* 87. *prodr.* 31. *Rudb. el.* 2. *pag.* 227. *fig.* 4.
Ophrys minor alpina. *Rupp. jen. pag.* 238.
Epipactis cordata. *Allion. pedem.* 2. *pag.* 152.
Epipactis foliis binis, cordatis; labello bifido, poſtice bidentato. *Hall. hiſt. helv.* 2. *pag.* 151. *num.* 1292. *tab.* 22. *fig.* 4.
Bifolium minimum. *Bauh. hiſt.* 3. *pag.* 534. *Moris hiſt.* 3. *pag.* 489.
Pſeudoorchis minima bifolia, *Moris. hiſt.* 3. *ſ.* 12. *t.* 11. *fig.* 4.

Tenella & elegans plantula apud nos dimidium altitudine pedem raro excedit, in ſylvis umbroſis ſubalpinis montis Gans obvia, radice perenni donata, conſtante ex fibris pluſculis albicantibus, ſimplicibus, a tri-

bus ad octo uncias longis, & per mufcos terramque tenuem horizontaliter protenfis. Tota glabra eft. Caulis herbaceus, erectus, angulatus, inferne pallidus, fuperne leviter purpurafcens, infra medium foliis duobus oppofitis ornatus, cæterum aphyllus. Etiam aliquoties folium unicum obfervavi; rariffime unum folium majus, & alterum magis inferum multo minus. Sunt vero folia triangularia, feffilia, nitida, obtufa vel acutula, integerrima, ad oras leviter undulata, patentiffima, fupra virentia, dorfo glauca. Racemus terminalis flores a quinque ad decem pufillos breviterque pedunculatos fuftentat. Bracteæ fubulatæ, breves. Germen fere fubrotundum, celeriter increfcit, brevique maturum, cum flore adhuc infidenti per totam longitudinem dehifcit in fex valvulas, bafi & apice cohærentes. Petala funt lanceolata, obtufula, patentiffima; tria exteriora viridia; interiora duo paulo anguftiora & purpurafcentia. Labium nectarii inferius trifidum, petalis longius porrectum, purpurafcens; laciniis duabus fuperioribus brevibus, infra originem labii; intermedia longa & femibifida; fic ut labium etiam dici quadrifidum poffit; laciniis omnibus linearibus & acutis. Floret Julio.

CCVI.

IPOMOEA LUTEOLA.

Semina ex Guatimala transmiffa fuerunt. Planta annua in caldario floruit, fed periit fine fructu. Caulis volubilis, ramofus, quadripedalis, obfolete muricatus, nec hoc ad oculum nudum, hinc fcabriufculus, cæterum glaber, fubangulatus, viridis. Folia alterna, petiolata, cordata, acuminata, inæqualiter & valde rariter dentata, glabra. Pedunculi communes

axil-

axillares, ſolitarii, erectiuſculi, foliis duplo longiores, bipartiti cum flore in dichotomiam, dein racemoſi & ſubquadriflori. Flores inodori. Perianthii virentis nitidi & profunde quinquepartiti pars inferior eſt quinguangularis; laciniæ ſunt lanceolato-lineares & erectiuſculæ. Corolla calyce multoties longior, longe infundibuliformis, aurantiaco-lutea; limbo ſemiquinquefido, acuto, & breviore tubo. Filamenta petalo duplo breviora. Antheræ oblongæ, incumbentes, albæ. Stylus filiformis, longitudine petali. Stigma capitatum, papilloſum, obſolete bifidum, album. Forte mera varietas eſt Ipomœæ coccineæ.

CCVII.

ORCHIS VARIEGATA.

Orchis radicibus ſubrotundis, ſpica breviſſima; labello breviter quadrifido, circumſerrato, punctato. *Hall. hiſt. helv. num.* 1275. *tab.* 30.

Orchis militaris pratenſis elatior, floribus variegatis. *Seg. ver.* 2. *pag.* 123. *tab.* 15. *fip.* 3.

Orchis militaris. *Riv. hex. tab.* 15.

Orchis militaris minor. *Rupp. jen. pag.* 295. *tab.* 6. *Vaill. paris. pag.* 149. *tab.* 31. *fig.* 27.

Cynoſorchis militaris pratenſis elatior, floribus variegatis. *Bauh. pin. pag.* 81. *prodr. pag.* 28.

Creſcit in Auſtriæ pratis, florens Majo. Bulbi gemelli, ſubrotundi, compreſſuli. Fibræ radicales craſſulæ & breves. Scapus erectus, a dimidio ad totum pedem altus. Folia plura, inferiora approximata, acu-

ta, ſtriata, ex glauco viventia, tres uncias longa, unum raro lata, ſumma vaginantia. Bracteæ longitudine germinis, acuminatæ, erectæ, ſtriatæ, pallide carneæ. Spica brevior, denſa, florens ſubrotunda, fructeſcens magis elongata. Flores parum odorati. Petala quinque, omnia in cucullum erectum conniventia, pallide purpureo-carnea; tria exteriora duplo longiora & lanceolato-acuminata; duo interiora lanceolato-linearia & acutiuſcula; atque hæc & petalum exterius dorſale linea unica, intus atropurpurea, foris minus ſaturata, percurrit, dum tales duæ percurrunt petala exteriora duo lateralia. Nectarii cornu ſubulatum, ſtriatum, carneum, rectiuſculum, germini parallelum, quo paulo brevius. Labium ſuperius ſanguineum. Inferius quadrifidum, petalis concolor, & totum adſperſum punctis purpureis, lobiis ad apicem ſerratis; lateralibus oblongis; intermediis rotundatis cum denticulo inter utrumque; diſco glabro.

CCVIII.

ORCHIS MILITARIS. *Linn. ſyſt. pag.* 809.

Orchis radicibus ſubrotundis; ſpica conica; labello quadrifido; brachiolis & pectore peranguſtis. *Hall. hiſt. helv. num.* 1277. *tab.* 28.

Orchis galea & aliis fere cinereis. *Bauh. hiſt.* 2. *pag.* 755.

Orchis latifolia, hiante cucullo, major. *Vaill. paris. pag.* 148. *tab.* 131. *fig.* 21.

Cynosorchis latifolia, hiante cucullo, major. *Bauh. pin. pag.* 80.

Cum priore creſcit, eodemque tempore floret. Bulbi gemini, elongato-ſubrotundi. Fibræ radicales longiuſculæ, graciliores. Scapus erectus, pedem vel ſesquipedem altus. Folia pauca, viridia, lineatula, acutiuſcula,

tiufcula, quinque uncias longa, fescunciam lata. Bracteæ acutæ, breves, purpureæ, erectæ. Spica oblonga, conferta. Petala omnia in cucullum erectum connivent, foris purpureo-cinerea, intus purpura lineisque faturatioribus percurfa, acuta. Horum tria exteriora funt lanceolata; duo interiora lanceolato-linearia, prioribus paulo breviora. Nectarii cornu cinereum, breve, obtufum, compreffulum. Labium quadrilobum cum denticulo medio; lobis integerrimis, obtufis & faturate purpureis; difco pallido, muricato pilisque fafciculatis purpureis tecto. Uti variat colore floris magis minusve purpureo, fic etiam flore albido occurrit.

CCIX.

ASTRAGALUS EXSCAPUS. *Linn. fyft. pag.* 685. *mant. pag.* 275.

Aftragalus perennis, fupinus; foliis & filiquis hifpidis. *Buxb. cent.* 3. *p.* 21. *t.* 38. *fig.* 2.
Glaux montanum acaulon. *Bauh. pin. pag.* 347. *prodr.* 147.
Glaux lanuginofa montana acaulos. *Rupp. jen.* 2. *pag.* 270.

Sponte crefcit in Hungaria & Thuringia, florens Majo & Junio, fructefcens Julio. Radix perennis, longe fufiformis, ramo uno alterove aucta, perpendicularis, foris fufcefcens, intus albida cum centro flavente, odoris naufeofi, faporis pauci; adulta tripedalis & fuperne plus minus uncialis diametri, multiceps. Folia radicalia omnia, numerofa, femipedalia, alia procumbentia, alia erecta, tota villofa, pinnata ex foliolis utrinque numero vario ad usque viginti cum impari, oblongo-ovatis, obtufis, integerrimis, breviffime petiolatis; cofta terete, rubente. Scapi axillares,

racemosi, a quinque ad novem flores sustinentes & ipsos breviter pedunculatos, erecti, pilosi, semunciales. Bracteæ subulatæ, villosæ. Perianthium villosum pallet, longissimum, semiquinquefidum; dentibus subulatis, erectis, acutis, subæqualibus. Corolla flava saturate, erecta. Vexillum cuneiforme, emarginatum, dorso carinatum, patens. Alæ oblongæ, obtusæ, vexillo breviores, ungue gracili & longo. Carina alis paulo brevior, emarginata, connivendo supra unguem lanceolata. Filamenta diadelpha. Antheræ luteæ. Germen lineari-oblongum, compressum, dorso glabrum, cæterum villosum. Stylus apice ad angulum rectum incurvatum. Stigma obtusum. Legumen cymbæforme, sive ad alteram suturam carinatum, ad alteram depressum & planum, albidum, pilosum, styli parte acuminatum, inflatum, biloculare, in sutura carinata dehiscens, pendulum. Semina plura, oblongo-reniformia, glabra, cinereo-fusca. In planta culta caules nonnunquam adsunt pedales & procumbentes.

CCX.

CELSIA LINEARIS.

E seminibus ab illustri Ortega sub hoc titulo acceptis enatus in caldario fuit frutex elegans, sempervirens, & totus glaber; qui altero ætatis anno florere cœpit, sed maturum fructum non dedit, Truncus lignosus, debilis, calamum crassus, striatus, pallide fuscescens, tripedalis, per totam longitudinem emittens ramos numerosos & patentissimos. Rami juniores virent, sulcati & foliosissimi. Folia sunt terna, lanceolato - linearia, acuta, rariter serrata vel integerrima, utrinque nitida, subpetiolata, patentissima, longiora biuncialia. Pedunculi axillares, solitarii, uniflori, foliis breviores,

res, uti hæc terni. Flores inodori, calyce virente, corolla miniata cum fauce sanguinea, antheris & filamentis flavis. Corolla post explicationem haud diu plana manet, sed inordinate lateribus reflecti solet.

CAL. Perianthium pentaphyllum, persistens, petalo multo brevius; foliolis lanceolatis, acutis, erectis, subæqualibus.

COR. monopetala, subrotata, inæqualis. Tubus brevissimus. Faux ampliata. Limbi quinquefidi laciniæ subrotundæ, quarum duæ superiores ceu labium superius parvæ, infima ceu labii inferioris lacinia intermedia maxima.

STAM. Filamenta quatuor, æqualia, brevissima, crassa, inclinata versus corollæ lacinias minimas, glabra. Antheræ subsagittatæ, erectæ, magnæ, conniventes uti in Solanis.

PIST. Germen subrotundum. Stylus filiformis, crassulus, staminibus longior. Stigma obtusum.

PER. Capsula subrotunda, ...

SEM. plura, ...

CCXI.

CONYZA-CAROLINENSIS.

Arbuscula quinquepedalis crescit sponte in Carolina, apud nos in caldariis, sempervirens, florens Majo & Junio, tota inodora, & ingrate sapidula. Truncus erectus, glaber, fusco-cinereus, erectus, uncialis diametri. Rami teretes, juniores tomentosi ac incani. Folia alterna, lanceolato-oblonga, acutiuscula, integerrima, petiolata, utrinque tomentosa mollia

lia

lia & viſcidula, ſupra virentia, ſubtus albida, a quatuor ad ſex uncias longa. Ramuli florentes ſunt breves & oppoſitifolii. Pedunculi communes in his axillares, multiflori, ramoſi, erecti, flores corymboſe ſuſtinent. Flos magnitudine & forma Senecionis vulgaris. Calyx tomentoſulus pallide viret. Fæminæ albent. Anthera & limbus corollulæ hermaphroditæ purpuraſcunt.

CAL. communis imbricatus, cylindricus, in medio coarctatus; ſquamis lanceolatis, acutis, erectis omnibus, interioribus ſucceſſive longioribus.

COR. compoſita tubuloſa. Corollulæ hermaphroditæ pluſculæ in centro. Fæmineæ numeroſiſſimæ circum hermaphroditas.

Propria hermaphroditis longe infundibuliformis, limbo quinquefido patulo.

Propria fæmineis ſubcylindrica, limbo trifido patulo.

STAM. Hermaphroditis filamenta quinque, capillaria, breviſſima. Anthera cylindrica, tubuloſa, quinquedentata.

PIST. Hermaphroditis germen oblongum. Stylus filiformis, ſtaminibus longior. Stigmata duo, patula.

Fæmineis ut in hermaphroditis.

PER. nullum. Calyx connivens.

SEM. Hermaphroditis & fæmineis ſolitaria, oblonga. Pappus piloſus, ſeſſilis.

REC. nudum, planum.

CCXII.

CCXII.

PTERIS CAUDATA. *Linn. ſpec. plant. pag.* 1533. β.

Filix fæmina ſeu ramoſa major, pinnulis anguſtiſſimis rariſſimisque. *Sloan. hiſt. jam.* 1. *pag.* 101. *tab.* 63.

Eſt hæc planta, quam Linnæus pro mera varietate Pteridis caudatæ habet, quam tamen cum Sloaneo ab eadem ceu ſpeciem diſtinguere mallem. Creſcit ſponte in inſulis Caribæis. In caldariis noſtris floret a Julio ad Octobrim. Radix teres, calamum & ultra craſſa, fibris aucta, fuſca, repens, in decurſu frondes elevans ſparſas erectasque. Stipes his ſemipedalis aut altior, teres, erectus, glaber. Frons pedalis, bipinnata; pinnulis pinnarum inferiorum inferioribus ipſis profundiſſime pinnatifidis cum lacinia terminante longiſſima; laciniis omnibus linearibus, obtuſulis, integerrimis, ad oras replicatis, intra quarum ſic enatam duplicaturam locantur flores numeroſiſſimi ſub forma pulverea globulorum minutiſſimorum fuſceſcentium, foras ex margine in longa linea prodeuntium.

CCXIII.

MYRICA SEGREGATA.

Frutex tertio ætatis anno humanam jam attingens altitudinem, æſtatem ſub dio, reliquam anni partem tranſigens in caldario, ſempervirens, trunco ad baſin digitum craſſo, cortice fuſco, ramis totus brachiatus, ligno albido, ſponte creſcit in America calidiore. Folia ſunt oppoſita, breviſ-

viſſime petiolata, anguſtius & longius lanceolata, acutiuſcula vel obtuſula, integerrima, nitida, ad oras parumper revoluta, ſupra ſaturate & ſubtus pallide virentia, duas tresve uncias longa, ingrati & amaricantis ſaporis, omnino liguſtrina. Rami teretes, etiam juniores cinereo-fuſci. Ex gemmis oppoſitis ſquamoſis minimis racemi exeunt axillares, ſolitarii, ſemunciales, filiformes, ramoſi, glabri, e viridi flaventes, meros gerentes mares. In his ſquamæ ſive bracteæ ſunt oppoſitæ, ovatæ, ſeſſiles, concavæ, acutæ, ciliatæque; ex quarum alis pedicelli exeunt ſolitarii, uniflori & patuli. In horto Schönbrunnenſi numeroſæ coluntur individuæ, quæ pleræque ſolos ferunt flores mares; paucæ præter hos etiam plurimas feminas in diſtinctis racemulis ſimpliciſſimis, ſubſexfloris, brevioribus, ſquamas quinque habentibus maribus ſimiles, ſed alternas & deciduas. Character utriſque eſt ſequens, in quo ſi racemus ſquamoſus dici poſſit amentum ſolutum elongatumque, exſurget ille Myricæ cum tantillo diſcrimine, ut novum inde genus condere non fuerim auſus. Bacca ſaturate cæruleſcit cum pulpa molli viridique, ſaporis ingrati. Semen cum virore fuſceſcit.

Mas.

CAL. Squamæ uniflora, ſupra deſcriptæ.

COR. nulla.

STAM. Filamenta a tribus ad ſex, filiformia, patentiſſima, longitudine pedicelli. Antheræ ovatæ, ſubdidymæ, erectæ, obtuſæ.

PIST. Germen nullum. Stylus in quibusdam floribus ſubulatus cum Stigmate capitato.

Fœmina.

CAL. Squamæ uniflora, ſupra deſcriptæ.

Squa-

Squamæ dein aliæ ab una ad quatuor, lanceolatæ, ad basin germinis sessiles perianthii adinstar, eidemque appressæ, rarius absentes.

Cor. nulla.

Pist. Germen ovatum. Stylus filiformis, crassus. Stigma capitatum, obscure lobatum.

Per. Bacca ovalis, glabra unilocularis.

Sem. unicum, teres, acuminatum, falcatum, striatum, scabriusculum, cortice duriusculo.

CCXIV.

ALTHÆA NARBONENSIS.

In culta sub dio apud nos planta radix perennis, intus alba, & foris sordens, in crura longa uncialis diametri dispescitur. Caules annui, plures, erecti, a quatuor ad sex pedes alti, ramosi, digitum crassi, teretes, pilis stellatis albidis incani & scabriusculi. Talibus etiam pilis instruuntur rami & venæ principes dorsales foliorum. Stipulæ subulatæ, acutæ, ciliatæ Folia sunt alterna, petiolata, serrata, utrinque tomentosa, subtus magis incana; infima quinqueloba & obtusiuscula; superiora palmata, trifida, acuta, lobis lanceolatis cum lateralibus lobulo auctis. Ramuli solvuntur in pedunculos unifloros. Bracteæ ad hos subulatæ & parvæ. Calycis exterioris & profunde secti laciniæ sex septemve lanceolatæ & acutæ; interioris semiquinquefidi laciniæ acutæ & latiores; in utraque hirtulæ. Corolla ex purpureo rosea, calyce duplo longior, laciniis emarginatis. Antheræ

reniformes, atropurpureæ. Stigmata alba. Arilli glabri. Floret apud nos Augufto & Septembri.

CCXV.

DOLICHOS GLADIATUS.

Planta annua & tota glabra in caldario apud nos crefcit, florens Augufto, femina perficiens Novembri; ex zona torrida. Caulis volubilis, octopedalis & ultra, teres, calamum craffus. Folia ternata, petiolata; foliolis ovatis, acutulis, quatuor vel quinque uncias longis. Pedunculi axillares, calamum craffi, pedales, incurvati, fupra medium denfe racemofi; pedunculis propriis breviffimis, ternis, craffis, cernuis, ortis ex nodo incraffato. Flores fuaveolentes. Bracteola ad calycem fubrotunda, omnium minima, caduca. Calyx tubulofus, pallide virens, bilabiatus; labii fuperioris longioris majoris & femibifidi laciniæ fubrotundæ & obtufiffimæ; labio inferiori tridentato, acuto & parvo. Corolla tota nivea, dum expanditur, brevi dein magis minusve carneum colorem induit. Vexillum profunde emarginatum, obverfe cordatum, reflexum, alis longius. Alæ oblongæ, obtufæ, erectæ, concavæ, anguftæ, inferne callofæ. Carina dipetala, alis fimilis. Antheræ in ftaminibus diadelphis flavefcunt. Stigma fubrotundum. Legumen pedale ut plurimum, fed etiam quandoqne duplo brevius, utroque tamen in cafu femper fescunciam latum, oblongum, obtufum cum mucrone rectiufculo ex futura interiore, ad hanc futuram quadrimarginatum, glabrum, fufcefcens, uniloculare, bivalve, polyfpermum. Semina elliptica, compreffula, nitida, rufaque cum hilo cinereo, nidulantur in membrana cellulofa alba.

CCXVI.

CONVOLVULUS CRENATUS.

Sponte crefcit in Peruvia. Radix fufiformis, albida, carnofa, gracilis, forte in loco natali perennis, fed apud nos hyeme femper marcefcens. Caulis annuus, volubilis, a quatuor ad feptem pedes altus, parum ramofus, teres. Folia alterna, petiolata, bafi cordata cum lobis rotundatis & productis, cæterum oblonga, obtufa cum mucrone innocuo, integerrima vel obfoletius repanda, plus minus duas uncias longa. Pedunculi foliis paulo breviores, axillares, folitarii, bifidi & biflori; inferiores fæpe indivifi & uniflori; erectiufculi, in fructu fuperne incraffati. Calycis pentaphylli foliola funt ovato-acuminata, erecta, mutuo amplexantia. Corolla alba, infundibiliformis; tubo longitudine calycis; limbo patentiffimo, fubcrenato, femiquinquefido: laciniis acuminatis. Antheræ fubhaftatæ, ochroleucæ. Stigma bifidum, album; laciniis teretibus, craffulis, longiufculis. Capfula fubrotunda, glabra, ftraminei coloris, bilocularis. Semina in quolibet loculamento gemina, glabra, nigricantia. Caulis, folia, pedunculi & calyces funt fericea, fubincana & moliffima. Floret in caldario Junio & Julio. Semina perficit Julio & Augufto. Semina ante plufculos annos transmiffa fuerunt fub titulo Convolvuli biflori, fed Linnæana hæc planta effe nequit, fi conferatur Linnæi defcriptio; quare novum triviale nomen impofui.

CCXVII.

GOMPHRENA BRASILIENSIS. *Linn. syst. pag.* 265. *amœn. acad.* 4. *pag.* 310.

Amarantho affinis brasiliana, glomeratis parvisque flosculis. *Breyn. cent. pag.* 111. *tab.* 52.

Caulis tripedalis, obsolete tetragonus, glaber, ramosus, digitum crassus, ad genicula incrassatus, perennis, erectus, debilis. Ramuli villosi, plerique annui. Folia sunt lanceolato-ovata, acuta, integerrima, opposita, breviter petiolata, glabra cum nervis utrinque ad lentem villosulis, a tribus ad sex uncias longa. Stipulæ nullæ. Capitula alia solitaria & axillaria, alia plura aggregata ramulos terminant, atque hæc omnia pedunculis sustinentur brevissimis & villosis, aliquibus diphyllis cum foliolis minutis; alia iterum in pedunculis ad unam alteramve unciam elongatis. Floret in caldariis nostris magnam anni partem. Flores albi.

CAL. Perianthium scariosum, triphyllum, erectiusculum, persistens: foliolis duobus lateralibus lanceolato-acuminatis, concavis, ad oras inordinate & acute incisis; tertio extimo lanceolato, acuto, pauciserrato, duplo breviori.

COR. Petala quinque, etiam tantum tria, lanceolata, acuta, serrato-ciliata, erectiuscula, externe villosula, calycis fere longitudine.

Nectarii monophylli semiquinquefidi & petalo duplo brevioris laciniæ acuminatæ, erectæ, pauciserratæ.

STAM. Filamenta quinque, &c.

PIST.

PIST. Germen ovatum, glabrum, attenuatum in ſtylum. Stigma capitatum, ſimplex, magnum.

PER. Capſula ovata, membranacea, circumſciſſa, unilocularis.

SEM. unicum, ſubovatum, magnitudine capſulæ.

CCXVIII.

CELOSIA VIRGATA.

Planta fruticoſa, ſempervirens, tota glabra, quadripedalis, erecta, caule ramisque virgatis, ramulis fructeſcentibus ſolis tandem marceſcendo pereuntibus, in caldario totam æſtatem floret, ad nos miſſa ſub eronneo Celoſiæ trigynæ titulo, patria ignota. Caulis ſtriatus, calamum craſſus, medulla alba farctus, baſi fuſceſcens, cæterum viridis. Folia ſpathulata, acuminata, petiolata, alterna, integerrima, interdum undulata, quatuor vel quinque uncias longa; in ramulis multo minora & lanceolata. Stipulæ falcatæ, acutæ, integerrimæ. Bracteæ foliolo calycino ſimiles. Flores viriduli, aggregati in ſpiculis brevibus ad axillas foliorum & in extremitatibus ramulorum. Calyx & corolla in fructu connivent in conum acutum.

CAL. Perianthyum triphyllum, ſcarioſum, perſiſtens: foliolis lanceolatis, acuminatis, patentiſſimis, corolla brevioribus, albidis cum mucrone fuſco.

COR. Petala quinque, longe lanceolata, acuminata, parum concava, patentiſſima, perſiſtentia, viridula cum oris pallidis.

STAM.

STAM. Filamenta quinque, ſubulata, erecta, petalis duplo breviora, baſi in nectarium urceolatum coalita. Antheræ oblongæ, didymæ, incumbentes.

PIST. Germen ovatum. Stylus filiformis, erectus. Stigma trifidum, filiforme, patens.

PER. Capſula ſubrotunda, membranacea, circumſciſſa, unilocularis.

SEM. circiter ſex, lentiformia.

CCXIX.

IPOMOEA LEUCANTHA.

Sponte creſcit in *America* torrida; apud nos annua planta floret æſtate in caldario. Caulis ramoſus, volubilis, quadripedalis, gracilis, teres, inferne ſordide purpuraſcens & ſubaſper. Folia cordata, abeuntia in acumen obtuſum, integerrima vel obiter repanda, glabra, petiolata, alterna. Pedunculi axillares, ſolitarii, erecti, teretes, glabri, unciales, uniflori. Flos inodorus, uncialis; calyce viridi piliſque raris imprimis inferne ciliato; corolla nivea; antheris purpureis; glandula germinis ſulphurea; ſeminibus nigroferrugineis.

CAL. Perianthium pentaphyllum, perſiſtens: foliolis oblongis, acuminatis, erectis cum apice patulo.

COR. monopetala, infundibuliformis, calyce duplo longior; limbo patulo, ſemiquinquefido, laciniis latis acutiuſculis & brevibus.

STAM. Filamenta quinque, ſubulata, fundo tubi corollæ adnata, qua duplo breviora, erecta. Antheræ oblongæ, incumbentes.

PIST.

PIST. Germen ovatum, pilis erectis coronatum, ad basin glandula circumdatum. Stylus filiformis, erectus, longitudine staminum. Stigma capitatum, bilobum, echinatum.

PER. Capsula subrotunda, ad apicem pilosula, cæterum glabra, bilocularis.

SEM. in quolibet loculamento gemina, glabra.

CCXX.

CLITORIA BRASILIANA. *Linn. syst. pag.* 660.

Planta leguminosa brasiliana, phaseoli facie, flore purpureo maximo. *Breyn. cent. pag.* 78. *tab.* 32.

Quantumvis hæc planta in caldariis nostris lætissime vegetet, floresque producat copiosissimos, fructum tamen nullum huc usque dedit. Radix perennis componitur ex tuberibus fusiformibus albidisque. Caules annui, teretes, graciles, volubiles, glabri, ramosi, a quatuor ad septem pedes alti. Folia infima sunt simplicia, cordata vel ovata, acuta, petiolata; foliolis oblongis, acutis, integerrimis, utrinque ad lentem minutissime villosulis, hinc ad tactum scabriusculis. Pedunculi axillares, solitarii, biflori, petiolorum plus minus longitudine. Bracteolæ ad pedunculos proprios subrotundæ, acutæ & concavæ; ad flores ipsos magis ovatæ & gemellæ. Perianthii bilabiati asperi & virentis laciniæ sunt subulatæ; tres in inferiori labio, in superiori minus profunde inciso duæ. Vexillum amplissimum, intus cæruleopurpureum cum macula longitudinali media flavescente; foris autem pallens; cæterum structuram generis habet. Alæ oblongæ & carina ejusdem cum vexillo coloris. Filamenta coalita novem & unum simplex.

Antheræ flavæ. Germen lineare. Stylus verſus ſuperiora lateſcit & comprimitur. Stigma obtuſum, ſubtus barbatulum. Semina ex Carolina transmiſſa fuere ſine titulo.

CCXXI.

PASSIFLORA LUTEA. *Linn. ſyſt. pag.* 822. *Gron. virg. pag.* 140. *Brown. jam. pag.* 328. *num.* 7.

Flos paſſionis minor, folio in tres lacinias non ſerratas minus profundas diviſo. *Sloan. hiſt. jam.* 1. *pag.* 231.
Clematis paſſionalis triphyllos, flore luteo. *Moris hiſt.* 1. *pag.* 7. *ſ.* 1. *t.* 2. *f.* 3.

Ex radice perenni, ramoſiſſima & reptante caules quotannis herbacei egrediuntur plures, teretes, graciles, ramoſi, quadripedales & ultra, juniores (uti etiam pedunculi & petioli) ad lentem piloſuli. Folia alterna, petiolata, eglanduloſa, baſi cordata, ſemitriloba, glabra; lobis integerrimis, acutiuſculis, latis. Pedunculi ad petiolos & cirros laterales, oppoſiti vel ſolitarii, ante floreſcentiam erecti, dein patentiſſimi, graciles, uniflori, petiolis longiores. Flores erecti; fructus penduli; atque illi parvi & ſuaveolentes. Perianthii foliola oblongo-lanceolata, trinervia, acuta, reflexa vel patentiſſima, virentia. Petala pallide ochroleuca, acuta, calyce anguſtiora. Nectarii corona exterior patentiſſima flaveſcit. Germen glabrum viret. Antheræ ex flavo virent. Floret apud nos in caldariis Auguſto, ſed fructum huc usque ferre recuſavit, quem in inſulis Caribæis vidi atrum, ovatum & parvum.

CCXII.

CCXXII.

ÆSCHYNOMENE SESBAN. *Linn. syst. pag.* 671.

Sesban. *Alp. ægypt. pag.* 42. *tab.* 24.
Dolichos Sesban. *Forsk. ægypt. pag.* 134.
Emerus siliquis duabus longissimis. *Burm. zeyl. pag.* 93. *tab.* 41.
Galega ægyptiaca, siliquis articulatis. *Bauh. pin.* 352.

In caldariis nostris annua planta floret Julio & Augusto, fructumque perficit Octobri. Radix ramosa valde & albida. Caulis erectus, sexpedalis, digitum minimum crassus, teres, glaber, rore glauco tectus, strigis raris sparsisque aculeatus, inferne purpurascens, ex foliorum alis ramosus, alba medulla farctus. Folia pinnata sine impari, cujus loco est setula, modo brevior, modo longior; alterna, breviter petiolata, orta ex callo decurrente, glabra, a tribus ad novem uncias longa, plana; costa subtus aculeis albis hispida; foliolis utrinque numero incerto plus minus viginti, breviter petiolatis, oblongis, obtusis cum mucrone innocuo, nonnunquam emarginatis, integerrimis, inermibus. Flores inodori, modo gemelli in planta juniore, dein plures ex racemis axillaribus patentibus foliisque multo brevioribus oriuntur. Perianthium pallide viret. Vexillum intus luteum, extus flavescit punctisque & lineolis atroviolaceis vel ferrugineis valde variegatur. Alæ & carina sunt luteæ. Calyx omnino ad characterem Linnæanum est; cætera admodum ab eodem deflectunt. Nam vexillum obverse cordatum & planum sic supra calycem reflectitur, ut ungui suo evadat parallelum. Alæ sunt oblongæ, obtusissimæ, apice latescentes, erectæ, & longitudine vexilli. Carina ovalis, subfalcata & obtusissima situm & longitudi-

nem habet alarum. Filamenta ſunt diadelpha, ſimplex & novemfidum. Piſtillum totum glabrum. Legumen glabrum, teres, arcuatum, plus minus ſemipedale, gracile, ad ſemina ſingula torulosum & iſthmis interceptum, uniloculare, bivalve, nec articulis diſcedens. Semina plurima, teretia, ſuſceſcentia, ſolitaria in quolibet inter iſthmos loculo. Utiliſſimam Agyptiis plantam, ait Forſkalus, ad ſepes vivas circa hortos & agros; denſeque & cito excreſcere præſtantiſſimo adſpectu. Utilem dein foco, & hanc ob cauſam copioſe cultam. Semina ſeri in foſſulis, potiſſimum ad canales; large enim irrigari. Annuo intervallo caulem attingere altitudinem quatuor ulnarum, craſſitiemque brachii. Poſt tres annos ramos adultos eſſe utiles. Ut itaque in Ægypto frutex ſit.

CCXXIII.

SOLANUM PERUVIANUM. *Linn. ſyſt. pag.* 224.

Lycoperſicon pimpinellæ ſanguiſorbæ folio. *Feuill. peruv.* 3. *pag.* 37. *tab.* 25.

Celeberrimus Ludovicus Feuilleé in Peruvia ad littora maris innaſcens ſaxorum fiſſuris detexit hoc elegans Solanum. Apud nos in caldariis floret Septembri & Octobri, ſed fructum nedum dedit. Caulis bipedalis, teres, gracilis, jam ab ipſa baſi ramoſus, debilis, inferne una cum ramis fruticuloſus ligneſcens & perſiſtens, dein herbaceus & villoſus. Folia ſunt alterna, petiolata, vix biuncialia, tomentoſa, incana, interrupte pinnata cum impari; foliolis oblongis, obtuſiuſculis, ſubſeſſilibus, ſuboppoſitis, venoſis, ſerrato-crenatis, undulatis, ſemuncialibus; foliolis interpoſitis ſubrotundis & minutis. Stipulæ ad petiolos gemellæ, ſubrotundæ, exiguæ. Tales

les etiam bracteolæ ad pedunculos. Sed hæ & illæ & foliola illa interposita nonnunquam desiderantur. Racemi terminales, qui dein evadunt laterales, a me visi tantum simplices, nec bipartiti, villosi. Perianthii fere ad basin usque quinquesecti foliola sunt sublinearia, acuta, patentissima, incana & villosa. Corolla rotata, semiquinquefida, acuta, ampla, calyce duplo longior, lutea. Antheræ luteæ. Stylus albus cum stigmate virente.

CCXXIV.

SOLANUM VIRGINIANUM. *Linn. syst. pag.* 225.

Solanum americanum laciniatum spinosissimum. *Dill. elth.* 2. *pag.* 360. *tab.* 267. *fig.* 346.

Solanum annuum virginianum nigricans spinosissimum flore cæruleo. *Plukn. alm. pag.* 351. *tab.* 62. fig. 3.

Ex radice annua caulis erigitur brevissimus, scilicet mox in ramos duos principes horizontaliter patentes divisus, ipsos tandem ramosissimos, sic ut tota planta supra terram extendatur, ut non capiam bipedalem altitudinem caulis apud Dillenium. Caulis & rami sunt teretes, hic illic obsolete angulati, glabri, aculeis subulatis rectis longis albidis nitidisque armati; quales etiam petiolos, folia utrinque, pedunculos & calyces plurimi obsident. Folia sunt alterna, longe petiolata, pinnatifide sinuata, acuta, sinubus obtusis, laciniis acutis & ipsis subsinuatis, glabra, saturate virentia cum venis pallidioribus. Racemi ramei, foliis breviores, flores sustinent a quatuor ad octo. His calyx viridis profunde secatur in quinque lacinias lanceolatas & acutas. Corolla semiquinquefida ex cæruleo purpurea est. Bac-

cæ globofæ, glabræ, immaturæ ex viridi albidoque variæ (quod etiam in aliis Solani fpeciebus aliquot obfervavi) ad maturitatem haud pervenerunt.

CCXXV.

SOLANUM LANCEÆFOLIUM.

Sponte crefcit in America meridionali. Apud nos fempervirens, florensque totam æftatem in caldariis; fed fructum non tulit. Caulis pollicem craffus, teres, erectus, lignofus, cortice veftitus fufcocinereo, fuperne debilis, decempedalis, ramofus, fuperne viridis nitidusque. Tales etiam rami, qui debiles magis minusve propendent, nifi fuftineantur a vicinis, in integrum perennantes. Aculei in caule & ramis numerofiffimi, breves, recurvi, ex lata compreffaque bafi fubulati, valide pungentes, apice aurantiaci. Folia gemina, petiolata, lanceolata, utrinque acuta, integerrima, utrinque nitida & ob pilos ftellatos albos feffilesque ad folum microfcopium confpicuos (qui etiam caulem ramosque obfident) parumper ad tactum fcabra, facie atrovirentia & inermia, fubtus dilutius virentia & ad folum nervum medium aculeata, a quatuor ad octo uncias longa. Petioli plus minus fescunciales & aculeati. Racemi laterales, afperi, inermes. Calycis profunde fecti, brevis & virentis laciniæ funt lanceolato-acuminatæ & patulæ. Petali albi & profunde fecti laciniæ funt lanceolatæ & acutæ. Antheræ luteæ. Stigma virens.

CCXXVI.

CCXXVI.

SOLANUM CAROLINENSE. *Linn. ſyſt. pag.* 225. *Cliff. pag.* 61.

Solanum carolinenſe ſpinoſum, boraginis floribus ſpicatis. *Dill. elth.* 2. *pag.* 362. *tab.* 269. *fig.* 348.

Elegans planta ſuffruticoſa apud nos in caldariis læte vegetat, florens æſtate, ſed fructum huc usque negavit. Radix perennis, albida, longa, calamum craſſa, ramoſa, repens. Caulis bipedalis, flexuoſus, ſuberectus, teres, calamum craſſus, baſi tantum perſiſtens, ramoſus, pallidius virens, una cum ramis valde piloſus, tum aculeis ſubulatis rectis ſparſisque armatus, dein etiam pilis ſtellatis ſeſſilibus albisque tectus. Folia ſunt alterna, oblonga, acuta, in lobos lanceolatos acutosque per longitudinem inciſa, utrinque ex incano virentia, mollia ac tomentoſa, ad ſolum nervum medium rariter aculeata ſuperne; ſubtus etiam præterea ex principibus venis; ſemipedalia; petiolis aculeatis & hirſutis. Recemi laterales & terminales, qui dein laterales evadunt, ſimplices, multiflori, elongati, patuli, una cum calycibus hirſuti, cæterum inermes. Perianthii profunde ſecti laciniæ ſunt lanceolatæ & acuminatæ. Petali modo nivei, modo cærulei, modo albo cæruleoque varii, modo iterum primo nivei, dein cærulei, & ſemiquinquefidi laciniæ ſunt ſemiovatæ & acutæ. Antheræ luteæ. Stigma viret. Non puto ſpecie differre a planta Dillenii, quam etiam colimus in caldariis noſtris.

CCXXVII.

CCXXVII.

SOLANUM NODIFLORUM.

Crefcit in infula Mauritii, apud nos floret integrum annum. Frutex inermis, erectus, decempedalis, glaber, debilis; ramis teretibus, fubdichotomis, erectis, ad divifiones nodofe incraffatis. Folia alterna, petiolata, ovata, acuta, integerrima, tenuia, utrinque virentia, venofa, bafi per petiolos plus minus decurrentia, longiora femipedalia. Pedunculi communes filiformes, fescunciales, patuli, teretes, virides, umbellati, laterales ex nodis ramorum infra folia. Pedicelli proprii plus minus fex, uniflori, filiformes, unam tertiam unciæ longi. Flores parvi. Calycis minuti & virentis foliola oblonga, obtufa, plana. Petalum album, bafi flavefcens, rotatum, profunde quinquefidum; laciniis lanceolatis, acutis, patentiffimis. Antheræ luteæ. Bacca globofa, pifelli magnitudine, atra, glabra, lucida. Semina albida. Ab incolis malaico nomine vocatur *Bret*, coliturque pro olere.

CCXXVIII.

CYNANCHUM CAROLINENSE.

Radix perennis conftat cruribus fafciculatis, albidis, teretibus, calami columbini craffitie. Caulis unus alterve annuus, hinc bafi neutiquam fuberofus, volubilis, teres, quadripedalis, inferne purpurafcens, cæterum viridis, hirfutus. Folia oppofita, patentia, petiolata, plana, longe cordata, acuta, integerrima, venofa, fupra villofula, fubtus & ad

oras

oras hirſutula, tres quatuorve uncias longa, petiolis vix uncialibus, villoſulis cum interſperſis rariter pilis. Pedunculi communes ſolitarii, alterni, laterales inter petiolos, horum circiter longitudine, teretes, erecti, villoſuli, apice ſubumbelliferi. Bracteæ ſubulatæ, parvæ. Flores inodori, plus minus ſepteni, pedunculati. Aeſtatem agit apud nos ſub dio, & floret Auguſto & Septembri. Fructum adhucdum deſideramus. Petala facie badia, ſubtus ex badio pallida, utrobique tamen ſordide, tum facie ad lentem rugoſula. Calyx viret. Nectarii tubus inferne pallet, ſuperne badius. Ejusdem laciniæ ſunt atræ. Bracteæ vaginales ſunt atropurpureæ. Antheræ flavent. Maxima affinitate jungitur cum Cynancho ſuberoſo Linnæi, ſed noſtrum illud caulem minime ſuberoſum habet, ne prennantem quidem; tum corollam obtuſiſſimam, quam in ſuberoſo deſcribit & delineat Dillenius cuſpidatam. Germen muricatum indicare videtur futurum fructum ſimilem fructui Cynanchi ſuberoſi apud Marcgravium. Characterem inveni ſequentem.

CAL. Perianthium quinquepartitum, patentiſſimum; laciniis anguſte lanceolatis, acutis, villoſulis, ad apicem ciliatis.

COR. monopetala, rotata, patentiſſima, quinquefida; laciniis lanceolatis, obtuſis, planis, calyce ferme triplo longioribus.

Nectarium campanulatum, parvum, ex fundo corollæ adſcendens; tubo pentagono; limbo quinquepartito in lacinias triangulares, ad latus utrinque cornutas, craſſas, & genitalibus incumbentes. Vagina germen circumdans dividitur ſuperne in quinque bracteolas, intus ad baſin biſaccatas & apicibus ſuis ſtigmati incumbentes.

STAM. Filamenta decem, congenerum ſitu & figura.

PIST. Germina duo, ovata, hinc plana, illinc convexa, muricata; abeuntia in ſtylos duos ſubulatos; quibus eſt ſtigma commune diſcoideum, pentagonum, in ſuperficie ſulco transverſo exaratum.

PER. & SEM. . . .

CCXXIX.

ASCLEPIAS CITRIFOLIA.

Creſcit in America. Apud nos ſub dio floret Julio, hyemem agens in tepidario, nec fructum huc usque dedit. Tota lacteſcit. Radix perennis, carnoſa, alba, digitum craſſa & longa, fibris aucta. Caules annui, erecti, ſimplices, teretes, pedales, ad lentem villoſuli. Folia oppoſita, petiolata, ovato-lanceolata, acuta, ad oras repando-undulata, firmula, ſupra pallidius virentia & glabra, ſubtus glauca & ad lentem piloſula, quadriuncialia. Umbella terminalis cum axillari ſæpe una alterave, hemiſphærica, erecta, rigidula, ſic denſa, ut petala florum ſibi mutuo incumbentia tranſitum oculis negent. Flores albidi magnitudine & ſtructura partium exacte congruunt cum floribus Aſclepiadis curaſſavicæ.

CCXXX.

CALEA ASPERA.

America meridionalis patria eſt. Apud nos in caldariis læte viget, florens totam æſtatem, modo annua, modo hyeme inferne perſiſtens. Non poteſt eſſe Calea Linnæi jamaicenſis, cui in Amænitatibus academicis adſcribuntur

buntur caules teretes, corollæ ſanguineo-luteæ, &c. Nec eſſe Calea oppoſitifolia, cui ſpicæ ſubſeſſiles ovatæ & congeſtæ. Nec tandem Calea ſcoparia, cui folia minuta & alia. Novam igitur credidi, & dixi aſperam, quia tota aſpera eſt. Radix ramoſa, fibroſa, ſordide albens, inodora, & parum ſapida. Caulis unicus, vel ab ipſa baſi ramoſus, a duobus ad quinque pedes altus, tetragonus, in altiorbus individuis etiam una compreſſus, erectus, viridis cum maculis atroſanguineis. Folia ſunt oppoſita, petiolata, caulina majora deltoidea, reliqua lanceolata, acuminata, inæqualiter ſerrata, ſubtriplinervia, venoſa, ſemipedalia, ad pedunculos ſive ramos ultimos quandoque ſolitaria absque oppoſitione. Pedunculi elongati, fere aphylli, tetragoni, terminales in caule & ramis, modo ſimplex, modo parum diviſi. Flores inodori, hemiſphærici. Calyx viret. Corolla albet. Anthera nigra in principio extra corollulam eminet, dein intra hanc elongatam conniventemque includitur. Pappi ſetæ albæ ante ſeminum maturitatem decidunt, fere jam una cum corollulis, unde ſemina pappo deſtituuntur. Paleæ in flore virides, in fructu fuſceſcunt. Odor plantæ nullus; ſapor paucus & ingratus.

CAL. communis ſubimbricatus; ſquamis lanceolatis, acutis, planiuſculis, patentiſſimis.

COR. compoſita, uniformis, ſubtus plana, ſupra convexa, calyce duplo longior. Corollulæ hermaphroditæ plurimæ, æquales.

Propria infundibuliformis; tubo cylindrico, incurvo; limbo quinquefido ex laciniis lanceolatis, acutis, erectis.

STAM. Filamenta quinque, capillaria. Anthera cylindrica, tubuloſa.

PIST. Germen turbinato-oblongum, tetragonum. Stylus filiformis, longitudine corollæ. Stigmata duo, revoluta, corollam ſuperantia.

PER. nullum. Calyx immutatus.

SEM. ſolitaria, oblonga, tetragona, truncata. Pappus ex ſetis paucis, longitudine palearum, caducus.

REC. convexum, paleaceum. Paleæ oblongæ, introrſum mucronatæ, concavæ, omnes æquales.

CCXXXI.

GALEGA CAPENSIS.

CAL. Perianthium monophyllum, campanulatum, ſemiquinquefidum; dentibus lanceolatis, ſubæqualibus, acutis; tribus exterioribus erectis; duobus ſuperioribus minus profunde inciſis & ad dorſum vexilli reflexis.

COR. papilionacea.

Vexillum ſubrotundum, emarginatum, convexulum, amplum, ex ungue erecto brevique ad angulum rectum reflexum.

Alæ oblongæ, obtuſæ, concavæ, erectæ, lateribus anticis patentes, poſticis ſibi mutuo ad vexillum incumbentes, fere longitudine vexilli.

Carina falcata, acuta, brevis.

STAM. Filamenta decem, diadelpha (ſimplex & novemfidum) ſitu piſtilli. Antheræ ſubrotundæ.

PIST. Germen oblongum, teres, villoſulum, erectum. Stylus ad angulum rectum adſcendens. Stigma ſubrotundum, apice barbatum.

PER.

PER. Legumen lineare, teres, rectum, ad femina torulofum, uniloculare, bivalve.

SEM. plura, teretiufcula, fubreniformia.

Ad Promontorium bonæ Spei fponte crefcit; apud nos in caldariis lætius viget, florens Julio & Augufto, perficiens femina Septembri & Octobri. Radix fufiformis, albida, bafi fibrillis aucta, calamum craffa & ultra. Caulis vel ex ipfa bafi ramofus, ad lentem una cum ramis inferioribus villofulus, cæterum glaber, teres, totus procumbens cum ramulis ultimis adfcendentibus, fuffruticofus. Folia funr pinnata, plerumque ex quinque vel quatuor jugis cum impari terminante, longius petiolata, alterna, glabra; pinnulis oblongis, oppofitis, obtufis, integerrimis, breviter petiolatis. Stipulæ fubulatæ, parvæ. Racemi oppofitifolii, graciles, femipedales, pauciflori tamen, fcilicet ad diftantias ferentes fuperne flores gemellos aut folitarios, fucceffive prodeuntes. Calyx ad lentem villofulus viret. Corolla tota rubra eft. Antheræ fordide luteæ. Legumen ad lentem villofum. Semina fufco nigroque varia.

CCXXXII.

SANICULA MARILANDICA. *Linn. fyft. pag.* 272. *Gron. virg pag.* 42.

Sanicula marilandica caule & ramulis dichotomis, echinis minimis in eodem communi pedunculo ternis. *Raj. fuppl.* 260.

Lappula fere umbellata, aftrantiæ foliis, virginiana. *Plukn. mant.* 114.

Floret apud nos Julio & Augufto, femina perficiens Octobri. Tota glabra eft. Radix perennis conftat fibris craffis, albidis, fapore petrofelini. Caulis annuus, erectus, plus minus bipedalis, calamum craffus, ftriatulus, totus ramis alternis ornatus, ad fummitatem trichotomus, ramis dichotomis cum umbella in divifionibus. Folia radicalia plura, longe petiolata, ternata, acute ferrata, acuta; foliolis fubrhombeis, fubfeffilibus; intermedio fuperne trilobo; lateralibus bipartitis in lobos etiam fubtrilobos adinftar folioli intermedii. Caulina inferiora alterna, radicalibus fimilia, fed acutiora & minora. Summa caulina & ramea ad divifiones oppofita, fere feffilia, ternata, ferrata, acuta, at vix lobata. Umbellæ pedunculatæ, fimplices, pauciforæ. Flofculi mares breviter pedicellati. Feminæ feffiles. Involucri folia pauca ovata & acuta, nonnunquam lobata. Perianthii pentaphylli foliola lanceolata, acuta, concava, erecta, viridia, longitudine corollæ. Petala albida, acuta, inflexa, erecta. Antheræ pallidæ, didymæ. Germen hifpidum, inferum. Styli duo, filiformes, erectiufculi, petalis paulo breviores. Stigmata fimplicia, obtufa. Fructus compreffo - fubrotundus, echinatus, fufcus, parvus, feparabilis in duo femina.

CCXXXIII.

MESEMBRYANTHEMUM CORDIFOLIUM. *Linn. fyft. pag.* 468. *Linn. fuppl. pag.* 260.

Planta fruticofa, fempervirens, adfpectu tamen herbacea, caule foliis calycibusque excavata punctis innumeris, & hinc ad tactum fcabriufcula, cæterum glabra, apud nos æftatem fub dio, hyemem in tepidario tranfigit,

ſigit, florens totam æſtatem. Caulis obſolete tetragonus, calamum craſſus, pedalis & ultra, erectiuſculus, ex omnium foliorum alis brachiatus; hinc rami inſimi toti proſtrati, tandem ipſo caule longiores. Folia oppoſita, cordata vel ovata, acuta, integerrima, petiolata, carnoſula, nitida, læte virentia, longiora biuncialia. Pedunculi uniflori, breves, craſſi, ſolitarii, in principio terminales; ſed qui deinde evadunt axillares ad ramum futurum, aut etiam locantur in eorundem dichotomia, prouti vel unicus vel oppoſiti gemini ramuli ex foliorum alis egrediuntur. Germen turbinatum, punctatum. Perianthii tetraphylli foliola oppoſita duo lanceolata, alia duo ovata & majora. Petala ſaturate purpureorubra, calyce breviora. Styli quatuor. Capſula tetragona, quadrilocularis, quadrivalvis. Semina nigrofuſca, punctata.

CCXXXIV.

GNAPHALIUM EXIMIUM. *Linn. ſyſt. pag.* 745. *Linn. mant. pag.* 573.

Elichryſum africanum, foliis lanceolatis integris tomentoſis decurrentibus, capitalis congeſtis ex rubello aureis. *Edw. av. pag.* 183. *tab.* 183.

Frutex ſpecioſiſſimus ad Promontorium bonæ Spei ſponte creſcit. Caulis erectus, ramoſus, digitum & ultra craſſus, lignoſus, teres, una cum ramis albo tomento denſe veſtitus foliisque totus tectus. Hæc ſunt imbricata, longe ovata, acuta, ſeſſilia, integerrima, erecta, utrinque denſe tomentoſa incana moliſſimaque, nervo dorſali inſtructa, cæterum nervis aliis venisque deſtituta, coriacea, duas plus minus uncias longa, numeroſiſſima. Pedunculi ſolitarii egrediuntur ex ſummorum foliorum alis, ſimul corymbum forman-

formantes, fescunciales, teretes, erecti, tomentosi, foliolo parvo uno alterove adinstar bracteæ vestiti, plerumque biflori, etiam triflori, rarius uniflori. Flores subrotundi, inodori, digitum crassi, aut ipsi etiam breviter pedicellati, aut sessiles. Calycis squamæ numerosissimæ, ovatæ, obtusæ, concavæ, imbricatæ, nitidissimæ, glaberrimæ, scariosæ, eleganter & saturatissime purpureæ, tandem partim in sordentem flavedinem transeuntes. Corollulæ albidæ.

CCXXXV.

KIGGELARIA INTEGRIFOLIA.

Migravit hæc arbuscula quinquepedalis ex horto Hagensi Schwenkiano in hortum Cæsareum Schönbrunnensem, empta sub titulo novæ Rhamni speciei. Adeo similis est, dum floret, Kiggelariæ africanæ mari, ut ad primum adspectum eandem quis crederet, nisi folia videret non serrata. Quantumvis flores observaverim hermaphroditos omnes, nullus tamen vel fructus incipientis indicium dedit, ut sint forte hermaphroditi steriles, qui loco masculorum inserviunt. Ad Kiggelarias igitur reduxi, donec cognitio fructus conjecturam aut firmet, aut emendet. In caldario sempervirens floret Augusto & Septembri. Rami teretes, juniores villosi. Folia sunt lanceolato-oblonga, acutiuscula, integerrima, breviter petiolata, alterna, firma, crassa, utrinque ad lentem sericeo-villosa, tres quatuorve uncias longa, subtus læte viridia, supra atrovirentia, ad lucem reticulato-venosa. Racemi axillares, solitarii, circiter octoflori, erectiusculi, ad lentem villosuli, unciales. Flores ex pedicellis propriis cernui, subsecundi, inodori; calyce hirsuto, corollæ concolore; petalis crassulis, sulphureis, glabris; antheris pallidis

cum

cum linea media fuſca; & germine hirſuto. Bracteæ parvæ, acutæ, deciduæ. Floribus hujusce individuæ arbuſculæ fuit ſequens character.

CAL. Perianthium monophyllum, ſemiquinquefidum, patulum, corolla duplo brevius; laciniis ovatis, acutiuſculis, ciliatis, planis.

COR. pentapetala, rarius tetrapetala; foliolis lanceolatis, acutis, ſimul corollam campanulatam formantibus.

Nectarii glandulæ nullæ.

STAM. Filamenta circiter viginti, craſſula, breviſſima, receptaculo communi inſerta. Antheræ oblongæ, erectæ, ſuperne hirſutæ, ad apicem utroque latere dehiſcentes.

PIST. Germen ſubrotundum, ſuperum. Styli duo, craſſi, patuli. Stigmata obtuſa, ſimplicia.

PER. & SEM. . . .

CCXXXVI.

IPOMOEA PENTAPHYLLA. *Linn. ſpec. pl. edit.* 1. *pag.* 162. *Linn. hort. upſ. pag.* 39.

Convolvulus pentaphyllus. *Linn. ſyſt. pag.* 202. *Linn. ſpec. pl. edit.* 2. *pag.* 223.

Convolvulus americanus villoſus pentaphyllus & heptaphyllus major. *Herm. lugd. pag.* 183. *tab.* 185.

Elegantem hanc plantam ſæpiſſime obviam habui in fruticetis apricis inſulæ Martinicæ, quæ tota longe obducit, nec habitum in caldariis noſtra-

tibus ullo modo mutavit, annua hic semper, forte longævior in patria. Jam a triginta annis cum in Cæsareis, tum in Botanici horti caldariis sæpenumero ex semine multiplex enata fuit, vegetavit semper omnium lætissime, sed periit semper ad primum hyemis adventum sine flore. Anno demum 1787. radiis solaribus maxime exposita, & aqua copiosa, cujus est sitientissima, continuo irrigata, caule intra sex mensium spatium jam ad octo & triginta pedes elongato, produxit mense Octobri plurimos flores, paucosque dein maturos fructus. Sloanei a Linnæo citatum synonymum omisi; non enim sloaneana planta in nostram quadrat, nec radice donatam tuberosa, nec pilis pungentibus, nec seminibus hirsutis. Plumieri autem a Linnæo adducta varietas meretur, opinor, ob folia denticulata dici species distincta. Bracteæ duæ magnæ, calycem a Linnæo includere dictæ, sunt calycis ipsius foliola duo extima. Lacte candido tota scatet. Radix constat plurimis fibris longis, sordentibus, vix pennæ columbinæ crassitie. Caulis unicus, teres, volubilis, longus, ramosus; tandem basi digitum crassus, glaber, cinereofuscus & adspectu lignescens; cæterum purpurascens, calami crassitie, punctatus & pilis longioribus dense tectus. Rami juniores virides & graciliores. Folia sunt digitata, alterna; petiolis plus minus longitudine foliorum, teretibus, hirsutis; foliolis lanceolatis, acuminatis, integerrimis, sessilibus, rugosis, pilosis, in foliis majoribus superne latescentibus. Pedunculi axillares, solitarii, teretes, hirsuti, plus minus quadriunciales, subdichotomi, a tribus ad septem flores ut plurimum sustinentes. Pedicelli proprii sescunciales, hirsuti. Calycis pentaphylli foliola sunt lanceolata, acuta, mutuo incumbentia; exteriora longiora, magis minusve purpurascentia, punctata & infra medium hirsuta; interiora fere glabra & excoloria. Corolla infundibuliformis, alba, calyce longior, margine obsoletius quinquelobo cum lobis denticulo acutis. Antheræ niveæ, lineares, erectæ. Stigma capitatum,

tatum, didymum, papillofum. Germen flavefcens & glabrum ad bafin circumdatur glandula flava & quinquefida. Capfula fubrotunda, glabra, bilocularis. Semina in quolibet loculamento bina, fubrotunda, glabra, fufcefcentia cum hilo albo.

CCXXXVII.

COREOPSIS LIMENSIS.

Planta fuffruticofa, bipedalis, in caldario apud nos flores a Septembri producens ad Novembrim, femina matura Decembri. Caulis teres, tomentofus, calamum & ultra craffus, ramofus. Folia funt alterna, petiolata, obtufa vel acutula, late ovata, fubtrinervata, integerrima vel obfolete denticulata, utrinque tomentofa & fubincana. Pedunculi terminales, elongati, erecti, teretes, villofi, fubdivifi. Flores odorati. Calyx villofus viret. Corollæ radius faturate flavet. Corollulæ difci funt luteæ. Antheræ rufefcunt. Stigmata funt lutea. Paleæ extimæ virent, interiores fcariofæ albefcunt. Semina nigricant cum ciliis albis. Hæc ab aliquot annis fæpius mihi miffa fuerunt fub titulo Enfeliæ limenfis; fed non mihi videtur a Coreopfi avelli poffe; uti patet ex totius fructificationis charactere fubjuncto.

CAL. communis imbricatus, polyphyllus, perfiftens; foliolis lanceolatis, acutulis, planiufculis, patulis, interioribus longioribus.

COR. compofita radiata. Corollulæ hermaphroditæ in difco elongato numerofæ. Femineæ circiter decem in radio.

Propria hermaphroditis longe infundibuliformis; limbo quinquefido; laciniis lanceolatis, revolutis.

Fæminea ligulata, difformiter bifida, trifida vel quadrifida; laciniis latis, reflexis.

STAM. Hermaphroditis Filamenta quinque, capillaria, breviſſima. Anthera cylindrica, tubuloſa, quinquedentata.

PIST. Hermaphroditis germen inferum, compreſſum, cuneiforme, ad verticem & latera ciliatum. Stylus filiformis, longitudine ſtaminum. Stigma bifidum, craſſulum.

Fæmineis Germen ut in hermaphroditis. Stylus nullus. Stigma nullum.

PER. nullum. Calyx immutatus.

SEM. Hermaphroditis ſolitaria, cuneiformia, compreſſo-plana, bicornia, ſericea.

Fæminis nulla.

REC. convexum, punctato-tuberculatum, paleaceum. Paleæ concavæ, acutæ, flore breviores.

CCXXXVIII.

MIMOSA TAMARINDIFOLIA. *Linn. ſyſt. pag.* 917. *Mant. pag.* 503.

Acacia aculeata, flore albo, foliis tamarindi. *Plum. ſpec. pag.* 17. *ic. pag.* 4. *tab.* 7.

In caldariis noſtris floret æſtate, ſed fructum nedum tulit. In Caribæis inſulis arbuſcula ſponte creſcit. Caulis & rami teretes, glabri, aculeis ſubulatis rectis nigricantibus ſparſisque armati. Stipulæ ad folia & bracteæ ad pedunculos ſunt cordatæ, acutæ, ſeſſiles & pallide virentes, in ramulis no-

novellis rubentes. Folia bipinnata; ſæpius quadrijuga, etiam quinquejuga & trijuga; pinnulis numero incerto plus minus duodecim, lineari-oblongis, acutulis, glabris, ſubſeſſilibus, parvis. Racemi laxi, terminales & axillares, plus minus ſemipedales; pedunculis propriis biuncialibus, teretibus, patulis, apice colligentes flores in capitulum ſubrotundum. Hi toti pallide ochroleuci, ſeſſiles & ſuaveolentes charactere gaudent ſequenti.

CAL. Perianthium monophyllum, turbinatum, erectum, valde inæqualiter & diverſimode quinquedentatum, corollæ ad unam tertiam brevius.
COR. monopetala, turbinata, erecta; ore contracto & quinquedentato.
STAM. Filamenta numeroſa, capillaria, erecta, petalo duplo longiora, ipſa baſi connata in unum corpus. Antheræ ſubrotundæ, parvæ.
PIST. Germen ovatum, pedicellatum. Stylus capillaris, longitudine & ſitu ſtaminum. Stigma ſimplex.
PER. Legumen oblongum, acutum, compreſſo-planum.
SEM. plura, rotundata, compreſſo-plana.

CCXXXIX.

VERBENA PRISMATICA. *Linn. ſyſt. pag. 66.*

Verbena minima, chamædryos folio. *Sloan. hiſt. jam.* 1. *pag.* 172. *tab.* 107. *fig.* 2.

Creſcit in Jamaica. Radix annua, ramoſa, albida. Caulis, rami, folia utrinque, ſpicæ & calyces ſunt mollia & breviſſimo villo obſita. Caulis erectus, in caldariis noſtris à tribus ad quinque pedes altus, (bipeda-

lem in ſylveſtri planta aſſerit Sloaneus, & tamen minimam Verbenam vocat,) inferne digitum minimum craſſus, obtuſe tetragonus & quadriſulcatus, ramoſus, medulla alba farctus. Folia ſunt oppoſita, petiolata, ovata cum baſibus ad petiolum parumper productis, acutula, ſerrata cum dentibus obtuſulis & mucronatulis; majora triuncialia cum petiolo biunciali; longe minora illa, quæ in planta jam adulta prodeunt. Spicæ plus minus ſemipedales ex divaricatione ramorum, erectæ, denſæ nec tamen carnoſæ. Bracteæ ſubulatæ, ſeſſiles, parvæ. Flores ſeſſiles, inordinate ſiti, ad ſpicam appreſſi. Calyx tubuloſus, compreſſus, tetragonus, obſoletius quadriſulcatus, truncatus cum dentibus quatuor ſubulatis diſtantibus & erectis. Corolla purpurea; tubo incurvo longo & gracili; limbo patentiſſimo bilabiato, cum labio ſuperiori bifido, laciniis omnibus ſubrotundis obtuſis, & infima duplo latiore. Stamina duo. Semina duo, linearia, fuſca, longitudine calycis.

CCXL.

SALVIA PSEUDOCOCCINEA.

In America calidiore creſcit, apud nos in caldariis floret æſtate, & ſemina perficit autumno, adeo ſimilis Salviæ coccineæ, ut ad primum intuitum eadem credi poſſit. Caulis ſuffruticoſus, ramoſus, erectus, tetragonus, alba medulla farctus, tripedalis, baſi calamum craſſus, pilis longis cinereis mollibusque denſe hirſutus. Folia oppoſita, longe petiolata, ovata cum baſibus verſus petiolum piloſum parumper productis, adeoque minime cordata, cæterum acuta, ſerrata, venoſa, utrinque villoſa & mollia. Racemus terminalis, verticillatus ex ſex floribus in quolibet verticillo breviter peduncula-

cula-

culatis. Calyx paulo minor quam in Salvia coccinea; cæterum totus flos magnitudine ſtructura & colore ſic huic ſe ſimilem præbet, ut nequeat dignoſci. Differt planta a coccinea foliis ovatis, nec ad baſin ſinuatis, & pube longa.

CCXLI.

GLADIOLUS GRAMINEUS. *Linn. ſyſt. pag. 86. ſuppl. pag. 9.*

Ad Promontorium bonæ Spei ſponte creſcit, florens apud nos in tepidario menſibus Novembri & ſubſequis. Bulbus ſubrotundus, ſolidus, intus albus, tunica fuſca & fibroſa veſtitus, ex baſeos planæ margine radiculas emittens. Folia enſiformia, acuta, integerrima, glabra, longitudine diverſa, erecta, nervo medio utrinque protuberante, baſi fiſſa caulem amplexantia, latiora quadrilinearia. Caulis gracilis, compreſſulus, ad lentem ſtriatulus, ſuperne laxus, folioſus, erectus, ſesquipedalis vel etiam tripedalis, foliis longior, una cum foliis plano-compreſſus & anceps, ut in pluribus Iridibus; ad pedunculos communes in racemo parva, ſubulata, & ſeſſilia. Pedunculi communes axillares, plus minus quadriflori, laxi, graciles, patuli; in planta altiore ramoſi. Bracteæ ad hos flores plerumque gemellæ, acuminatæ; quæ floribus ſubjiciuntur, ovatæ, oppoſitæ, virides cum oris membranceis albidis, concavæ, ſtriatulæ, quarum altera ſub petalis anguſtioribus bifida eſt. Flores inodori, ſeſſiles, ſucceſſive ex pedunculo elongato prodeuntes. Corollæ cum virore albidæ & ſubcampanulatæ tubus vix ullus; limbi laciniæ ſubæquales quidem, ſic tamen, ut tres ſuperiores, tribus inferioribus oppoſitæ, ſint latiores atque ovatæ; omnes ariſtatæ, foris linea media protuberante viridi & intus ad baſin

lineo-

lineola purpurea notatæ. Ex latioribus lacinia intermedia & ex anguſtioribus duæ laterales intra tres reliquas locantur, ut videatur corolla hexapetala. Filamenta tria, alba, & prædita antheris luteis, adſcendunt verſus laciniam ſummam petali, quo duplo breviora. Germen triquetrum. Stylus albus, ſtaminibus longior. Stigma capitatum. Capſula ſubrotunda, triloba, glabra, fuſceſcens, trilocularis, trivalvis. Semina in quolibet loculamento duo vel tria, ſubrotunda cum mucrone, nitida, dilute badia. Ex alis foliorum in caule adultæ majoris plantæ ſæpe bulbi enaſcuntur ſubrotundi nigri nitidique.

CCXLII.

POA SICULA.

Cynoſurus ſpica diſticha, compreſſo-plana; ſpiculis alternis, ſeſſilibus, acutis. *Jacq. obſ. part.* 2. *pag.* 22. *tab.* 43.

Gramen filiceum, paniculis integerrimis. *Bocc. ſic. pag.* 62. *tab.* 33. *fig.* 2. *Moris. hiſt.* 3. *pag.* 204. *ſ.* 8. *t.* 6. *f.* 53.

Gramen paniculis elegantiſſimis, denſis; ſiculum. *Tourn. inſt. pag.* 522.

Sicilia patria eſt. Radix fibroſa, apud nos in tepidariis hyemem agens perennis, culmos producit plures, graciles, teretes, ſpithamæos aut paulo altiores, glabros, geniculatos, primum ſimpliciſſimos, dein ramoſos, modo erectos, modo adſcendentes & flexuoſos, etiam baſi procumbentes. Folia ſunt glabra, acuta, vaginantia, erecta, ad oras retrorſum ſcabra, a duabus ad quatuor uncias longa. Culmum ramosque terminat rachis erecta ſtriatula ac flexuoſa, quæ lateraliter in ſinus alternos exſcinditur, quibus ſingu-

ſingulis inſidet ſpicula diſticha, oblongo-lanceolata, acuta, rigidula, compreſſo-plana, denſa, numero vario utrinque ab unico ad octo, a dimidia ad integram uncia longa, continens a viginti ad quadraginta floſculos, nullis bracteis ſuffultos. Calycis communis bivalvis valvulæ ſunt lanceolatæ, acutæ, conniventi-concavæ, glabræ, virides cum oris albidis & ſcarioſis, perque longitudinem ſtriis quinque albidis percurſæ. Corollularum bivalvium valvula exterior calyci ſimillima, ſed dorſo medio hirtula. Valvula interior paulo brevior, magis hirtula magisque ſcarioſa. Germen ſubrotundum, glabrum. Styli duo, ſuperiori margine per totam longitudinem lacinulis ſubulatis fimbriatæ.

CCXLIII.

ALLIUM SUAVEOLENS.

In *Auſtriæ* pratis paludoſis copioſe creſcit, florens *Auguſto*, totum glabrum. Folia, ſcapus & germen ad lentem punctata ſunt. Bulbus oblongus, digitum minimum craſſus, tunicatus. Scapus a ſex ad novem uncias longus, erectus, gracilis, teres cum uno alterove angulo obſoleto, aphyllus, ante floreſcentiam ſuperne nutans. Folia plus minus quinque, baſibus vaginantibus connexa ſic ut primo intuitu ſcapus videatur folioſus, linearia, acuta, integerrima, ſcapo aut breviora aut longiora, craſſula, canaliculata cum nervo dorſali acutulo. Umbella ſubrotunda ex pedunculis plus minus triginta ſemiuncialibus & teretibus, quibus fere ſingulis interjiciuntur rudimenta ſpathacea ſcarioſa minima & vix conſpicua. Spathæ bivalvis valvulæ ſunt acutæ, umbella breviores, primum purpureæ, dein ſcarioſæ & cinereæ. Flores ſuaveolentes cum pauco allii odore. Petala alba cum ſuffu-

Q q ſa

ſa ſæpe purpura, ovata, acutiuſcula, parum concava, patula, tria alterna exteriora breviora & ſubtus ad apicem magis purpurea. Filamenta ſubulata, erecta, alba, petalis duplo longiora. Antheræ ovatæ, incumbentes, ſulcatæ, ex flavo ruſæ. Germen viride, ovatum, obſcure triquetrum, obtuſum. Stylus ſubulatus, erectus, albus, ſtaminibus paulo brevior. Stigma ſimplex, acutum. Capſula ovata, obtuſa. Semina pauca, oblonga, acuta, nigra.

CCXLIV.

CYPERUS ALTERNIFOLIUS. *Linn. ſyſt. pag. 96.*

Ex ipſius Linnæi determinatione ſpecifica: *culmo triqretro, nudo, apice alternatim folioſo; pedunculis lateralibus, proliferis*; ad amuſſim huic plantæ conveniente, judico, eſſe Cyperum alternifolium; ſed Moriſoni ab eodem citata planta eſſe nequit, utpote quæ caulem habeat geniculatum, & quam puto ad Cyperum ſpathaceum Linnæi amandari debere, quod jam ipſe antea Linnæus fecerat in Speciebus ſuis. Noſtræ plantæ inodora radix perennis componitur ex congerie denſa numeroſiſſimarum fibrarum fuſcarum, quæ per totum fere annum ſucceſſive emittunt ceſpitem culmorum; unde etiam per totum annum viret floretque, hyemem agens in tepidario. Culmus plus minus bipedalis, calamum craſſus & ultra, annuus, erectus, inferne ſpathis vaginatus, cæterum nudus, enodis, nitidus, obtuſe ſic triquetrus ut ad primum adſpectum videatur teres, medulla alba ſolidiore & ſubdulci farctus, ad ipſum apicem folioſus. Folia approximata, alternatim ſparſa, ſeſſilia, lanceolato-linearia, integerrima, glabra, acuminata, ad baſin parumper concava, cæterum plana, infima novemuncialia & dimidiam

unciam

unciam lata, fumma brevia & anguftiffima; omnia fimul in elegantem umbellam reflexo-patentiffima. Pedunculi graciles, glabri, axillares, folitarii, obfolete triquetri, foliis duplo breviores, bafi incraffati, patentiffimi, fuperne alternatim & approximate ramofi; pedicellis quibusdam ad fpiculas iterum ramofis five proliferis. Bracteæ ad pedicellos lanceolatæ, acuminatæ, membranaceæ, albidæ, exiguæ. Spiculæ terminales, a tribus ad feptem digitatæ, lanceolato-lineares, compreffæ, acutæ, glabræ, cinereæ. Calycis fquamæ funt acutæ, dorfo virentes, & ad oras albidæ.

CCXLV.

HIBISCUS DIVERSIFOLIUS.

Speciofa planta communicata mecum fuit fub titulo Hibifci ficulnei Commerfoni ex India orientali; quum vero a ficulneo Linnæi certiffime difcrepet, a foliorum diverfiffima figura nomen triviale dedi. Caulis arboreus, erectus, fexpedalis, teres, uncialis diametri & ultra, ramofus, viridis, villofulus, medulla alba farctus, armatur aculeis brevibus pungentibus, fufcefcentibus rectisque. Rami virgati patent. Folia sunt alterna, longe petiolata, inferiora quinqueloba, fuperiora triloba, fumma indivifa & oblonga, acutiufcula, ferrata, utrinque hirfutula, venofa, fubtus ad nervos hifpida; petiolis teretibus, villofis armatisque fæpe fubtus raris aculeis. Pedunculi uniflori, axillares, folitarii, breves. Calyx exterior polyphyllus ex foliolis plus minus undecim linearibus, acutis, rigidulis, hifpidis, patulis. Interior etiam pilis albidis hifpidus, longitudine exterioris, patulus, ad duas tertias quinquefidus; laciniis ovato-acutis. Corollæ amplæ & calyce multo longioris petala ex ungue angufto dilatata in laminam

latiffimam, rotundatam, obtufiffimam, obfolete crenatam, patentiffimam, fulphuream cum bafi atrofanguinea. Stamina & ftigma tota atrofanguinea, polline fanguineo-miniato. Stigma quinquefidum, capitatum, planum, pilofulum. Germen hirfutum. Capfula ovata, quinquelocularis, polyfperma. In caldariis noftris primo anno floruit demum a Septembri ad Decembrim; proximis annis jam Aprili & fubfequis; atque tunc caulis, eodem plane modo ac Malachra fafciata, fed obfoletius, maculatus evadit.

CCXLVI.

LEDUM LATIFOLIUM.

Ex Anglia fub hoc titulo ad nos pervenit, patria nobis ignota, æftatem fub dio agens, hyemem in hybernaculo, florens Aprili & Majo, frutex fempervirens, tres quatuorve pedes altus, ramofus, facie Ledi paluftris, trunco digitum craffo, ramis primi anni lanatis & albidis, fubfequentis anni tomentofis & ferrugineis, fenioribus glabris & fufcis. Folia funt alternatim fparfa, breviter petiolata, integerrima, obtufa, unciam vel fescunciam longa, ovata, fed lateribus fic revoluta, ut evadant tandem vere bullata; juniora dilute virentia, fupra pilofa & fubtus albo-lanata; feniora fere glabra, atrovirentia & fubtus nonnunquam ferruginea. Pedunculi communes terminales, vix unciales, erecti & fquamis imbricatis ferrugineis veftiti. Pedunculi proprii ex fingulis fquamis filiformes, villofuli, corymbofi. Flos fimillimus colore, magnitudine & ftructura Ledo paluftri, fi folum demas ftaminum numerum. Scilicet calyx villofus, minutus. Petala alba, obtufa, patentia. Stamina tantum quinque. Stylus longitudine ftaminum. Stigma obtufum. Capfulæ quinque, univalves & uniloculares. Semina

pluri-

plurima, minuta. In plusculis floribus deficit in omnibus partibus una quinta pars numeri.

CCXLVII.

EUPHORBIA ANGULATA.

Hujus plantæ mentionem feci in volumine tertio Floræ Austriacæ, ubi de Euphorbia dulci agebam, detectæ in Austria a clarissimo Myginda. Nunc copiosam egregius Haenke ad me tulit, ut describere atque icone illustrare possim. Nullum synonymum adjungo, quum certum nullum apud auctores inveniam. Halleri Titymalus num. 1051. non magis huc referri posse videtur, si descriptionem radicis spectes, quæ in Euphorbiam dulcem, nec bene in hanc quadrat; tum quod ille angulos in caule toto tam manifestos silentio prætereat, adducatque synonyma omnia Euphorbiæ dulcis; inter quæ forte Barrelieri planta esset expungenda, & hujus loco ponendus *Titymalus dulcis*, *tuberosa radice* ejusdem ic. 909. At tamen ex involucellis floribusque flavis ab Hallero dictis suspicaremur, esse eandem suam cum nostra. Autoptæ Helveti judicabunt, utrum vir celeberrimus unam ex duabus diversis plantis descriptionem concinnaverit. Nostram plantam sic describo. Floret Majo & Junio. Lacte tota scatet. Radix perennis, horizontalis, repens, longa, teres, albida, calamo duplo triplove gracilior, hic illic bulboso-nodosa fibrillasque agens. Caulis annuus, erectus, glaber, pedalis, basi sola teres, cæterum argute striato-angulatus, parum ramosus vel simplicissimus. Folia oblonga, obtusa vel acutiuscula, sessilia, patentissima, ad lentem minutissime serrulata, supra glabriuscula & virentia, subtus pallidiora & villosula. Involucri foliola quina, ovata, sessilia, foliisque cæte-

rum fimilia. Involucellorum foliola oppofita, cordata, obtufa, ferrulata, plana, patentiffima, cum flavedine virefcentia. Umbella quinquefida, dein bis bifida. Flos umbellæ centralis pentapetalus, germine carens & fterilis. Tales etiam quandoque flofculi umbellularum primæ divifionis; aut hi funt pentapetali & ex germine præfente fertiles, aut funt tetrapetali & fertiles, cujusmodi funt illi ex fumma divifione. Flores omnes feffiles petala habent fubrotunda, convexula, flava, dein lutea, tandem emarcida ferruginea. Calyx eft glaber. Germen verrucofum. Fructus muricatus.

CCXLVIII.

EUPHORBIA SERRATA. *Linn. fyft. pag.* 453.

Tithymalus characias folio ferrato. *Bauh. pin.* 290.
Tithymalus myrtites valentinus. *Cluf. hift. pag. CLXXXIX.*

Crefcit fponte in Hifpania, Italia & Gallia narbonenfi; apud nos culta in horto per plurimos jam annos perennis fub dio perfiftit, admodum nunc multicaulis, & florens Majo & Junio. Tota lacte abundat. Radix perennis, ramofa, digitum & ultra craffa, caules producit annuatim plures, erectos, pedales, in culta bipedales, teretes, calamum craffos, virides, plerumque fimpliciffimos, in culta nonnunquam ex omnium foliorum alis longe ramofos & florigeros. Folia alterna, remota, feffilia, fubnervofa, ferrata, acuta, inferiora elongate lanceolata, fumma rhombea cum angulo extimo producto multoque latiora. Involucri foliola cordata, acuta, ferrata, latiffima, hinc mutuo incumbentia, cum flavedine fuffufa-virentia, nervofa. Involucelli foliola duo, oppofita, ex flavo virentia, prioribus fimilia,

lia, ſed cum altero latere latiori. Umbella quinquefida, rarius trifida; dein bis bifida. Flores pedunculati, primarii ex centro umbellæ & ſubdiviſione prima germine deficiente ſteriles, atque hi raro pentapetali aut tetrapetali, ſed plerumque cum omnibus reliquis floribus dipetali vel tripetali. Petala lata, lutea, modo obſoletius retuſa, modo bicornuta, modo emarginata. Calyx glaber flaveſcit. Antheræ ſunt luteæ. Germen & capſula glabra ſunt. Semina oblonga, obtuſa, nitida, cærulæo-cinerea. Tota glabra lacteſcit admodum.

CCXLIX.

MALPIGHIA COCCIGERA. *Linn. ſyſt. pag.* 426.

Malpighia humilis, ilicis coccigiandiferæ foliis. *Plum. ic. pag.* 161. *tab.* 168. *fig.* 2.

In inſulis Caribæis ſponte creſcit, frutex diffuſus, ramoſiſſimus, ſempervirens, quadripedalis, ramis teretibus, aſperis, junioribus etiam fuſcis. Folia oppoſita, ſubovata, breviſſime petiolata, glabra, læte virentia, nitida, parva, obtuſa vel retuſa, dentato-ſpinoſa, rigidula, raro inermia integerrima buxoque tunc ſimillima. Pedunculi in ramulis brevibus terminales, tum etiam alii axillares, longitudine plus minus foliorum, ſolitarii vel gemelli, plerumque uniflori, rarius bifidi & biflori, geniculati, ad geniculum breviſſime bracteati, infra hoc vireſcentes, ſupra idem purpuraſcentes. Flores inodori. Calyx punctatus, vireſcens. Petala roſea. Antheræ luteæ. Perianthii pentaphylli & parvi foliola ſunt lanceolata, acuta, concava & erectiuſcula; quorum duo proxima dorſo duas glandulas oblon-

oblongas ſingula gerunt; horum latus claudentia duo unicam; his intermedium glandula caret. Petala inæqualia ex longo gracilique ungue in ſubrotundam & criſpam laminam lateſcunt; quorum duo magis approximata locantur ad calycis foliolum eglanduloſum. Styli tres incurvati. Bacca magnitudine piſi majoris, triſulcata, rubra. Semina rugoſa.

CCL.

AGAVE FOETIDA. *Linn. ſyſt. pag.* 338.

Aloë americana viridi rigidiſſimo & fœtido folio, Piet dicta indigenis. *Comm. hort.* 2. *pag.* 35. *tab.* 18.

Aloë americana radice tuberoſa minor. *Plukn. alm. pag.* 19. *tab.* 258. *fig.* 2.

Nullibi in Europæ hortis ante hunc annum vidi hanc plantam florentem, nec forte ab ullo viſa florere fuit. Tandem in horto Cæſareo Schönbrunnenſi floruit menſibus Januario & Februario, ſed nullum poſt tot florum millia fructum dedit. Hi omnes delapſi ſunt una cum germinibus eorundemque loco ſucceſſerunt bulbilli ovati, acuminati & ſeſſiles, conſtantes ex foliolis convolutis, qui Junio ſponte decidere cœperunt, tum apti ad numeroſam procreandam ſobolem. Adeo ſimilis flos eſt *Agavæ cubenſi,* quam in Hiſtoria ſelectarum ſtirpium Americanarum deſcripſi, ut characteri generico ibidem a me dato, quod addam, ne vel leviſſimum momentum habeam; quare nec hic repetam. Quin color etiam floribus idem ſit; tantummodo ſunt in hac paulo majores, & bulbilli acuminati, nec uti in cubenſi obtuſi. Propter corollam vere hexapetalam mereretur utraque ab Agavis ſejungi, novumque conſtituere genus. Sponte creſcit in inſulis Caribæis.

Ex

Ex radice brachium & ultra craſſa fibriſque craſſis capillata prodeunt folia plurima, in orbem ſita, erecta, ſubenſiformia, mucronata, integerrima, ad oras inermia, rigida, craſſa, parumper canaliculata, nitida, læte virentia, intus fibroſa, ſubſpongioſa & alba, longiora ſexpedalia dimidiumque pedem lata, fracta aut trita fœtentia. Scapus triginta duos pedes altus, brachium craſſus, erectus, teres, nitidus; veſtitus ſpathis lanceolatis, mucronatis, pungentibus, integerrimis, ſeſſilibus, infimis pedalibus, ſuperioribus ſucceſſive brevioribus; ſupra medium in amplam paniculam effuſus. Hæc componitur ex ramis alternis circiter quadraginta patentiſſimis, quorum medii longiores ſunt, quinquepedales, digitum craſſi. Atque hi ramulos gerunt numeroſos, alternos, ſimplices, calamum craſſos, a quatuor ad duodecim uncias longos. Bracteæ ad pedunculos lineares, parvæ, ferrugineæ. Pedunculi uniflori, ſparſi, breviſſimi, ſolitarii vel gemelli aut terni. Flores penduli.

CCLI.

ORNITHOGALUM COMOSUM. *Linn. ſyſt. pag.* 327.

Ornithogalum pannonicum albo flore ſive quartum. *Cluſ. hiſt. pag.* 187.
Ornithogalum ſpicatum ſeu comoſum, flore lacteo. *Bauh. pin.* 70. *Rudb. el.* 2. *pag.* 135. *fig.* 1.
Ornithogalum ſpicatum, flore viridi lacteſcente. *Bauh. pin.* 70.
Ornithogali lactei ſpecies major, & Ornithogalum ſpicatum maximum. *Beſl. eyſt. vern. O.* 5. *fol.* 14. *fig.* 3.

Planta Clufii certiffime eft, quam ex iisdem, quos indicavit Clufius, locis erutam filius meus mihi attulit, Clufianæ etiam defcriptioni omnimode convenientem. Ex Linnæi determinatione adæquatiffima effe ejusdem comofum oportet. Befleri icon ad plantam cultam facta confirmat judicium, dum tamen contra propriam figuram vocat Ornithogalum maximum. Nec Ornithogalum pannonicum Befleri clufiana planta eft, fed potius Linnæi pyrenaicum. Cafparus Bauhinus bis eandem hanc ftirpem propofuiffe videtur. Floret Majo, fructumque perficit Julio. Bulbus ovatus, vel etiam magis fubrotundus, uncialis diametri, fæpe obliquus, fibrillis craffulis radicatus. Folia plura, radicalia, vix femipedalia, unam quartam unciæ partem lata, canaliculata, acuta, ex glauco virentia, glabra, reflexa, in florefcente planta fylveftri fæpe (nec tamen femper) jam emarcida. Scapus folio fere duplo longior, teres, erectus, glaucus, fupra medietatem in racemum folutus oblongum, flores inodoros plus minus duodenos continentem. Spathæ membranaceæ, lanceolatæ, acutæ, longitudine pedunculorum. Hi cum in flore tum in fructu funt erectiufculi five adfcendentes. Petala funt lanceolata, obtufa idque interdum cum parvo mucrone, patentiffima, fubæqualia vel alterna pauxillo anguftiora & breviora, intus tota alba vel rarius viridi-maculata, foris virentia cum oris albis. Filamenta omnia funt lanceolata & plana. Antheræ ochroleucæ. Germen flavum. Stylus albus. Capfula ovata, obtufa, trilocularis, trivalvis. Semen in quolibet loculamento ut plurimum unicum, fubrotundum, atrum, punctatum.

CCLII.

CCLII.

ORNITHOGALUM CAUDATUM.

Sub dicto titulo ante plures annos ſemina accepi elegantis hujus Ornithogali a celeberrimo Thouin, forte originis afræ. Sub dio apud nos æſtatem, hyemem in tepidario agit ſempervirens, florens Majo & Junio. Bulbus pugni magnitudine, ſubrotundo-ovatus, albidus, extra terram prominens, ex filis lateralibus brevibus facileque rumpendis, Sempervivi globiferi more, bulbillos emittens, atque ſic ſoboliferus denſumque bulborum ceſpitem aggregatorum brevi producens. Folia ſublinearia, canaliculata, nitida, craſſa, reflexa, in bulbis ſenioribus bipedalia, etiam tripedalia, unamque unciam lata, in junioribus breviora & anguſtiora; ſuperne abeuntia in caudam teretem, ſubulatam, acutam, ſemipedalem, marceſcentem & deciduam, nec hinc in foliis adultis conſpicuam; in bulbis novellis mere ſubulata. Scapus teres, calamum craſſus, erectus, viridis, tripedalis. Racemus erectus, tandem pedalis. Spathæ ſcarioſæ, duplo pedunculis breviores. Hi florentes & fructeſcentes patentiſſimi. Flores ſuaveolentes odore prunorum. Petala obtuſa, patentiſſima, craſſula, utrinque virentia cum oris lacteis, alterna paulo breviora & anguſtiora. Filamenta omnia plana ex lata baſi oriuntur, ſed horum tria alterna hanc habent multo latiorem & ovatam. Antheræ ochroleucæ. Germen viret. Stylus albet. Capſula ſubovata, obtuſa, triſulcata, trilocularis. Semina pauca.

CCLIII.

ORNITHOGALUM SUAVEOLENS.

Crescit ad Promontorium bonæ Spei; apud nos floret in tepidario mense Majo. Totum glabrum. Bulbus subrotundus, albus. Folia radicalia pauca, sublinearia, acuta, integerrima, canaliculata, carnosula, fere longitudine scapi, basi erecta, cæterum flaccida. Scapus pedalis & ultra, teres, erectus, superne plus minus flexuosus, purpureo-fuscus, apice laxe racemosus & circiter quinqueflorus. Spathæ anguste lanceolatæ, acutæ, longitudine pedunculorum, colore scapi. Flores suaveolentes. Petala oblonga, obtusa, planiuscula, tota patentissima, utrinque viridia cum oris flavis, alterna tria angustiora. Filamenta omnia compresso-plana, lanceolata, æqualia, erecta, petalis breviora, albido-virentia. Antheræ incumbentes, flavæ. Germen triquetrum, viride. Stylus filiformis, erectus, staminibus paulo longior. Stigma capitatum, subtrifidum, hirsutum. Capsula ad maturitatem non pervenit.

CCLIV.

ORNITHOGALUM TENELLUM.

Sponte crescit ad Promontorium bonæ Spei; apud nos in tepidario floret Majo & Junio. Totum glabrum est. Bulbus subrotundus, niger, parvus. Folia pauca, canaliculata, linearia, angustissima, acuta, scapo breviora. Scapus unus alterve, debilis, gracilis, teres, erectus, pedalis, viridi-fuscus, superne ex floribus ab octo ad duodecim laxe racemosus. Spathæ

thæ ſubulatæ, pedunculis duplo breviores. Pedunculi graciles, florentes patentiſſimi, fructigeri magis erecti. Flores inodori. Petala lanceolata, acuta, patentiſſima, intus lactea, foris etiam lactea cum faſcia media longitudinali ſubvirente, alterna paulo breviora & latiora. Filamenta omnia ſubulata, æqualia & alba. Antheræ parvæ, ochroleucæ. Germen oblongum, inferne pallens, ſuperne flavens. Stylus albus. Capſula oblonga, trilocularis, trivalvis. Semina in quolibet loculamento pauca, atra.

CCLV.

ORNITHOGALUM PYRAMIDALE. *Linn. ſyſt. pag.* 327.

Ornithogalum anguſtifolium ſpicatum maximum. *Bauh. pin.* 70. *Rudb. el.* 2. *p.* 134. *fig.* 4.
Ornithogalum lacteum maximum. *Beſl. eyſt. vern. O.* 5. *fol.* 14. *fig.* 2.

Luſitania patria eſt. Apud nos ſub dio optime vegetat, hyememque perfert, florens Junio & Julio, Auguſto fructeſcens. Bulbus ſubrotundus, tunicatus, duarum circiter unciarum diametri. Folia bipedalia & ultra, dimidiam plus minus unciam lata, canaliculata, acuta, ex glauco virentia, recurvata, ſtriatula, plura. Scapus teres, calamum craſſus, erectus, glauco rore tectus, tripedalis cum ipſo racemo, infra racemum vix pedalis. Spathæ lanceolatæ, acutæ, pallidæ, breves. Pedunculi proprii biunciales, florentes patentiſſimi, fructeſcentes erectiuſculi. Flores inodori. Petala omnia intus tota lactea, foris viridia cum oris lacteis, lanceolato-oblonga, obtuſula, patentiſſima, alterna paulo anguſtiora. Filamenta omnia late lanceolato-acuminata, plana. Antheræ oblongæ, flaveſcentes.

men luteum. Stylus albus. Capſula oblonga, trilocularis, trivalvis. Semina plura, atra, angulata, punctata.

CCLVI.

ORNITHOGALUM LATIFOLIUM. *Linn. ſyſt. pag.* 327.

Ornithogalum latifolium & maximum. *Bauh. pin.* 70.
Ornithogalum maximum. *Cluſ. hiſt. pag. CCLVII.*
Ornithogalum vel Lilium alexandrinum, floribus albis innumerabilibus. *Swert. flor.* 58.

In Arabia & Ægypto ſponte creſcit; apud nos ſub dio lætiſſime vegetat, hyememque perfert etiam ſæviorem, florens Junio, ſemina Julio perficiens. Bulbus tunicatus, ſubrotundus, duarum unciarum diametri. Folia plura, ſesquipedalia, plus minus duas uncias lata, erecta, acutiuſcula, plerumque canaliculata, ſtriatula, cum ſuffuſa flavedine virentia, in jam florente planta verſus extremitates aduſta & emarcida. Scapus teres, calamo craſſior, erectus, glaber, viridis, una cum racemo a duobus ad quatuor cum dimidio pedes longus, ratione ſcilicet ætatis bulbi, racemo ipſo in ſcapis longioribus bipedali & ultra. Spathæ ſubulatæ, acutæ, breves. Pedunculi proprii biunciales, florentes patentiſſimi, fructeſcentes erecti, ſparſi, numeroſiſſimi. Flores inodori. Petala ſine ulla macula viridi tota utrinque lactea, lanceolata, acuta, patentiſſima, alterna tria paulo anguſtiora. Filamenta omnia lanceolato-ſubulata, acuta, plana. Antheræ oblongæ, incumbentes, flavæ. Germen flaveſcit. Stylus albet. Capſula

pyra-

pyramidalis, trifulcata, trilocularis, trivalvis. Semina plura, atra, fubrotunda vel oblonga vel angulata.

CCLVII.

MESEMBRYANTHEMUM CUNEIFOLIUM.

Crefcit ad Promontorium bonæ Spei. Ex radice annua caulibus teretibus, ramofis, purpureis femipedalibusque aut longioribus procumbit, fucculentum & totum quantum adinftar Mefembryanthemi cryftallini papulofum. Folia funt lanceolato-cuneiformia, obtufula, oppofita, integerrima, plana, feffilia, fed bafi tam longe anguftata ut petiolata credi poffent, hic canaliculata & purpurea, longiora quadriuncialia. Pedunculi axillares, folitarii, teretes, uniflori, tres quatuorve uncias longi. Flos inodorus, elegans, diametri fescuncialis. Calyx quinquefidus; laciniis valde inæqualibus, carnofis, patentiffimis. Harum duæ, fere oppofitæ, quæ corollam nedum expanfam includebant, eadem expanfa duplo funt breviores, abeuntque in apicem cucullatum & acutum. Tres reliquæ funt obtufulæ, fubfpathulatæ, & corollæ plus minus longitudine. Petala circiter quadraginta linearia, acutula, plana, utrinque pallide purpurafcentia cum linea media faturate rubra, vel tantum fic pallide carnea. Filamenta femper faturatiffime rubra breviaque in conum connivent. Antheræ luteæ. Capfula depreffa, quinquelocularis. Floret fub dio Majo & fequentibus.

CCLVIII.

CCLVIII.

TRAGOPOGON CAPENSIS.

Promontorium bonæ Spei patria eſt, Radix ramoſa & biennis altero anno caulem promit ſolitarium, tres quatuorve pedes longum, baſi digitum craſſum, erectum, ſupra medium ramoſum, pilis albis rigidisque hiſpidum, ſubangulatum; caule ramis ramulisque in pedunculos ſemipedales, unifloros, erectos, infra florem incraſſatos, & parumper dumtaxat hiſpidulos abeuntibus; atque hos una cum ramis teretes. Folia runcinata, acutiuſcula, ſeſſilia, alterna hiſpidula, ſpinoſo-dentata, rigidula, ſquarroſula, nec tamen pungentia. Calycis viridis, pilis albis ad dorſum nec in oris hiſpidi, in flore oblongi, in fructu valde aucti & ex latiſſima baſi conici, foliola fere octo, lanceolata, acuta, concava & ſubæqualia. Corolla flava, uncialis diametri. Semina incurva, ſcabra. Pappus ſtipitatus, plumoſus, niveus. Receptaculum nudum. Floret apud nos Junio.

CCLIX.

IRIS XIPHIUM. *Linn. ſyſt. pag.* 90.

Iris bulboſa latifolia, caule donata. *Bauh. pin.* 38.

Ingens agmen Iridum bulboſarum apud Bauhinum, Beſlerum aliosque ſcriptores reperitur, quas plerasque Linnæus ſub Xiphio comprehendiſſe videtur, ceu unicam conſtituentes ſpeciem, quas tamen in duas diſtingui poſſe, autumo, quarum prima hæc ſit; quæ plerumque major eſt, colore floris

floris minus apud nos varians, fere femper violaceus, licet hoc diverfimode, raro albus, ab altera diftinguitur petalis omnibus manifefte & fæpe fat profunde emarginatis, floris magnitudine nonnunquam Iridem germanicam æquans. Bulbus eft ovatus, tunicatus & uncialis quandoque diametri. Folia funt canaliculata, fic convoluta ut fubulata videantur, acuta, longiora bipedalia & femunciam lata, ftriatula, recurvata, fubbifaria; caulina fumma erecta, brevia, longe ventricofa. Caulis erectus, teres, foliis radicalibus longior, caulinis inferioribus brevior, biflorus. Spathæ ventriculofæ, virides, germine longiores. Flores feffiles, inodori. Germen profunde triangulare. Corollæ imberbis petala emarginata. Stigmata bifida, acuta. Antheræ ochroleucæ. Capfula oblonga, triangularis, trilocularis, trivalvis, polyfperma. Semina fubrotunda, rugofula.

CCLX.

IRIS VARIABILIS.

Iris bulbofa anguftifolfa verficolor. *Bauh. pin.* 38.

Tota facie convenit cum priore, fic ut defcriptione fuperfedeam. Sed minor effe folet, folia habere multo anguftiora, bulbum minorem, petala exteriora vix emarginata, potius ut plurimum integerrima, & variare floris colore quam maxime, ut ex femine unius ejusdemque capfulæ diverfiffimi flores exoriantur, nunquam tamen apud nos ex variabili hac Xiphium, nec ex hoc variabilis enafci vifa fuerit.

CCLXI.

IRIS VIRGINICA. *Linn. ſyſt. pag.* 90.

Iris corollis imberbibus, germine trigono, caule ancipiti. *Gron. virg. pag.* 7.

Ex radice perenni, intus albida, foris nigricante, pollicem craſſa, fibris albis capillata, ſuperne a foliorum reliquiis ſetoſa, ceſpitoſe folia & caules annuatim attolluntur affinium more; ut floreat ſub dio apud nos Junio & Julio. Folia ſunt enſiformia, acuta, ſtriatula ſive nervuloſa, plus minus ſesquipedalia, & glabra uti tota planta. Caulis foliis paulo altior, compreſſus, erectus, multiflorus. Spathæ membranaceæ, acutæ, fuſceſcentes, pedunculis breviores. Pedunculi duas tresve uncias longi, teretes, graciles, erecti, uniflori. Flores elegantes, inodori, erecti, uniflori. Germen triangulare, gracile, virens. Corolla imberbis. Ungues canaliculati petalorum exteriorum extus vireſcunt, intus flavent cum lineis mediis ſtriisque marginalibus atropurpureis; hinc vero ampliantur in laminam planam, rotundato-ovatam, obtuſam, integerrimam, in ortu pallidam, dein cæruleſcentem, cum lineis ſtriisque ſaturate cæruleis. Petala interiora ſpathulata, obtuſa, erecta, brevioraque, cærulea magis ſunt, etiam ſtriata. Stigmata bifida & obtuſa colorem petalorum interiorum habent. Antheræ ſunt violaceæ.

CCLXII.

CCLXII.

LACHENALIA PUNCTATA.

Crefcit ad Promontorium bonæ Spei. In tepidariis noftris floruit Novembri. Tota glabra eft. Bulbus fubrotundus, craffe tunicatus, albus. Folia radicalia duo, lanceolato-linearia, acutula, canaliculata, integerrima, erecta, femipedalia, utrinque maculis badio-fufcis adfperfa, dorfo fufco-fanguinea, facie glauco-virentia, bafi albida cum punctis maculisque rubris. Scapus decemuncialis, teres, erectus, nitidus, calamo duplo gracilior, nudus, ex rubro pallidoque totus maculatus, fuperne pauciflorus. Pedunculi uniflori, albidi, patuli, bracteis minutis albidis fuffulti, fere tres, fummis una cum florum gemmis abortantibus. Flores elegantes, nutantes, inodori, plus quam unciales. Corolla albida; exterior tota quanta utrinque punctis rubris denfiffime notata; interior fic punctata dumtaxat fuperne, & inferne in linea media dorfali. Antheræ rubellæ, effœtæ nigricantes.

CAL. nullus.

COR. tubulofa, incurvatula, limbo brevi patente. Petala fex. Tria exteriora inverfe cuneiformia, erecta, obtufa, approximata fimul tubum formantia, ipfa tantum infima bafi connata cum interioribus. Tria interiora longe cuneiformia, obtufa, interiorem tubum formantia, exterioribus paulo longiora, apice patula, infimo duobus reliquis paulo breviori.

STAM. Filamenta fex, fubulata, erecta, fere longitudine corollæ: Antheræ oblongæ, incumbentes.

PIST. Germen ſuperum, ovatum, triquetrum. Stylus filiformis, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma ſimplex, obtuſum.
PER. Capſula ovata, obtuſa, triquetra, trilocularis, trivalvis.
SEM. plura.

CCLXIII.

EUPHORBIA NICÆENSIS. *Allion. pedem.* 1. *pag.* 285. *num.* 1039. *tab.* 69. *fig.* 1.

Plantam cultam deſcribo, quæ ſponte creſcit in comitatu Nicæenſi, apud nos hyemem agens in hybernaculo. Jam primo ætatis anno floruit Septembri & Octobri, ſubſequis præcocius Junio & Julio. Tota glabra, lacteſcit abunde. Ex radice perenni, calamum craſſa, & fuſca caules annuatim attolluntur pluſculi ſemipedales vel pedales, teretes, purpurei, calamo graciliores, folioſi, adſcendentes aut erecti, ſimpliciſſimi vel ex ſummorum foliorum alis uno alterove ramulo aphyllo cum umbella bifida aucti. Folia ſunt ſparſa, ſeſſilia, ſubcuneiformia, integerrima, acutula cum mucrone reflexo, firma, craſſula, glauca, plus minus ſeſcuncialia, patentiſſima vel etiam deflexa. Umbella terminalis, erecta, a quinquefida ad decemfidam, modo quinqueuncialis diametri, modo multo brevioris. Radii purpurei, bis dichotomi. Involucri univerſalis foliola a quinque ad octo, foliis ſimillima ſed breviora & latiora, hinc magis obverſe ovata. Partialium foliola duo, cordato-ſubrotunda, ſeſſilia, integerrima cum exiguo mucrone reflexo, ex flavo virentia. Flores glabri, calyce turbinato. Primores umbellæ pentapetali, maſculi, ſteriles. Tales etiam in umbellis majoribus magisque diviſis flores primæ dichotomiæ. Reliqui tetrapetali, hermaphroditi, fer-

tiles.

tiles. Petala breviter bicornia, nonnunquam ſine ullis cornubus integerrima, lutea. Germen glabrum. Capſula glabra.

CCLXIV.

CHENOPODIUM CAUDATUM.

In Guinea Africæ creſcit, ab ampliſſimo Iſſert detectum, quod a racemis elongatis caudatum dixi, apud nos ſub dio cultum florens Junio & Julio. Planta annua, glabra, erecta, ab uno ad duos pedes alta; caule tereti, ſæpe obſcure angulato, gracili, vix ramoſo. Folia ſunt alterna, petiolata, rhombeo-ovata, obtuſa, nonnunquam emarginata, integerrima, venuloſa, plana, pallidius virentia. Racemus terminalis, erectus, a tribus ad quinque uncias longus, alternatim & ſimpliciter ramoſus, denſe obſeſſus floribus ſeſſilibus conglomeratis. Ex infloreſcentia & foliis Amaranthum diceres. Calyx acutus viret. Antheræ flavent. Germen viret. Stylus bifidus pallet. Semen atrum nitet.

CCLXV.

ECHIUM GLAUCOPHYLLUM.

Ad Promontorium bonæ Spei creſcit; ſub dio apud nos floret Julio, hyemem agens in hybernaculo. Caulis fruticoſus, erectus, bipedalis & ultra, teres, glaber, ſupra medium ramoſus; ſenior aphyllus, lignoſus & fuſcus; junior una cum ſimilibus ramis pallidiſſime virens. Folia ſparſa, ſeſſilia, lanceolata, acuta, carnoſula, utrinque glauca & glaberrima, ad oras

ſpinuloſe ciliata, patentia, rigidula, plus minus biuncialia, totam juniorem caulis partem ramulosque obſidentia, inferiora linea extante utrinque per caulem decurrentia. Pedunculi communes in ſummo caule ramisque axillares, ſolitarii, teretes, glabri, bracteati, ſecundi, plus minus quadriflori foliorumque longitudine. Bracteæ foliis ſimiles, ſed longe minores. Flores inodori, breviter pedunculati. Calycis glabri & virentis laciniæ lanceolatæ, acutiuſculæ, erectæ, & petalo duplo breviores. Corollæ cæruleſcentis cum ſuffuſa extus purpura laciniæ ſunt ſubæquales & ſemiovatæ. Filamenta corollam vix ſuperant. Antheræ vireſcunt. Stylus ſtaminibus paulo longior eſt. Semina non matureſcebant.

CCLXVI.

ANDROMEDA MARIANA. *Linn. ſyſt. pag.* 406. *Gron. virg. pag.* 66.

Arbuſcula mariana, brevioribus euonymi foliis pallide virentibus, floribus arbuteis ex eodem nodo plurimis, ſpicatim uno verſo prorumpentibus. *Plukn. mant.* 25.

Vitis idæa mariana bullatis floribus amplis, uno verſu in ſpicam dependentibus. *Plukn. ibid. pag.* 188. *tab.* 448. *fig.* 6.

Sponte creſcit in America ſeptentrionali. Frutex tres quatuorve pedes altus, ramoſus, glaber; trunco digitum & ultra craſſo; ramis teretibus, primo virentibus, dein purpuraſcentibus, tandem lignoſis cinereisque. Folia ſunt alterna, breviſſime petiolata, lanceolata, acuta, integerrima, læte virentia, ſupra nitida, coriacea, firma, longiora fere triuncialia. Pedunculi communes terminales racemoſi & ſæpe unciales, axillares autem breviſ-

ſimi

fimi floresque fere umbellatim colligentes. Pedunculi proprii uniflori, punctati, bracteola fuffulti minuta fquamofa & ferruginea. Flores utrobique fecundi, propenduli. Perianthii, corolla duplo tantum brevioris, fere ad bafin ufque quinquepartiti, & virentis cum punctis purpureis, laciniæ erectæ, angufte lanceolatæ & acutæ. Corolla rofea, tubulofa, fere cylindrica, limbo breviter quinquedentato & acuto. Filamenta fubulata, erecta, ex receptaculo communi nec ex corolla orta, petalo duplo breviora. Antheræ fordide flavefcentes, incumbentes, oblongæ, inferne fiffæ, & hinc in duo cornua defcendentes. Germen fubrotundum, viride. Stylus filiformis, circa medium incraffatus, ultra ftamina fucceffive fe efferens, purpurafcens. Stigma quinquedentatum. Capfula fufca congenerum. Semina ovata, compreffula, flava.

CCLXVII.

GERANIUM SCABRUM. *Linn. fyft. pag.* 613. *Burm. ger. pag.* 34. *num.* 39. *tab.* 1.

Promontorium bonæ Spei patria eft. Caulis fruticofus, teres, tres quatuorve pedes altus, digitum craffus, erectus, rubro-badius, ex alis ramofus, fenefcens glaber, cæterum valde afper, uti tota planta. Folia longe petiolata, latiffime cuneiformia, trinervia, femitriloba, ad oras etiam fcabra, acuta, rigidiufcula, fumma ad inflorefcentias oppofita, reliqua alterna, longiora una cum petiolis feptem vel octo uncias longa, lobis lanceolatis, incifis vel rariter dentatis, aut nonnunquam integerrimis. Stipulæ parvæ, ovato-acuminatæ, utrinque ad petiolos. Pedunculi communes terminales & axillares, breves, umbellati, a quatuor ad fex plerumque

flores

flores fustinentes. Calycis monophylli & virentis laciniæ quinque, lanceolatæ, acuminatæ, patentissimæ, petalis breviores, latitudine valde inæquales. Petala obtusa, purpureo-rosea, quorum duo superiora duplo latiora ad basin maculam atrosanguineam gerunt. Stamina septem, fertilia. Antheræ oblongæ, sanguineæ. Stylus cum stigmate quintuplici revoluto atrosanguineus. Semina aspera cum rostro unciali aspero.

CCLXVIII.

SAMYDA SERRULATA. *Tab.* 17. *fig.* 1. *Linn. syst. pag.* 409.

Samyda dodecandra. *Jacq. amer. pag.* 133.
Guidonia ulmi folio, flore niveo. *Plum. ic. pag.* 137. *tab.* 146. *fig.* 2.

Nimis brevem loco citato a me olim datam hujus fruticis descriptionem ex florentibus in horto Cæsareo Schönbrunensi pluribus individuis hic suppleo. In insula Domingo florentem sylvestrem vidi Novembri, in caldariis nostratibus Junio & Julio. Frutex tres quatuorve pedes altus. Ramuli teretes, villosuli. Folia alterna, bifaria, brevissime petiolata, lanceolata, acuta, serrulata, utrinque & ad oras villosula. Pedunculi axillares, solitarii, uniflori, brevissimi. Bracteæ ad hos geminæ, subulatæ, exiguæ, fuscæ. Flores inodori. Calyx crassus, externe villosus est, & sordide e viridi flavescit; intus albet. Antheræ fuscescunt. Germen villosum est. Stigma viret. Nectarium & stylus albent. Fructus ex flavo rubet. Semina pallent. Addo characterem genericum.

CAL. Perianthium monophyllum, ſemiquinquefidum, decemſtriatum; tubo campanulato; limbi laciniis ovatis, obtuſulis, una alterave infra apicem in dorſo ſubmucronata, patentiſſimis, planis.

COR. nulla.

Nectarium monophyllum, conicum, truncatum, inferne tubo calycis accretum, erectum, calyce brevius, octodecimſtriatum totiesque denticulatum.

STAM. Filamenta nulla. Antheræ octodecim, ſagittato-oblongæ, erectæ, denticulis nectarii infixæ.

PIST. Germen ovatum. Stylus filiformis, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma capitatum, convexum.

PER. Capſula ſubrotunda, quinqueſulcata, coriacea, unilocularis, quinquevalvis.

SEM. plurima, ſubovata, baccata, affixa parietibus valvularum.

CCLXIX.

HEDYSARUM VESPERTILIONIS. *Linn. ſyſt. pag.* 672. *Linn. ſuppl. pag.* 331.

Cochinchina plantæ hujus elegantis & ſingulariſſimæ patria eſt. In caldariis noſtris floret Julio, & ſemina Auguſto perficit. Ex radice ramoſa caulis attollitur unicus, erectus, totus folioſus, teres, viridis, calamo triplo gracilior, tres quatuorve pedes altus, ad microſcopium hic illic hirſutulus, cæterum ad tactum partim aſper, partim glaber; qui dum florere ex ſummitate incipit, ex alis primo foliorum ſuperiorum ramulos etiam florentes emittit, dein ſic pergens ad inferiora. Ex pluribus individuis aliæ hyeme

perierunt, aliæ fruticofæ fuerunt, quin una alterave per totam hyemem folia nonnulla confervavit. Folia funt alterna, fubafpera, graciliter petiolata, horizontalia, biloba; lobis divaricatiffimis, mutuo oppofitis, retrofalcato-oblongis, bi- aut trinerviis, obtufulis, dorfo pallide virentibus, facie verficoloribus, fcilicet oblique contra folem adfpectis viridi-purpureis cum fafcia longitudinali una alterave faturatius & fimpliciter purpurea, perpendiculariter vero adfpectis vel etiam oblique, dum fol a tergo eft, magis virentibus cum fafciis iisdem cinereis. Setula terminalis inter lobos eft. Pleraque folia, & quidem primo prodeuntia omnia, funt fimplicia; fuperiora quædam funt ternata cum foliolis lateralibus obverfe & oblique cordatis, deficiente etiam quandoque alterutro. Racemus terminalis, erectus, tandem femipedalis, afper; pedunculis binatis, brevibus, fuffultis bracteola communi lanceolata & decidua. Flores parvi, inodori; calyce viridi, pilofo, fructefcente inflato & claufo; corolla tota alba cum vexilli ungue rofeo. Character totus eft fequens.

CAL. Perianthium campanulatum, patens, perfiftens, profunde quadripartitum; laciniis ovatis, cufpidatis, fumma fub vexillo femibifida.

COR. papilionacea.

Vexillum fubrotundum, emarginatum, patens.

Alæ oblongæ, obtufæ, concavæ, cum

Carina oblonga obtufaque connivendo fimul formantes galeam vexillo oppofitam & ejusdem longitudinis.

STAM. Filamenta decem, diadelpha (fimplex & novemfidum,) erecta, fita nuda in medio fpatio inter vexillum & alas. Antheræ parvæ.

PIST. Germen lineare. Stylus fubulatus, erectus. Stigma fimplex, acutum, adfcendens.

PER.

PER. Legumen articulatum; articulis ſubrotundis, compreſſis, venoſe rugoſulis, flexuoſe & alternatim ſibi mutuo incumbentibus, monoſpermis; hinc calyce vix longius.

SEM. reniformia, nitida.

CCLXX.

SOLANUM DIPHYLLUM. *Linn. ſyſt. pag.* 223.

Solanum americanum, ſtrychnodendro accedens, fructu medio quaſi fiſſo. *Plukn. alm. pag.* 349. *tab.* 111. *fig.* 4.

Arbuſcula ſempervirens in caldariis noſtris, duos tresve pedes alta, fœtida; trunco digitum craſſo, lignoſo, tereti, nigricante; ramis fuſcis; tota inermis & glabra. Rami foliaque ut plurimum horizontaliter porriguntur. Folia ſunt pleraque gemina, breviter petiolata, alterum ad latus alterius poſitum; quorum unum eſt lanceolatum, obtuſulum, integerrimum, a duabus ad quatuor uncias longum; unum plus minus unciale, obverſe ovatum, obtuſiſſimum, nonnunquam emarginatum. Pedunculi communes breviſſimi, laterales, multiflori, ſubcymoſi; pedunculis propriis pendulis ad dorſum foliorum. Flores parvi; calyce quinquedentato; corolla alba, profunde quinquepartita, laciniis lanceolatis, acutis. Bacca globoſa, glabra, ſucculenta, flavo-aurantiaca, ciceris magnitudine. Semina ex flavo albida. Floret totam æſtatem; hyeme ſemina matureſcunt.

CCLXXI.

BUDLEJA CAPITATA.

Elegantiſſimus frutex ex horto Schwenkiano Hagæbatavo in Cæſareum Schönbrunnenſem migravit, patriæ ignotæ, apud nos æſtatem ſub dio, hyemem in tepidario agens, octo pedes altus, trunco pollicem craſſo lignoſo fuſcoque, florens Junio & Julio. Rami teretes, incani, tomentoſi, ſtriis aliquot elevatis diſtantibus notati. Folia ſunt oppoſita, breviter & craſſe petiolata, lanceolato-acuminata, crenulata, rugoſula, facie viridia & glabra, dorſo tomentoſa & incana, patentiſſima, longiora novemuncialia & uncias duas lata. Pedunculi terminales, terni, teretes, incani, erecti; intermedio lateralibus duplo longiori, plus minus quinqueunciali, & bracteolis duabus incanis ſubulatis oppoſitisque veſtito. Capitulum terminale, compactum, ſubrotundum, quandoque ſubbilobum. Flores odoratiſſimi, mellei, ſaturate aurantiaci. Germen villoſum. Stylus albet. Stigma viret.

CAL. Perianthium monophyllum, tubuloſum, erectum, quadridentatum, obtuſum, perſiſtens.

COR. monopetala, infundibuliformis, calyce duplo longior; limbo quadrifido, patente; laciniis ſubrotundis, obtuſis.

STAM. Filamenta quatuor, breviſſima, in ſuprema parte tubi corrollæ. Antheræ oblongæ.

PIST. Germen obverſe ovatum, ſuperum. Stylus filiformis, erectus. Stigma bifidum, obtuſum, utrinque ſtylo dependenti-appreſſum.

PRE.

PER. Capſula. . . .
SEM. . . .

CCLXXII.

GALEGA CINEREA. *Linn. ſyſt. pag.* 679. *Amæn. acad.* 5. *pag.* 403.

Galega herbacea ſubcinerea villoſa, foliis oblongis pinnatis, ſpicis laxioribus ad alas. *Brown. jam. pag.* 289.

Jamaica patria eſt; apud nos in caldariis læte vegetat, florens Julio & Auguſto, perficiens fructum Septembri. Radix fuſiformis, ſubramoſa, calamum craſſa, albida & annua caulem promit vel ex ipſa baſi ramoſum, una cum ramis procumbentem totum, vel cum iisdem interdum paucis erectis, teretem, compreſſulum, tandem bipedalem, inferne manifeſtius villoſum, ſuperne una cum ramis tantum ad lentem. Folia ſunt pinnata ex pinnis oppſitis a quatuor ad ſex, breviter petiolata, alterna, tres quatuorve uncias longa; foliolis oblongis, obtuſis cum ſetula terminante, integerrimis, breviſſime petiolatis, ſupra glabris, dorſo villoſis. Stipulæ ſubulatæ, acutæ, villoſæ, cinereæ. Recemi terminaſes & oppoſitifolii, racemoſi, multiflori, laxi; floribus geminatis, breviter pedicellatis. Calyx viret. Corolla purpurea eſt. Antheræ ex viridi flaveſcunt. Legumen bipollicare fuſceſcit.

CAL. Perianthium monophyllum. Tubus campanulatus, breviſſimus. Limbi quinquefidi dentes ſubulati, longi, acuti, ſubæquales; quorum duo ſub vexillo approximati, minus profunde inciſi & a vexillo reflexi; reliqui tres erectiuſculi.

COR. papilionacea, calyce duplo longior.
Vexillum amplum, ſubrotundum, emarginatum, convexulum.
Alæ oblongæ, obtuſæ, concavæ, erectæ, longitudine vexilli.
Carina ſubfalcata, acuta, dipetala, alis brevior.
STAM. Filamenta decem, diadelpha, ſimplex & novemfidum. Antheræ oblongæ, incumbentes.
PIST. Germen lineare, compreſſulum, erectum. Stylus capillaris, ad angulum fere rectum adſcendens. Stigma ex ipſo apice barbatum.
PER. Legumen lineare, acutum, compreſſum, rectiuſculum, glabrum, uniloculare, bivalve.
SEM. plura, reniformia, compreſſula.

CCLXXIII.

VERBENA MUTABILIS.

Creſcit in America torrida; apud nos in caldariis floret totam æſtatem, & Julio prima ſemina matureſcunt. Frutex erectus, ſexpedalis, ramoſus; trunco pollicem craſſo, tetragono, medulla alba farcto, ſubincano, tomentoſo, ſcabriuſculo. Rami juniores acute tetragoni, magis virentes & villoſi. Folia oppoſita, petiolata, ovata cum oris ad petiolum decurrentibus, acuta, ſerrata, rugoſa, ſupra villoſa & aſperiuſcula, ſubtus tomentoſa & ſubincana, quinque uncias longa. Spica terminalis, carnoſa, teres villoſula, aphylla, tandem ſesquipedalis. Bractea ad ſingulos flores ſeſſilis, lanceolata, ſetaceo-acuminata, ſuperne patula, unde ſpica evadit ſquarroſa. Calyx bractea longior, compreſſus, viridis, villoſus, erectus, denticulis duobus exterioribus longioribus & ſetaceis. Corolla

rolla primo ſaturatiſſime miniato-coccinea, dein roſea aut carnea, limbo amplo. Filamenta duo. Antheræ ochroleucæ, lineares, incumbentes. Semina duo, oblonga, acuta, atra, nitida.

CCLXXIV.

PIPER UMBELLATUM. *Linn. ſyſt. pag.* 74.

Saururus arboreſcens, foliis amplis cordatis non umbilicatis. *Plum. amer. pag.* 53. *tab.* 73.

In ſylvis umbroſis montoſis & udis Martinicæ & Domingo ſponte creſcit; apud nos in caldariis læte vegetat, florens totam æſtatem. Caulis fruticoſus, ſexpedalis & ultra, erectus, debilis, pollicem & ultra craſſus, nodoſus, hic illic flexuoſus, teres, ſtriatus, nudus; ſuperne, uti & rami juniores, multangulatus villisque albis ad angulos ciliatus. Folia cordato-ſubrotunda, acuta, integerrima, petiolata, alterna, tredecimnervia, ſupra venoſa, ſubtus reticulata, utrinque villoſula & mollia, ab octo ad duodecim uncias longa lataque; petiolo villoſo, tereti, ſubtus ſtriato, calamum craſſo, longitudine circiter ipſius folii, inferne antice ſulcato, & baſi dilatata amplexicauli. Stipulæ lanceolatæ, acutæ, villoſulæ, caducæ. Pedunculi communes axillares ex foliis, & infra hæc ex nodis, ſolitarii vel pauci, teretes, craſſuli, erecti, villoſuli. Partiales umbellati, a duobus ad quinque aut plures, rarius ſine umbella ſolitarii, breviſſimi, bracteolis baſi ſuffulti ſubulatis minimis. Spadices plus minus triunciales, teretes, erectiuſculi, albidi primo, dein virides, in fructu fuſci, carnoſi, æquabiles, calamo graciliores, floſculis immerſis toti tecti. Germina alba, ſubrotun-

rotunda. Stylus nullus. Stigmata tria, linearia, patentiſſima, glabra, nigra, longitudine germinis, cui incumbunt. Filamenta nulla. Antheræ ad baſin cujusque germinis geminæ, ſubrotundæ, ſulcatæ, albæ. Fructus minutiſſimi.

CCLXXV.

RHAMNUS VOLUBILIS. *Linn. ſyſt. pag.* 233. *Linn. ſuppl. pag.* 152.

Sponte creſcit in Carolina meridionali; apud nos hyemem in caldario, æſtatem agens ſub dio, & florens menſe Julio. Caulis fruticoſus, teres, calamum vel digitum minimum craſſus, decempedalis, glaber, volubilis, petiolorum baſibus obtuſe ſpineſcentibus exaſperatus, ramoſiſſimus. Folia alterna, petiolata, glabra, ovata, acutiuſcula, integerrima vel obiter repanda, per venas ſtriata. Pedunculi terminales, ſubracemoſi, breves. Flores parvi. Corollaavirideſcens, quinquepartita, patens; laciniis ovatis, acutis. Squamæ oblongæ, albidæ, longitudine fere petali. Antheræ luteæ. Germen ſubrotundum, depreſſum, viride. Stylus unicus; ſtigmate ſimplici, obtuſo. Bacca oblonga, obtuſa, nigra, unilocularis. Semen unicum, ejusdem figuræ.

CCLXXVI.

SIDA PALMATA. *Cavanill. diſſ. pag.* 20. *tab.* 3. *fig.* 5.

Annua planta in ſiccis circa Limam Peruviæ locis creſcit. Ex radice ramoſa caulis attollitur octopedalis, calamum plus minus craſſus, teres,

res, medulla alba & viſcida farctus, debilis, glaber, ſuperne villoſus, ſuperne tantum ramoſus tandemque ramulis florigeris paniculatus, cæterum ſimpliciſſimus. Folia alterna, longe petiolata, utrinque villoſa, venoſa, palmata, novemlobata, diametri quatuor vel quinque unciarum; lobis lanceolatis, acutis, ſerratis, incifis. Petioli teretes, infra folium atri, cæterum virides, in foliis inferioribus fere glabri, in ſequentibus ſupra piloſi, in ſummis ad ramos toti obſiti villis capitatis viſcoſisque cum interjectis ſæpe pilis longioribus. Stipulæ & bracteæ nullæ. Rami axillares, teretes, molles, viſcidi, paucifolii, in pedunculos paniculatim ſoluti, ut tandem pars caulis ſuperior paniculam formet bipedalem. Flores parvi. Perianthii viſcidi & quinquepartiti, nec angulati, laciniæ lanceolatæ, acutæ & patentiuſculæ. Petala ex cæruleo purpuraſcentia, obtuſa, nec emarginata. Capſulæ a ſex ad octo, rugoſulæ, fuſcæ, calyce breviores, biroſtratæ, roſtris modo breviſſimis, modo longis erectis & ſetaceis. Semina ſolitaria. In caldario apud nos floret ab Auguſto ad Novembrim.

CCLXXVII.

ELYMUS HYSTRIX. *Linn. ſyſt. pag.* 125. *Gron. virg. pag.* 15.

Virginia patria eſt. Ex radice perenni, fibroſa, & albida quotannis ſub dio attolluntur plures caules erecti, bipedales, folioſi, ſimplices, teretes, toti vaginati, glabri, & nodoſi. Folia lanceolato-linearia, acuta, integerrima, glabra, vaginantia, plana, ſex ſeptemve uncias ſine vagina longa. Spica terminalis, erecta, ſemipedalis, glabra. Rachis compreſſa, rigidula, alternatim denticulata. Dentibus ſingulis inſident pedicelli duo breves incraſſati & calloſi, ſinguli ſuſtinentes ſpiculam ſubquadriflo-

ram, patulam, rigidulamque. Glumæ virent; ſquamulæ albicant. Antheræ & germen hirſutum flavent. Styli albent. Floret Junio & Julio. Semina matureſcunt Auguſto. Characterem hic totum ſubjungo.

CAL. Receptaculum commune elongatum in ſpicam.
Gluma cæterum nulla.

COR. bivalvis. Valvula exterior lineari-lanceolata, concava, acuminata, ariſtata. Interior eadem figura & longitudine; ſed obtuſa, mutica & plana.
Nectarii ſquamæ duæ, ſitæ intra valvulam corollæ exteriorem ante genitalia, longitudine germinis, ex gibboſa craſſaque baſi lanceolatæ, acutæ, erectiuſculæ.

STAM. Filamenta tria, capillaria, longitudine valvulæ interioris. Antheræ lineares, baſi bifidæ.

PIST. Germen oblongum. Styli duo, divaricati, inflexi, piloſi. Stigmata ſimplicia.

PER. Corolla ſemen involvens.

SEM. unicum, ſublineare.

CCLXXVIII.

POA CILIARIS. *Linn. ſyſt. pag.* 115.

Briza tenuiſſima, paniculis quaſi lanuginoſis, pediculis brevibus & tenuiſſimis. *Brown. jam. pag.* 135.

Gra-

Gramen pratenſe, paniculis & foliis anguſtiſſimis, ſpicis brevibus & muticis, locuſtis minimis. *Sloan. hiſt. jam.* 1. *pag.* 114. *tab.* 73. *fig.* 1.

Gramen maderaſpatanum, ſpica interrupta, totali e ſpicis parvis villoſis conſtructa. *Plukn. phyt.* 109. *f.* 5.

Sponte creſcit in Jamaica & in Guinea. Radix fibroſa, albida & perennis caules promit plurimos, graciles, glabros, teretes, alios ſimpliciſſimos, alios baſi ramoſos, geniculatos, inferne nonnunquam flexuoſos, cæterum erectos, plus minus bipedales. Folia vaginantia, acuta, dorſo glabra, ad oras & in facie aſpera, ad vaginæ ortum barbata; ſine vagina plus minus ſemipedalia, tres quatuorve lineas lata. Panicula terminalis, flaccidula, coarctata, hinc anguſtiſſima, ſemipedalis, mollis, cinerea. Pedunculi particulares plurimi, ſparſi, erecti, infimi ſeſcunciales, ſuperiores ſucceſſive breviores, erecti. Spiculæ in his pluſculæ, breviſſimæ, pedunculatæ, erectæ, ut plurimum ſexfloræ. Glumæ calycinæ oblongo-ovatæ, acutæ, concavæ, glabræ, albidæ cum dorſo virente; altera paulo longiore. Corollarum calyces longitudine æquantium valvula exterior eſt ovata, compreſſo-concava, acutula, alba cum tribus ſtriis viridibus. Interior ad oras pilis longis ciliata eſt. Antheræ violaceæ. Semina linearia, minutiſſima, rubra. Floret & fructum fert in caldario totam æſtatem.

CCLXXIX,

EUPHORBIA LITERATA.

Patriam ignoro. Jam a pluribus annis poſſideo hanc plantam in horto, quæ ſub dio ſponte ſe propagat. Sæpius etiam miſſa ſemina fuerunt ſub titulo Euphorbiæ piloſæ, cujus determinatio ſpecifica Linnæana in hanc optime quadrat; ſed repugnant cætera. Noſtræ plantæ radix eſt annua, albida & gracilis. Caulis unicus, erectus, teres, circiter pedalis, glaber, gracilis, totus folioſus; & modo ſimpliciſſimus, modo ex alis ſummis uno alterove ramulo florigero auctus; modo ex ipſa baſi ramoſus, ut multicaulis videatur. Folia inferiora in tenella adhucdum plantula, quæ dein decidere ſolent, macula fuſca, literam V exprimente, ſupra baſin inſigniuntur, atque hæc obtuſa & rotundiora ſunt. Reliqua folia ſunt longe lanceolata, acuta, ſeſſilia, alterna, ad lentem obſoletius ſerrulata, utrinque & ad oras piloſula, patentiſſima, virentia, uncialia vel paulo longiora. Umbella quinquefida cum involucri totidem foliolis, ſimillimis folio caulino; dein trifida, rarius quadrifida cum totidem involucellis, magis ovatis; tandem bifida cum binis involucellis fere deltoideis, vix piloſis, ſed manifeſtius ſerratis & luteolis. Flores omnes hermaphroditi & tetrapetali, ſolis exceptis umbellæ centralibus pentapetalis & ſterilibus. Petala ſubrotunda, integerrima & ſordide lutea. Calyx hirſutulus pallet. Germen verrucoſum, glabrum, rarius parcipiloſum. Capſula verrucoſa. Semina ſubrotunda, fuſca, nitida. Tota lacteſcit. Floret a Junio ad Auguſtum. Nonnunquam ex ſeminibus Julio delapſis eodem adhuc anno plantula florens enaſcitur.

CCLXXX.

CCLXXX.

EUPATORIUM MYOSOTIFOLIUM.

Ex feminibus in America inter tropicos collectis enatæ funt plantæ in caldariis noftris biennes, altero ætatis anno per totam æftatem florentes. Caulis quadripedalis, teres, ftriatus, villofulus, calamum craffus, fuperne ramofus & paniculatus. Folia alterna, lanceolata, bafi longe anguftata in petiolum, obfoletiffime denticulata vel integerrima, obtufula, utrinque villofula, fescuncialia. Pedunculi terminales & axillares, inordinate ramofi, villofi. Calyx villofus, multiflorus, fquamis acutis. Corollæ purpureæ. Pappus pilofus.

CCLXXXI.

TRICHOSANTHES FOETIDISSIMA.

In Guinea fponte crefcit; apud nos æftatem fub dio, hyemem in tepidario agit. Toti plantæ odor fœtidiffimus carnis putridæ, plane ut in flore Stapeliæ hirfutæ, manibusque attrectantis fortiter adhærens. Flores fructumque fert per totam æftatem. Radix carnofa, alba, fubfufiformis, perennis, primo jam anno digitum craffa, nunc caulem profert unicum, dein plures, annuum, herbaceum, octopedalem, angulatum, ramofum, pilofum, bafi calamum craffum. Cirri ad petiolos laterales, fimplices, convoluti. Folia alterna, oblonge cordata, denticulata, vifcofa, venofa, utrinque & ad oras pilofa, petiolata, craffula, longiora quadriuncialia. Pedunculi communes mafculini racemofi, axillares, plus minus unciales. Fæminei ad la-

tus præcedentium uniflori, ſolitarii, craſſiores, breviſſimi. Corolla lutea, nervoſa, piloſa. Filamenta hirſuta, pallida. Antheræ luteæ. Germen viride, piloſum. Stigma viride. Fructus maturus ſordide flavet, uncialis. Semina fuſca.

Maſculi flores.

CAL. Perianthium monophyllum, baſi globoſum, dein cyathiforme, ſemiquinquefidum: laciniis lanceolatis, acutis, erectis, diſtantibus.

COR. monopetala, quinquepartita, patens, calyce duplo longior, eidemque adnata; tubo brevi, campanulato; laciniis ovatis, breviſſime dentato-ciliatis.

STAM. Filamenta tria, ſubulata, ſuperne dilatata in diſcum expanſum ſulcatum & bicornem; cujus utrique lateri adnaſcitur anthera oblonga & diſtincta.

Fæminei in eadem planta cum maſculis.

CAL. Perianthium ut in mare, ſuperum, marceſcens.

COR. ut in mare, marceſcens.

PIST. Germen ex baſi ovata ſubulatum, longum, inferum. Stylus filiformis, erectus, longitudine calycis. Stigmata tria, patentia, fimbriato-inciſa.

PER. Pomum ex baſi ſubrotunda ſubulatum, hirſutum, triloculare.

SEM. unum alterumve, ovatum, compreſſum, tunicatum.

CCLXXXII.

CCLXXII.

BUPLEURUM ARBORESCENS.

Patriam ignoro. Apud nos æftatem fub dio, hyemem in tepidario tranfigit. Floret fempervirens Augufto, femina perficit fub finem Septembris. Truncus humanæ altitudinis, lignofus, bafi pollicem craffus, teres, cinereus, glaber, erectus, debilis. Folia fparfa, fubfeffilia, longe lanceolata, acuta, mucrone terminata ut plurimum recurvato, rigidula, integerrima, ad oras cartilaginea, glabra cum nervo medio dorfali fcabriufculo, ad lentem venis reticulata, longiora fere quadriuncialia, trita balfamici odoris. Umbella terminalis in caule ramisque, erecta, planiufcula, radiis a quinque ad duodecim. Involucrorum univerfalis & partialium foliola quinque, oblonga, mucronata, tota reflexa. Petala oblonga, obtufa, inflexa, lutea. Antheræ luteæ. Germen oblongum, glabrum. Fructus oblongus, obtufus, incurvatus, fufcus, glaber, bipartibilis in femina duo ejusdem figuræ, hinc plana, illinc quinquealata, faporis aromatici & ingrati.

CCLXXXI.

LEYSERA GNAPHALODES *Linn. fyft. pag.* 770. *amœn. acad.* 6. *pag.* 104.

Afteropterus luteus, laricis foliis. *Vaill. act.* 585.
After æthiopicus, ftæchadis folio, flore aureo. *Herm. lugd. pag.* 68. *tab.* 71. *Breyn. prodr* 3. *pag.* 26. *tab.* 14. *fig.* 3.

Fructi-

Fruticulus fempervirens, hyemem in tepidario, æftatem agens fub dio, florens Julio & Augufto, ex Promontorio bonæ Spei, totus odore balfamico præditus, trunco ramisque fenioribus aphyllis fufcis rimulofis & glabris, junioribus denfiffime foliofis, ramis patentiffimis. Folia confertiffima, filiformia, patentiffima, integerrima, incana, lanata, flaccida, uncialia, villisque fufcocapitatis donata. Hæc inter fafciculi prodeunt foliorum minimorum, veluti rudimenta ramulorum novorum, qui tamen ad evolutionem pauci perveniunt. Pedunculi filiformes, terminales in ramulis, folitarii, uniflori. Calycis fquamæ pallent cum dorfo medio virente. Corolla lutea eft. Semina fufcefcunt.

CAL. communis ovato-oblongus, imbricatus; fquamis lanceolatis, acutis, erectis, concavis, fuperne fcariofis, interioribus longioribus, intimis fuperne patulis.

COR. compofita radiata. Corollæ hermaphroditæ tubulofæ plures in difco. Fæmineæ ligulatæ plures in radio.

Propria Hermaphroditis infundibuliformis, quinquefida; laciniis lanceolatis, acutis, erectis, folo apice revolutis.

Fæminea ligulata, longe lanceolata, obfolete tridentata, acuta, patentiffima.

STAM. Hermaphroditis filamenta quinque, capillaria, breviffima. Anthera cylindrica, tubulofa.

PIST. Hermaphroditis & Fæminis germen lineare. Stylus filiformis. Stigma bifidum.

PER. nullum. Calyx patentiffimus.

SEM.

SEM. Hermaphroditis ſolitaria, teretia, linearia, obiter hiſpidula. Pappus duplex; exterior quinqueſectus, plumoſus, longus; interior corona paleacea breviſſima.

Fæmineis ſimillima, ſed pappo plumoſo illo deſtituta.

REC. nudum. Paleæ ad ſolos radii floſculos lanceolato-acuminatæ, concavæ.

CCLXXXIV.

ANDROPOGON BARBATUS. *Linn. ſyſt. pag.* 904.

Creſcit in India utraque, apud nos colitur in caldariis. Ex radice fibroſa, faſciculata, albida & perenni culmi exſurgunt ſesquipedales, erecti plerumque, etiam baſi geniculatim procumbentes, toti compreſſi, glabri, infra medium ramoſi. Folia inferiora ſunt oppoſita, reliqua alterna, baſibus longe vaginantia & ancipitia; hinc plana, acuta, linearia, ad oras retrorſum ſcabra pilisque ciliata, vel ex adverſo pilo deſtituta omni. Spicæ ad ſummitatem culmi a decem ad octodecim, approximatæ, lineares, ſubſeſſiles, patulæ, duas tresve uncias longæ, graciles. Rachis compreſſa & ad oras cartilagineo-aculeata ſubtus ex utroque latere gerit duplicem ſeriem florum fecundorum alternantium breviterque pedicellatorum. Calycis biflori & biglumis valvulæ ſunt lineari-lanceolatæ, acuminatæ, carinatæ, pallidæ & pellucidæ cum dorſo virente & ſcabro, nonnunquam purpureæ, quarum exterior longior eſt. Flores bini, inferior in ſpeciminibus noſtris ſemper hermaphroditus & ſeſſilis, ſuperior maſculus & pedicellatus. Hermaphroditi valvula exterior ex ovato lanceolata, acuta, connivens, ſubſcarioſa, albida, dorſo prominulo marginibusque virentibus, pilis ſat lon-

gis albisque ciliata, ex dorſo infra apicem emittens ariſtam longam, rectam purpureamque. Valvula interior lanceolata, plana, acuminata, mutica, ejusdem fere longitudinis, glabra. Filamenta tria, capillaria, alba. Antheræ oblongæ, utrinque bifurcæ, ſulphureæ, incumbentes. Germen ovato-oblongum, glabrum. Styli duo, breviſſimi, capillares, albi. Stigmata plumoſa, purpurea. E regione hermaphroditi in glumæ calycinæ axilla faſciculus pilorum ſedet. Mas ſtructura admodum differt ab Hermaphrodito. Valvula illi exterior obverſe ovata eſt, obtuſiſſima, truncata, concavo-fornicata, lævis, pallida, ſubpellucens, dorſo marginibusque virens, ex ipſo purpuraſcente apice porrigens ariſtam rectam longam purpureamque. Valvula interior, in cavitate exterioris partim latitans, eſt ventricoſa fornicata fereque ſubgloboſa, ex dorſo ſupremo ariſtata adinſtar prioris. Stamina uti in hermaphrodito. Calyx poſt ſeminis, corollæ incluſi, lapſum perſiſtit.

CCLXXXV.

CHENOPODIUN GUINEENSE.

Annua planta, erecta, tota glabra, ſesquipedalis, ſub dio apud nos florens Junio & Julio, in Guinea ſponte creſcens. Caulis teres, calamo gracilior, ſtriatulus, purpuraſcens, in toto decurſu ornatus ramis axillaribus breviſſimis. Folia alterna, petiolata, tenuia, deltoideo-ovata, ſinuato-argute dentata, acuta, venoſula nec rugoſa, virentia, longiora duas cum dimidia uncias æquantia cum petiolo inſuper unciali. Racemi ramoſi, terminales & axillares, floribus viridibus conglomeratis onuſti. Calycis

folio-

foliola ovata, acutula, craſſa. Styli duo. Semen orbiculare, depreſſum, ſordide nigreſcens.

CCLXXXVI.

CACALIA VILLOSA.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei; ſub dio apud nos florens Julio; tota villoſa, aſperiuſcula, & odore balſamico ingrato prædita. Radix craſſa, perennis. Caules plures, annui, erecti, pedales, ſtriati. Folia alterna, lyrata, ſquarruloſa, craſſula; infima longe petiolata, octouncialia; ſubſequa dentata, amplexicaulia, obtuſa, venoſa; ſumma acuta, ſublanceolata, inciſo-ſerrata. Pedunculi terminales, ramoſi, corymboſi, erecti; ramis lateralibus inferioribus tandem ultra centrales elongatis. Flores erecti. Calycis ſimplicis villoſi & oblongi ſquamæ plus minus duodecim, lineares, acutæ, concavæ, erectæ, pallide virentes, unius ordinis. Floſculi circiter quinque & triginta, omnes hermaphroditi. Corollulæ longiſſime infundibuliformes, albidæ cum limbo parvo pnrpureo quinquefido & reflexo. Anthera tubuloſa, cinerea. Stigmata extra hanc tandem eminentia duo, obtuſa, reflexa, purpurea. Germen oblongum, glabrum. Calyx in fructu immutatus. Receptaculum nudum. Semina oblonga, pappo coronata piloſo & ſeſſili.

CCLXXXVII.

GALEGA FILIFORMIS.

Sponte crescit in America calidiore. In caldario floret per totam æstatem. Ex radice ramosa caulis unus alterve exit gracilis, volubilis, omnium ramosissimus, basi fuscescens, cæterum viridis, teres, ad lentem villosulus, quadripedalis, una cum plerisque ramis perennis. Folia sunt ternata, breviter petiolata, alterna, parva; foliolis oblongis, obtusis, brevissime pedicellatis, integerrimis, supra nitidis, utrinque ad lentem villosulis. Stipulæ subulatæ, minutæ. Racemi axillares, solitarii, filiformes, patuli, a duabus ad quatuor uncias longi, villosuli. Flores ternati, breviter pedicellati; etiam binati aut solitarii. Calyx villosulus ex rubro purpurascit. Corolla unicolor ex violaceo sordide purpurascit. Antheræ sunt ochroleucæ. Germen villosum. Legumen ad lentem villosulum, fuscum, unam alteramve unciam longum. Semina glabra, compressa, sordide lutea cum hilo nigro. Bracteæ lanceolatæ.

Cal. Perianthium monophyllum. Tubus campanulatus. Limbus quadrifidus, tubo longior; laciniis lanceolatis, acutis, patentissimis, subæqualibus; suprema latiore, integerrima.

Cor. papilionacea, calyce dimidio longior.

Vexillum subrotundum, leviter emarginatatum, patens.

Alæ lineari-lanceolatæ, obtusæ, planæ, patentissimæ, longitudine vexilli.

Carina dipetala, erecta, figura & magnitudine alarum.

Stam.

STAM. Filamenta decem, diadelpha, (ſimplex & novemfidum) erecta. Antheræ oblongæ.

PIST. Germen oblongum, compreſſum. Stylus ſubulatus, erectus. Stigma ſimplex, obtuſum.

PER. Legumen lineare, compreſſum, acutum, retroſalcatum, ſtriis inter ſemina transverſis & obliquis notatum.

SEM. plura, rotundato-reniformia.

CCLXXXVIII.

GALEGA LONGIFOLIA.

In America calida creſcit; apud nos in caldario floret æſtate, & ex radice ramoſa & fuſca caules emittit plures ſuffruticoſos, volubiles, teretes, graciles, glabros, quinquepedales & ramoſos, Folia ſunt ternata, breviſſime petiolata, alterna; foliolis anguſte oblongis, obtuſis, integerrimis, utrinque ad lentem villoſulis; intermedio longiori lateralibus, ſæpe plus quam triunciali latoque tres tertias unciæ partes. Racemi axillares, ſolitarii, foliis longiores, erectiuſculi. Flores geminati, pedicellati. Calyx villoſus viret. Corolla purpurea & unicolor. Antheræ flavent. Germen villoſum eſt. Legumen biunciale ex cinereo fuſceſcit, denſoque villo obducitur. Semina ex cinereo fuſcoque variegantur.

CAL. Perianthium monophyllum. Tubus brevis. Limbus quadripartitus; laciniis lanceolatis, acutis, concavis, patulis; infima longiore; ſumma a vexillo reflexa latiore & integerrima.

COR. papilionacea.

Vexillum late ellipticum, obtufum, integerrimum vel emarginatum, planiufculum, reflexum.

Alæ oblongæ, obtufæ, concavæ, erectæ, longitudine vexilli.

Carina dipetala, falcato-oblonga, fitu & longitudine alarum.

STAM. Filamenta decem, diadelpha (fimplex & novemfidum,) erecta, apice adfcendentia. Antheræ fubrotundæ, incumbentes.

PIST. Germen oblongum, compreffum. Stylus filiformis, fitu & longitudine ftaminum. Stigma fimplex, obtufum.

PER. Legumen lineare, compreffum, acutum, rectum, ad femina transverfim torrulofo-ftriatum.

SEM. plura, reniformia.

CCLXXXIX.

MALACHRA ALCEÆFOLIA.

Radiatam Linnæi Malachram, Plumieri plantam, videre mihi nunquam contigit. In Martinica haud procul a vico Francifci in apricis faxofis udis Malachræ fpeciem obfervavi floribus luteis donatam, omnium hifpidiffimam & pungentiffimam, quæ ex feminibus a me allatis colebatur olim in horto Botanico, foliis caulinis omnibus una cum petiolis deflexis a cognitis reliquis difcrepantem, quam defcribere neglexi. Hæc a me dicta alceæfolia a radiata ex icone Plumieri differt minore longe hifpiditate, foliorum figura, involucris minoribus, aliifque momentis. Carraccas in America calida patria eft. Odor plantæ cucumerinus. In caldario floret a Julio ad Novembrim. Radix annua, ramofa. Caulis unicus, fexpedalis, erectus, bafi pol-

pollicem craſſus, teres, viridis, ex foliorum alis ramoſus, pilis albis rigidis ſubpungentibus micantibusque ſparſim nec denſe hiſpidulus. Tales etiam pilos petioli, pedunculi, & rami habent, multo denſiores rami petiolique in antica parte. Folia ſunt alterna, baſi cordata, ſubrotunda, venoſa, patentiſſima, obtuſe ſerrato - crenata, glabra utrinque cum adſperſis ad nervos pilis rariſſimis, quinquelobata, inferiora minus profunde inciſa & obtuſa, ſuperiora profundius ſecta & acuta. Stipulæ ſubulatæ, erectæ, acutæ, virides, fere unciales, utrinque laterales ad petiolos ternæ vel quaternæ. Pedunculi communes axillares, ſolitarii cum ramo ſocio, vel gemelli cum ramo intermedio, patuli, teretes, villoſi, biunciales. Flores capitati. In baſi cujuslibet folioli calycis communis flos ſedet, ut in petiolo Turneræ ulmifoliæ; dein centrum capituli flores alii occupant breviſſime pedunculati plus minus quatuor. Corolla lutea eſt. Antheræ luteæ. Arilli glabri, cinerei, ovati, hinc convexi, inde angulati. Semina atra.

CAL. Perianthium commune pentaphyllum, ſubdecemflorum, perſiſtens: foliolis inæqualibus, patentibus, acuminatis, nervoſis, baſi albidis & diaphanis, cæterum virentibus, ad oras pilis albis ciliatis, extimis ſemitrilobis; ſingulis utrinque ad latus ſtipatis ſetula.

Perianthium proprium profunde quinquepartitum, erectiuſculum, perſiſtens: laciniis lanceolatis, acuminatis; ad oras ciliatis, tribus ſtriis virentibus percurſis, ipſis pallidis, corolla fere duplo brevioribus.

COR. monopetala, late infundibuliformis cum limbo patente, quinquepartita; laciniis obverſe ovatis, obtuſis, planis.

STAM.

STAM. Filamenta numerofa, connata in unum corpus incurvatulum, bafi hirfutum, & fere longitudine corollæ. Antheræ ovales, fulcatæ, incumbentes.

PIST. Germen fubrotundum, quinquefulcatum. Stylus capillaris, longitudine ftaminum. Stigma decemfidum; laciniis linearibus, obtufis, apice villofis, recurvatis.

PER. Arilli quinque, in capitulum fubrotundum collecti, introrfum dehifcentes, decidui.

SEM. folitaria.

CCXC.

MALACHRA FASCIATA.

Crefcit in America ad Caraccas, unde femina absque nomine miffa fuerunt. In caldariis noftris annua planta fero floret, fub finem demum Octobris & Novembri, quare femina matura pauca perficit. Radix ramofa. Caulis unicus, erectus, fexpedalis, pollice duplo craffior, teres, ex alis foliorum fere omnium ramos emittens, inferne cinereus, pilis rigidis & pungentibus denfiffime obfitus. Ex dextro latere axillæ ramorum omnium, qui ex caule egrediuntur, in caule fafcia adfcendit fere ad proximum ramum ufque viridis glabra erecta & plus minus duas lineas lata. Folia funt alterna, longe petiolata, ferrata, venofa, utrinque & ad oras hifpidula, infima fubrotunda & margine qainqueloba, fuperiora triloba magisque oblonga & acutiora. Ad petiolos utrinque ftat ftipula folitaria, fubulato-fetacea, erecta, hifpida & uncialis. Florum capitula axillaria, breviter pedunculata, bina vel terna fucceffive. In bafi cujuslibet folii perianthii com-

communis ſedet flos; reliqui breviſſime pedunculati centrum occupant. Uterque calyx longe ciliatus eſt, exterior inſuper utrinque hiſpidus. Perianthii proprii tubus viret; laciniæ pallent cum ſtriis badiis. Corolla foris roſea cum ſtriis purpureis, intus pallet, & ad lentem extus inque oris villoſula eſt. Antheræ ochroleucæ. Stigma album. Arilli glabri, cinerei.

CAL. Perianthium commune triphyllum, ſubquinqueflorum, perſiſtens: foliolis ovato-acuminatis, argute ſerratis, nervoſis, magnitudine inæqualibus, cum interjectis ſetis ſolitariis.

Perianthium proprium profunde quinquepartitum, erectiuſculum, perſiſtens: laciniis lanceolatis, acuminatis, triſtriatis, corolla duplo brevioribus.

COR. monopetala, infundibuliformis cum limbo patente quinquepartito; laciniis obverſe ovatis, obtuſis, planis.

STAM. Filamenta plurima, in unum corpus coalita erectum, inferne villoſum, corolla brevius. Antheræ ſubrotundæ.

PIST. Germen ſubrotundum, quinqueſulcatum. Stylus filiformis, longitudine ſtaminum. Stigma decemfidum; laciniis linearibus, obtuſis, apice villoſis, recurvatis.

PER. Arilli quinque, in capitulum ſubrotundum collecti, introrſum dehiſcentes, decidui.

SEM. ſolitaria.

CCXCI.

DRACAENA TERMINALIS. *Linn. ſyſt. pag.* 334.

Terminalis rubra. *Rumph. amb.* 4. *pag.* 80. *tab.* 34. *fig.* 2.

Creſcit in inſulis Mauritii, Java, Ternate aliisque Indiæ Orientalis locis. In caldariis noſtris floret Februario & Martio, ſed fructum nedum tulit. Radix craſſa, cineraſcens, & fibris albis craſſis longisque aucta, caules producit plures, ſexpedales & ultra, fruticoſos, teretes, cinereos, tuberculis inæquales, erectos, tandem brachium craſſos; ramis ſuperne tantum folioſis, inferne a foliis delapſis cicatrices circulares gerentibus. Folia ſunt longe lanceolata, acuta, glabra, lucida, integerrima, ſesquipedalia cum pedunculo ſemipedali canaliculato & amplexicauli, in ſumma parte caulis ramorumque approximata. Racemus terminalis, erectus; compoſitus ex racemulis patentibus, cylindricis, a duabus ad quatuor uncias longis, purpureis, glabris, rectis, ſulcatulis. Pedicelli proprii uniflori, craſſi, breviſſimi, rigiduli, patentiſſimi, ad baſin circumdati bracteolis minutiſſimis & fuſceſcentibus. Flores inodori, corollis purpureis, filamentis albis, antheris flavis, germine niveo, ſtylo & ſtigmate albentibus cum ſuffuſa purpura.

CAL. nullus.

COR. Petala ſex, lanceolato-linearia, obtuſula, inferne in tubum erecta, ſuperne patentia, tria interiora & tria exteriora.

STAM. Filamenta ſex, late compreſſa, acuta, erecta, petalis paulo breviora. Antheræ incumbentes, ſagittatæ.

PIST.

PIST. Germen ſubrotundo-ovatum, ſuperum. Stylus filiformis, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma ſubbifidum, inflexum, obtuſulum.

PER. . . .

SEM. . . .

CCXCII.

GERANIUM OVATUM. *Cavanill. diſſ. pag.* 238. *tab.* 103. *fig.* 3.

Ex Promontorio bonæ Spei eſt, odore totum ingrato, ſub dio apud nos florens totam æſtatem, hyeme transferendum in tepidarium. Ex radice ramoſa caulis exit ſuffruticoſus, teres, procumbens, calamum craſſus, ſemipedalis. Rami plurimi, erecti aut adſcendentes, teretes, ſemipedales, tomentoſi & incani. Folia ſunt alterna, petiolata, oblonga, obtuſa, inæqualiter & obtuſe ſerrata, tomentoſa, incana, craſſula, ad oras rigidula & dura, cæterum mollia. Stipulæ lineari-lanceolatæ, acutæ, villoſæ. Pedunculi florentes terminales & erectiuſculi, fructeſcentes ob elongatos ramos oppoſitifolii & patentiſſimi, foliis longiores, incani, ab uno ad tres flores gerentes. Involucrum ad pedicellos commune tetraphyllum; foliolis lanceolatis, acutis, erectis, incanis. Perianthii monophylli & quinquepartiti foliola infra medium erecta, dein reflexa, fere longitudine corollæ, lanceolata, acuta, ſericea, virentia; ſuperiore latiore. Petala quinque, cuneiformia, ex ungue anguſto orta, obtuſiſſima, plana, roſea, baſi erecta, dein patentia; quorum duo ſuperiora fere duplo latiora & ſupra unguem ſanguineomaculata. Filamenta decem, baſi connata, albida; quinque breviſſima & ſterilia; alia quinque cum prioribus alternantia petalis paulo breviora & fertilia. Antheræ his oblongæ & incumbentes. Germen ſericeum.

Stylus & ftigma quinquefidum lineare & revolutum fanguinea. Fructus longe roftratus, erectus, fericeus, calyce connivente bafi veftitus. Semen bafi acuminatum, fufcum, villofulum, cum arifta tortili & pilofa.

CCXCII.

PORTULACA QUADRIFIDA. *Tab.* 17. *fig.* 4. *Linn. fyft. pag.* 445. *mant. pag.* 73.

In hortum noftrum ex infula Borboniæ venit, ubi fponte crefcit. Radix annua, fibrofa, tenella. Caules filiformes, tenelli, teretes, purpurei, glabri, ramofiffimi, debiles, proftrati, tandem pedales, plurimi, toti foliofi, ad folia geniculati & radicantes, ibidemque incraffati, articulati, quadridentati, & pilis albis barbati. Folia funt ovato - lanceolata, acuta, integerrima, breviter petiolata, glabra, carnofula, utrinque ad lentem punctata, oppofita, parva; terminalia in ramulis florentibus erectis quaterna. Flos in his feffilis, folitarius, erectus. Calycis foliola duo, ovata, obtufula, pallida, pilofa. Petala quatuor, calyce duplo longiora, ovata, obtufa, patentiffima, lutea. Stamina octo, fere longitudine corollæ. Germen fubrotundum. Capfula circumfciffa. Semina plurima, ad lentem muricata.

CCXCIV.

INDIGOFERA DENDROIDES.

Crefcit in arenofis Guineæ; in caldariis noftris floret Augufto & Septembri; femina perficit Novembri. Annua planta habitu arbufculam comofam refert. Radix ramofa fordide albet. Caulis pedalis, erectus, gracilis, tantum fuperne ramofus. Folia funt alterna, pinnata ex paribus a quinque ad duodecim, plus minus biuncialia; foliolis oppofitis, oblongis, acutulis, breviffime petiolatis, nudo oculo integerrimis & glabris, armato autem utrinque per fetulas decumbentes albidis & ad oras obiter ciliato-aculeatis. Racemi axillares, multiflori. Bracteola ad pedicellos minutæ. Calyx villofus pallide viret. Corolla rubella. Vexillum fubtus & ad oras villofum ad lentem, magis pallens, intus ad unguem faturate rubrum cum punctis albidis. Legumen nitidum, unciale. Semina atra.

Cal. Perianthium profunde quinquepartitum, patentiffimum, planum; laciniis lanceolatis, acutis, fubæqualibus, fub vexillo magis divergentibus.

Cor. papilionacea.

Vexillum obverfe cordatum, reflexum, patentiffimum, planum, calyce triplo longius.

Alæ obverfe ovatæ, obtufæ, planæ, totæ deflexæ, patentiffimæ, vexilloque oppofitæ.

Carina oblonga, obtufa, connivens, inter alas deflexa, earundemque longitudine.

Stam. Filamenta decem, diadelpha (fimplex & novemfidum,) carinæ inclufa. Antheræ fubrotundæ.

PIST. Germen teres. Stylus brevis. Stigma obtuſum.
PER. Legumen teres, longum, rectum, uniloculare, bivalve.
SEM. plura, teretia, utrinque truncata.

CCXCV.

INDIGOFERA HENDECAPHYLLA.

Cum præcedente in Guinea creſcit. In caldariis noſtris floret ab Auguſto ad Decembrim, quando paucos fructus perficit. Radix ramoſa, longa, calamum craſſa, albida, & annua caules promit plures, totos proſtratos in ambitum, bipedales, calamo graciliores, teretes, glabros, inferne ramoſos, virides. Folia ſunt alterna, bifaria, patentiſſima; pinnata ex foliolis utrinque quinis cum terminante impari, obverſe ovatis, obtuſis, integerrimis, breviſſime petiolatis, alternis, ſupra virentibus, dorſo pallidioribus, ad oculum armatum obductis utrinque ſetulis albidis & decumbentibus. Spicæ axillares, unciales, ſolitariæ, pedunculatæ, erectæ, compactæ, oblongæ. Pedicelli proprii minuti. Perianthium villoſum viret. Corolla ſaturate rubet. Vexillum ad unguem puncta alba gerit. Alæ planæ cum intermedia carina antrorſum porriguntur. Vexillum erigitur ſupra unguem reflexum. Legumina fuſca, linearia, rectiuſcula, tetragona, villoſula, ſtylo perſiſtente acuminata, uncialia, pendula. Semina plura, reniformia, nitida, cinerea. Reliqua in charactere generico congruunt omnimode cum præcedente.

CCXCVI.

INDIGOFERA HIRSUTA. *Linn. ſyſt. pag.* 678.

Aſtragalus ſpicatus, ſiliquis pendulis hirſutis, foliis ſericeis. *Burm. zeyl. pag.* 37. *tab.* 14.
Colutea lanuginoſa, floribus parvis, ſiliquis piloſis, deorſum tendentibus. *Petiv. muſ. num.* 45.
Orobus zeylanicus incanus, ſiliquis pendentibus toroſis. *Breyn. prodr.* 2. *pag.* 80.
Kattu Tagera. *Rheed. hort. mal. vol.* 9. *pag.* 55. *tab.* 30.

Creſcit in Guinea & Zeylona. In caldariis apud nos annua floret demum menſe Novembri, & ſine fructu dein perit. Tota pilis fuſceſcentibus hirſuta eſt, & viſcoſula. Caulis erectus, pedalis & ultra, teres, mox ſupra terram ramos oppoſitos duos emittit, tandem ex omnium foliorum axillis futura ramoſa. Stipulæ ſetaceæ, hirſutæ, ſemunciales & ultra. Folia alterna, patentiſſima, pinnata ex paribus duobus cum impari, infima ternata; foliolis obverſe ovatis, obtuſis, breviſſime petiolatis, mollibusque. Pedunculi axillares, ſolitarii, teretes, foliorum longitudine, dein in ſpicam longam paulatim ultra elongandi. Bracteæ ſetaceæ, parvæ. Flores parvi, breviſſime pedicellati, ſparſi. Calyx hirſutus pallide viret. Petala miniato-rubra ſunt, & caduca. Antheræ flavent. Lugumen pendulum nigricat, pilisque albidis denſe obſidetur. Semina ſunt cinerea.

CAL. Perianthium monophyllum, profunde quinquepartitum: dentibus ſubulatis, acutis, ſubæqualibus, patulis.

COR.

COR. papilionacea.

Vexillum late ovale, obtufum, integerrimum, patens.

Alæ cuneiformes, obtufæ, erectæ, longitudine vexilli.

Carina oblonga, obtufa, alis paulo brevior, earundemque fitu.

STAM. Filamenta decem, diadelpha (fimplex & novemfidum,) erecta. Antheræ fubrotundæ.

PIST. Germen oblongum. Stylus filiformis, fitu ftaminum. Stigma obtufum.

PER. Legumen lineare, tetragonum, rectum, acutum, uniloculare, bivalve.

SEM. plura, fubteretia, utrinque truncata.

CCXCVII.

PHYLLANTHUS SPECIOSA.

Stirps elegantiffima, cujus patriam ignoro, in caldario horti Cæfarei Schönbrunnenfis colitur, fempervirens, per totum fere annum floribus fructibusque onufta. Caulis arboreus, nunc quadripedalis, fimpliciffimus, erectus, digitum bafi craffus, teres, cortice cinereo tectus, a foliis deciduis tuberculatus, in fummitate purpurafcens. Folia in fummo caule alternatim fparfa, patentia, firma, glabra, petiolata, pinnata; foliolis utrinque quinque vel fex fine impari, alternantibus, lanceolatis, acutis, ferrulatis, fubfeffilibus, coriaceis, per venas ftriatis, biuncialibus, fupra farurate, fubtus dilute virentibus, junioribus hic illic purpura fuffufis. Stipula infra petiolum lanceolata, acuta, rigidula, fufcefcens. Ex crenis foliorum pedunculi exeunt graciles, ad fummum femiunciales, uniflori, modo folitarii, modo plures aggregati. Flores parvi, fulphureo - albidi, mares & fæminæi mixti, in-

odori.

odori. Capſulæ veſtiuntur pellicula glabra, per exſiccationem ſponte abſcedente, atque tunc elaſtice diſſiliunt. Semina nigricant.

Maſculi flores.

CAL. Perianthium monophyllum, coloratum, patentiſſimum, ſexpartitum; laciniis rotundatis cum baſi anguſtata.

COR. nulla.

Nectarii glandulæ ſex, orbiculares, planæ, breviſſimo pedunculo peltatæ, inſidentes ſingulæ ſingulis diviſuris perianthii.

STAM. Filamenta tria, inferna medietate connata in unum corpus, ſuperne patula, craſſa, calyce multo breviora. Antheræ in filamenti cujuslibet dilatato apice geminæ, ſubrotundæ, ſeſſiles.

Fæminei flores.

CAL. ut in mare, perſiſtens.

COR. nulla.

Nectarium ut in mare.

PIST. Germen ſubrotundum. Styli tres, patentiſſimi, plerumque duo trifidi, unus bifidus. Stigmata ſimplicia.

PER. Capſula tricocca, depreſſa, glabra, trilocularis, trivalvis.

SEM. unicum, alterumve.

CCXCVIII.

EUPHORBIA PILULIFERA. *Linn. ſyſt. pag.* 450.

Tithymalus botryoides erectus, florum capitulis conjugatis & longiori pediculo inſidentibus. *Burm. zeyl. pag.* 224. *tab.* 105. *fig.* 1. *Petiv. gaz. tab.* 80. *fig.* 14.

In insula Mauritii & in Zeylona crescit; in caldariis nostris annua planta prima jam æstate floret, & ex seminibus numerosissimis delapsis sponte eodem adhuc anno novam sobolem generat, fructiferam quoque futuram. Ex radice ramosa caulis attollitur circiter pedalis, superne nutans, cæterum erectus, teres, foliosus, hirsutulus, fuscescens, tandem ex unius alteriusve folii inferioris ala brevissimum ramulum porrigens, alias simplicissimus. Folia opposita, brevissime petiolata, patentissima, ovato-lanceolata, inferne in uno latere longitudinaliter truncata, acuta, serrulata, utrinque villosula, supra saturate virentia, subtus glauca, plus minus biuncialia. Pedunculi subaxillares, solitarii, alterni, teretes, erecti, villosuli, semunciales, flores numerosos in duo capitula colligentes, in nostris omnibus individuis sic condensata, ut unicum videatur, contra ac in figura Thesauri zeylanici citata. Pedunculorum subdivisio est brevissima, tamen ut plurimum dichotoma. Flores minutissimi, omnes hermaphroditi. Calyx turbinatus, quinquedentatus, acutus, erectus, villosulus, viridis. Petala quatuor, orbiculata, exigua, convexula, nitida, viridia, intra calycem. Antheræ ochroleucæ. Germen viride, triquetrum. Stigmata bifida, alba, obtusa. Capsula hirtula. Semina rubella.

CCXCIX.

CASSIA SENSITIVA.

Jamaica patria est. In caldariis nostris floret totam æstatem, fructusque fert maturos. Radix ramosa, annua. Caulis erectus, bipedalis, parum ramosus, teres, calamum crassus, inferne glaber, cæterum villosus. Folia patentissima, alterna, quadrijuga vel quinquejuga. Costa villosa; basi in-

incraſſata, antice ſulcata, tres quatuorve uncias longa, ex ſulco emittit inter quælibet foliorum paria glandulam cylindricam, longe petiolatam, erectam, aurantiacam, unaque cum petiolo ſuo piloſulam. Foliola ſunt obverſe ovata, vel oblonga, obtuſa cum mucrone ſericeo, integerrima, exteriora majora ſescuncialia, mollia, fœtidula, facie villoſula & ex glauco virentia, dorſo ſericea multoque magis cinerea. Pedunculi communes multiflori, breves, axillares, ſolitarii, erecti, pedicellis approximatis veluti umbellati. Calycis foliola ovata, obtuſa, concava, inæqualia, cum flavedine virentia. Petala lutea, ſubæqualia, obverſe ovata, obtuſiſſima, concava, patula, calyce dimidio longiora. Antheræ decem & piſtillum ad characterem Linnæi. Legumen lineare, compreſſum, acutum, rectum, ad ſemina toruloſum, villoſum, punctis extantibus ſcabrum, fuſcum, erectum, bivalve, propter membranam interiorem utriusque valvulæ inter ſingula ſemina elevatam & diſſepimentiformem multiloculare. Semina plus minus decem, ſubteretia, utrinque oblique truncata, cinerea, nitida. Foliola ſenſitiva ſunt, ſed non æque omni tempore; naturaliter enim horizontaliter expanſa, ad attactum mox pendula evadunt & plicata, brevi iterum ſeſe reſtitutura, coſta ſemper manente immobili.

CCC.

DIOSCOREA VILLOSA. *Linn. ſyſt. pag.* 888. *Gron. virg. pag.* 156.

Bryoniæ ſimilis floridana, muſcoſis floribus quernis, foliis ſubtus lanugine villoſis, medio nervo in ſpinulam abeunte. *Plukn. alm. pag.* 46. *tab.* 375. *fig.* 3.

Omifi citatum a Linnæo Rumphii fynonymum, quod ille plantæ fuæ radicem tribuat rapæformem pugnoque paulo minorem, caules inferne fpinofiffimos, deciduorum foliorum petiolos fpinefcentes, unde caules credi perennes poffint, aliaque, quæ minime conveniunt plantæ noftræ. Omifi etiam fynonymum Plumieri, utpote valde dubium. Difcorea villofa fponte crefcit in Virginia & Florida. In caldariis horti Cæfarei Schönbrunnenfis & botanici Vindobonenfis numerofæ aluntur individuæ, lætiffime vegetantes, etiam quædam fub dio optime hyemem paffæ, fed ex tot unica in caldario horti Vindobonenfis huc ufque floruit mafcula copiofiffime ab Aprili ad Julium tertio ætatis anno. Radix perennis, lignofa, vix calamum craffa, nodofa, fufca, amaricans, inodora, horizontaliter ramofa, fibrisque numerofis capillata, ex ramulorum apicibus cefpitofe caules emittit annuos, quadripedales, teretes, glabros, graciles, totos foliofos, inferne erectos, dein volubiles, fimpliciffimos. Folia funt cordata, acuta, innocuo mucrone terminata, obfolete undulato-repanda, cæterum integerrima, feptemnervia, fupra glabra, fubtus in nervis ad microfcopium villofa, duas uncias longa cum petiolo gracili plus minus æque longo, inferiora quaterna aut terna, dein fitu in diftantiis inordinato alterna, rarius etiam oppofita. Racemi foliis breviores, axillares, folitarii, patentes, multiflori, infimi fimplices, reliqui compofiti. Flores inodori, minuti, fulphurei, pedicellati aut feffiles. Antheræ pallide flavæ. Semina fufca, nitida, fubrotunda, plana, cincta plus minus ala membranacea tenuiffima pellucida concolore & inæqualiter fubrotunda.

Mas.

CAL. Perianthium fexpartitum, patentiffimum; foliolis oblongis, obtufis, planis.

COR. nulla.

STAM.

Stam. Filamenta ſex, ſubulata, apice bifida, erecta, breviſſima. Antheræ geminæ, ſubrotundæ, ſeſſiles.

Pist. Germina tria, conica, truncata, brevia. Stylus nullus. Stigma nullum.

CCCI.

DIOSCOREA TRIPHYLLA. *Linn. ſyſt. pag.* 388.

Ubium ſylveſtre. *Rumph. amb. vol.* 5. *pag.* 361. *tab.* 128.
Tſjageri-Nuren. *Rheed. mal. vol.* 7. *pag.* 63. *tab.* 33.

Creſcit in Malabaria pluribusque aliis Indiæ orientalis locis. Semina mecum communicavit illuſtriſſimus Bankſius, collecta in ultimo itinere celeberrimi Cook. Omnia germinarunt, ut plura habeamus elegantis hujus plantæ individua; & tamen unica huc uſqne in horto noſtro botanico floruit fæmina, idque a Majo ad Auguſtum uſque copioſiſſime. Jam ad finem primi autumni radicis tuber pugnum æquabat, nunc conſtat radix ex aggerie tuberum, inter quæ ſunt, qui capitis infantis magnitudinem habent, magis minusve ſubrotunda omnia, foris nigricantia (lutea vel alba Rhumphius ſua aſſerit) intus alba & carnoſa, cohærentia ſuperne, fibrisque numeroſis albicantibus a ſupremo communi vertice ortis tecta. Caulis annuus, unus alterve, celerrime increſcens, vigintipedalis, ad humanam altitudinem erectus, dein volubilis, inferne aphyllus ut plurimum, dein folioſus & ramoſus, calamum digitumve craſſus, ex glauco vireſcens, teres, aculeis nigricantibus brevibus fortibus ſubulatis rectis & ex baſi lutea ortis totus denſe obſeſſus. Folia ſunt alterna, & omnia ſemper ternata. Petiolus teres, baſi

fi incraffatus, paucis parvisque aculeis armatus, foliolis longior. Foliola funt inermia, utrinque villofula, integerrima, acuta, nonnunquam cufpidata, triplinervia vel fubquintuplicinervia, breviffime petiolata; intermedium obverfe ovatum vel latiffime lanceolatum; lateralia oblique ovata. Racemi axillares per totum caulem & aliquot etiam in ramis, folitarii, toti ex cinereo flavefcentes, ramofi, ad lentem hirfuti, inferiores ante folia prodeuntes, longiores femipedales. Flores numerofiffimi, feffiles, minuti, concolores, ad lentem extus villofi. Styli fufcefcunt. Semina funt nitida & badia.

Fæmina.

CAL. Perianthium tripartitum; laciniis ovatis, acutis, craffulis, patentibus, perfiftentibus.

COR. nulla.

PIST. Germen parvum, fubrotundum, trigonum. Styli fex, lanceolati, patentiffimi. Stigmata fimplicia, acuta.

PER. . . . .

SEM. ovata, obliqua, excurrentia in unam alam oblongam obtufam magnam rectamque.

CCCII.

GALAXIA GRAMINEA. *Tab.* 18. *fig.* 2. *Linn. fyft. pag.* 609. *Thunb. nov. gen. pag.* 51. *Cavanill. diff. pag.* 341. *tab.* 189. *fig.* 3.

Ixia fugaciffima. *Linn. fuppl. pag.* 94.

Abunde crefcit in collibus Promontorii bonæ Spei. Apud nos in tepidariis floret per totam æftatem ad Decembrim ufque, non eadem quidem

dem planta, ſed prouti diverſæ ſucceſſive ad floreſcentem ætatem perveniunt. Ut plurimum unum dumtaxat alterumve florem eodem die apud nos ſingulæ plantulæ producunt, atque ſic pergunt diverſis diebus aliquamdiu. Bulbus ovatus, piſo major, tunica reticulata fuſca tegitur, ſcapumque emittit (niſi partem radicis dicere hunc malis) infra terram uncialem, gracilem, album, teretem, ad terræ ſuperficiem terminatum in plura folia faſciculata, plus minus biuncialia, ex baſi latiore ſublinearia, canaliculata, in apicem deſinentia ſubulatum & compreſſulum, acuta, nitida, virentia; extima breviora & latiora. Flores ſeſſiles inter folia. Spatha univalvis, membranacea, albida, tenuiſſima, germen involvens, brevis. Corollæ tubus uncialis & ultra, gracilis, albus. Limbus luteus, infundibuliformis, tubo brevior, ſexfidus, patulus; laciniis oblongis, obtuſis. Filamenta tria, concreta in unum corpus, ſuperne libera, petalo multo breviora. Antheræ luteæ, oblongæ, ſulcatæ. Germen inferum, oblongum, obſoletius triſulcatum. Stylus filiformis, ſtaminibus paulo longior. Stigma luteum, infundibuliforme, lacero-multifidum.

CCCIII.

IPOMOEA ANGUSTIFOLIA.

Ex Guinea eſt. In caldariis noſtris floret Julio, & ſemina dat matura Auguſto, tota glabra & tenella planta. Caulis teres, debilis, erectiuſculus, gracilis, plus minus uncialis, eſt propagatio vel potius pars radicis conſimilis, intra terram perpendiculariter deſcendentis, continuata extra terram, in patria forte perennantis. Ex hoc ſic dicto caule aggregatim exeunt plures rami (altero in caſu ipſi caules vocandi) debiles, filiformes,

tere-

teretes, ſubvolubiles, vix pedales, toti folioſi & vix ramoſi. Folia ſunt ſparſa, breviſſime petiolata, linearia, baſi argute haſtatula, cæterum integerrima, obtuſa cum mucrone, patentia, unciam longa, lineamque lata. Pedunculi axillares, ſolitarii, uniflori, filiformes, foliis breviores, ſupra medium bracteolis duabus ſubulatis minimisque inſtructi, atque exhinc verſus florem magis magisque incraſſati. Calycis conniventis foliola lanceolata, acuminata, erecta, viridia. Petalum calyce multoties longius, flavum, infundibuliforme; limbo patentiſſimo, quinquefido; laciniis ovatis & obtuſis. Filamenta quinque, albida, ſubulata, longitudine tubi corollæ. Antheræ oblongæ, erectæ, ochroleucæ. Germen ſubrotundum. Stylus ſubulatus, albus, longitudine ſtaminum. Stigma capitatum, globoſum, didymum, papilloſum, viride. Capſula ſubrotunda, glabra, bilocularis, quadrivalvis. Semina in quolibet loculamento bina, atra.

CCCIV.

ORNITHOGALUM MACULATUM. *Tab.* 18. *fig.* 13.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Totum glabrum & palmare. Bulbus ovato-ſubrotundus, albus, ex ſquamis craſſis, fungoſis, totum bulbum ambientibus indiviſisque conſtans. Folia radicalia pluſcula, lineari-lanceolata, canaliculata, acuta, erecta, integerrima, carnoſula. Scapus erectus, teres, foliis brevior, racemoſus, pauciflorus. Spatha lanceolata, concava, acuta, viridis ad quemlibet florem. Pedicelli breves, craſſuli. Petala ſex, lanceolata, plana, acuta, patentiſſima, ſaturate lutea; quorum tria alterna latiora gerunt infra apicem unam alteramve maculam fuſcam. Filamenta ſex, omnia ſubulata, erecta, petalis duplo breviora, flava. Antheræ

theræ oblongæ, incumbentes, flavæ. Germen ovatum, triquetrum. Stylus brevis, craſſus. Stigma trifidum, patentiſſimum; laciniis lanceolatis, acutis, ſupra pubeſcentibus. Capſula ad maturitatem nedum pervenit.

CCCV.

MELOCHIA CARACCASANA.

Sponte creſcit in America prope Caraccas. Frutex elegans, humanæ altitudinis & ramoſus. Truncus erectus, lignoſus, pollicem & ultra craſſus, fuſco-nigreſcens. Rami alterni, teretes & villoſi. Folia petiolata, alterna, cordata, acuta, crenata, venoſa, utrinque villoſa & mollia, longiora quadriuncialia cum petiolo villoſo biunciali. Pedunculi breves, craſſuli, villoſi, terminales primo, dein in ramuli elongatione oppoſitifolii, apice ſuſtinent plurimos flores ſuaveolentes & breviſſime pedicellatos in denſum capitulum collectos. Bracteæ ad pedicellos ſubulatæ, parvæ & fuſcæ. Calyx villoſus pallide viret. Patala alba & ſupra unguem lutea. Filamenta alba. Antheræ luteæ. Germen in apice piloſum viret. Capſula cineraſcit. Semina ſunt badia & nitida.

CAL. Perianthium monophyllum, campanulatum, ſemiquinquefidum, laciniis ſemiovatis, acuminatis, planis, patulis.

COR. Petala quinque, cuneiformia, obtuſa, integerrima, plana, calyce longiora, ſuperne patentiſſima.

STAM. Filamenta quinque, patalis breviora, connata in unam columnam baſi pentagonam. Antheræ haſtatæ, erectæ.

PIST. Germen ovatum. Styli quinque, filiformes, erecti, ſtaminibus longiores. Stigmata clavata, obtuſa, papuloſa.

PER. Capsula subrotunda, quinquelocularis, quinquevalvis.
SEM. solitaria, acuta.

CCCVI.

GLADIOLUS CARNEUS. *De la Roch. diss. pag.* 30. *tab.* 4.

Crescit ad Promontorium bonæ Spei; in hybernaculo apud nos floruit Aprili & Majo. Totus glaber. Bulbus depresso-subrotundus, tunica fuscescente vestitus, seniori bulbo superimpositus. Caulis pedalis & ultra, simplex, foliosus, flexuosus, erectus. Folia ensiformia, acuta, striata, rigidula, erecta, alterna, disticha, plus minus semipedalia, ad oras albida & subcartilaginea, nec tamen ibidem incrassata. Spathæ oblongo-lanceolatæ, acutæ, canaliculato-conniventes, virides, exteriore biunciali. Spica terminalis fere quadriflora, laxa, ex floribus alternatim in utrumque latus versis & subnutantibus. Sunt hi incarnati cum suffusa hic illic majore rubedine, infundibuliformes, & quatuor uncias longi. Tubus corollæ incurvus, spathis longior. Limbus inæqualis, ringens, reflexo-patulus, sexfidus; cujus lacinia summa reliquis latior est, fere recta ex tubo antrorsum protenditur, staminibusque incumbit; huic opposita infima reliquis angustior est; & quæ hujus latera claudunt, maculam gerunt inferne saturate rubram. Cæterum omnes laciniæ sunt lanceolatæ & acutæ. Antheræ sunt ochroleucæ. Stigma trifidum, album; laciniis ad apicem latescentibus. Fructum apud nos nedum tulit.

CCCVII.

CCCVII.

GUILANDINA MORINGA. *Linn. ſyſt. pag.* 396. *mant. pag.* 379.

Moringa zeylanica, foliorum pinnis pinnatis, flore majore, fructu anguloſo. *Burm. theſ. zeyl. pag.* 162. *tab.* 75.
Morunga. *Rumph. amb. vol.* 1. *pag.* 184. *tab.* 74. & 75.
Mouringou. *Rheed. mal. vol.* 6. *pag.* 19. *tab.* 11.
Nux Been ceylanica, ſiliqua triangula, ſeminibus alatis. *Comm. hort. vol.* 1. *pag.* 219. *tab.* 112.

In caldariis noſtris, quantumvis ex ſemine facile germinet, fere languere ſolet, rarius ultra tres quatuorve annos perſiſtere, parum vel vix evadere ramoſa; flores tamen ſæpe tulit, fructum nunquam. In omnibus omnium annorum individuis character illorum unus idemque fuit, ſcilicet hermaphroditorum; nec mas unquam viſus. Horum characterem ſubjungam, cum deſcriptione fructus integri, ex inſula Mauritii tranſmiſſi. Tota inermis & glabra. Truncus pollicem craſſus, erectus, debilis, ſexpedalis, cinereus, teres, dumtaxat ſuperne folioſus. Folia alterna, bipinnata; coſta pedali, terete, compreſſula, nec ſulcata. Pinnæ utrinque fere quaternæ cum terminante impari, oppoſitæ; inferiores inferne bipinnatæ ex partialibus bijugis vel tantum ternatis; omnes cum pinnula terminante impari obverſe ovata. Pinnulæ ovatæ, obtuſæ, integerrimæ, plus minus unciales. Stipulæ nullæ. Pedunculi communes axillares, ſolitarii, flaccidi, teretes, ſemipedales, ſupra medium ramoſi & multiflori. Calyx dici pentaphyllus poſſet, ſi pars ejus infima viridis & craſſa, a qua laciniæ ſponte decidere ſolent, ceu pedunculi elongati quoddam receptaculum haberetur; at in hu-

jus centro liberum ſtans germen, & in flore recente ejusdem ne vel ad oculum armatum ullatenus interrupta continuatio in ipſas lacinias, & alia fecerunt, ut perianthii partem crederem. Laciniæ calycis & petala concoloria ochroleuca ſunt. Sic etiam filamenta & piſtillum. Antheræ flaveſcunt. Capſula pedalis & ultra. Semina fuſca cum alis albidis. Nucleus niveus, triangularis, ſaporis ſingulariter amari ingrati diuque ori inhærentis. Vidi flores cum calyce quadrifido.petalisque quatuor vel cum petalis tamen quinis. In tali calyce unica lacinia deorſum flectitur.

CAL. Perianthium monophyllum, quinquepartitum. Tubus campanulatus, breviſſimus. Limbi laciniæ longæ, coloratæ, oblongæ, obtuſæ vel acutæ, patentiſſimæ; quarum duæ inferiores, tres ſurſum vergunt.

COR. Petala quinque, calycis tubo inſerta, inferne canaliculata, ſuperne plana, omnia ſurſum flexa, vel unica deorſum patente, cæterum laciniis calycinis ſimillima.

STAM. Filamenta decem, ſubulata, approximata, declinata, petalis breviora. Antheræ ovatæ, obtuſæ, incumbentes.

PIST. Germen oblongum, villoſum, filamentis incluſum. Stylus ſubulatus, adſcendens, longitudine corollæ.

PER. Capſula longiſſima, triangularis, acuta, ad ſemina toruloſa, unilocularis, trivalvis; valvulis triangularibus, angulum ſcilicet internum formante medulla firma cum foveolis, ubi ſemina hæſerunt.

SEM. plura, remotula, una ſerie longitudinali nidulantia in centro medullari capſulæ, triangularia, ex quolibet angulo egrediente ala membranacea penetrante ad reſpondentem angulum capſulæ.

I N-

INDEX


PLANTARUM HIC DESCRIPTARUM.

Mala-

CONTENTA IN HOC VOLUMINE.













T. 2.





F. 1.
F. 2.
F. 3.




1.
2.
3.

T. O.



T. 7



T. 8.




T. 3.

T. 10.








F. 1



F. 2.



F.1.



F.2.


F.3.


a.
b.
F.4.
x.
a.
x.
x.
a.


F.5.


F.6.


F.1.



F.2.


F. 3.


F.4.


a
a
F.5.
b



F.1.



F.2.a.


F.2.b.


T. 16.



















T: 2.












F. 4.
a.
b.
c.
d.
e.
F. 3.
f.
g
h.
i.
F. 2.
F. 5.
F. 1.


F. 1.
a.
b.
c.
d.
e
f
g.


F. 2.
F. 3.



